Refutatio

THESIUM

D. WOLFGANGI FRANTZII,
Theologiæ Doctoris & Professoris publici in Academia Witebergensi,

Quas ibidem

DE PRÆCIPUIS CHRISTIANÆ RELIGIONIS CAPITIBUS

Anno 1609, & 1610 disputandas proposuit.

Scripta

à

VALENTINO SMALCIO GOTHANO,
Cœtus Racoviensis in Polonia minori Ministro.

Edita verò Anno 1614.

RACOVIÆ,
Typis Sternacianis.

ILLUSTRI

ACADEMIÆ WITEBERGENSI,

Gratiam & pacem a DEO Patre, & Domino nostro IESU CHRISTO,

Autor precatur.



Edicaveram vobis, VIRI MAGNIFICI, ante aliquot annos, nomine Ecclesiarũ nostrarum Catechesin. quia æquum esse putabam, ut veritas Evangelica, quæ in vestra potissimùm Academia, seculo hoc elapso, purgari cæpta est, & a vobis in universam Europam, & in Poloniam etiam dimanavit, ad vos, non sine fœnore & fructu, quasi postliminio reverteretur; & judicio vestro id exponeretur, quod ab aliis etiam, ad istam veritatem excolendam & complendam, alto DEI consilio, collatum est. Hoc quantumvis non ex animi sententia mihi cesserit. Is enim, adversus quem hunc librum edidi, D. Wolfgangus Frantzius, protervia me, ejusq; magnæ propterea, non sine morbo animi, vel certè non sine injuria, accusat: nolui tamen propterea animum mutare, quo erga vestram Academiam sum hactenus. Sed, ut brevem & succinctam eorum, quę nostris Ecclesiis Deus patefecit, in Catechesi comprehensam confessionem, antea sub Illustri nomine vestro prostare volui: sic etiam nunc ejusdem confessionis nostræ, satis prolixam adversus theses ejusdem D. Frantzii, quæ in Academia vestra agitatæ fuere, defensionem vobis denuo dedicare non dubitavi. Spero enim, vel solius Frantzii eam fuisse de me iniquam censuram; vel, si etiam aliorum fuerit, hoc ipso ex animis illorum evulsum iri, si ad neminem alium, quàm ad Vos, dedicatio hujus etiam libri spectet; & cordatis hoc ipso cognitum futurum, non nisi ab animo vestri observantissimo, & hanc & illam dedicatio-

dicationem profectam esse. Accipite igitur, VIRI NO
BILISSIMI, a vestro gentili hoc munusculū, quo, ut ut alius id elevare velit, ipsemet nihil in hac mortalitate habet carius, nihil antiquius. Agitur enim vera DEI illius summi, & JESU Christi gloria: agitur nostra omnium æterna salus. Quarum illam per ea, quæ nos in confessione vestra impugnamus, vehementer & multipliciter obscurari, hanc verò, & viam ad eam, perniciosè intricari & impediri, nobis hactenus videtur. Et in his quidem tractandis ita procedimus, ut quid sequendum sit, id totum vel expressè in S. literis ostendamus, vel ex iisdē, firmis rationibus deducamus. Nec porrò ista, ut adversus hostes Christianæ Religionis, sed ut adversus Fratres, ex nostro sensu infirmos, & in quibusdam Christianæ Religionis articulis adhuc errantes, scribimus, certò persuasum habentes, nos (si veræ inter nos pietatis studium vigeret,) in una Ecclesia esse, vel saltem pro una censeri, & de his omnibus controversiis amicè & fraternè sermones conferre posse & debere, donec aut ad eundem sensum perveniamus, aut, quomodo durantibus hujusmodi controversiis, alius alium tolerare & recipere teneatur, solidè cognoscamus. Quod ut tandem omnibus, qui a Papatu secesserunt, Deus largiatur, & viros pacis studiosos excitet, qui huic rei omnibus inculcandæ unicè incumbant, ita a Deo continenter in cætibus nostris flagitamus, ut nostram ipsorum salutem. Ego verò eundem DEUM oro, ut Ecclesiam vestram ab omni malo conservet, & eam, tum in veritatis tum in pietatis incrementis, indies magis magisque conspicuam exhibeat: Favori me Vestri omnium, quanta possum animi contentione, commendans. Racoviæ Polonorum.

Praefatio ad Lectorem.

NON pauci jam, à non paucis annis, extant nostrarum Ecclesiarum libri, in quibus earum, quæ hodie passim inter Christianos, de præcipuis Christianæ Religionis capitibus, obtinent, opinionum errores & absurditates, nostræ verò confessionis immota docetur & demonstratur veritas. Ad quos quidem, quia pauci sunt, qui eosdem pro veris agnoscere velint, responsum hactenus semper expectavimus. Factum est autem, fato quodam, ut nemo ferè inventus adhuc fuerit, qui ad aliquem illorum directè responderit: sed inventi sunt tamen plures uno, qui, quasi aliud agentes, ad nostra scripta respondere ita conati sunt, ut, hinc inde excerpta quædam, quæ vel faciliora illis, vel cavillationibus exposita esse videbantur, ventilarent & exagitarent potiùs, quàm veram ad ea responsionem afferrent. Quod, quid sit, non admodum difficilè est divinare. Non audent scilicet isti cominus pugnare nobiscum & aperto marte: itaque eminus & per cuniculos omnia agunt. Fugiunt lucem: sed tamen eam non effugient. Medium aliquid quærunt, ut veritati non cedant, quam refutare nequeunt: Sed non datur ullum. Inter hos unus est Wolfgangus Frantzius Theologiæ Doctor & Professor in Academia Witebergensi. Is enim Thesibus publicatis, quibus veritatem Augustanæ (quam vocant) confessionis, asserere nititur, unâ eâdemque operâ, nostros etiam libros refutare conatus est. Quanquam verò per se est ridiculum, libros copiosè & accuratè per modum disputandi conscriptos, thesibus propositis refutare velle. thesium enim natura est, asserere tantùm aliquid, idque nudè probare; vel saltem aliorum sententias brevissimè perstringere: tamen, quàm infeliciter isti conflictus cesserint Frantzio, ut ostendatur, operæ erit pretium. Nolo autem omnia ea examinare, in quibus non leviter errat Frantzius. Hoc enim infiniti ferè esset laboris: sed ea tantùm percurram breviter, quibus nos erroris convincere se posse autumat, densissimis ipse erroribus immersus. Itaque, theses, sicubi opus fuerit, integras, aut partem illarum, describam, & ad eas succinctè respondebo.

Libet autem hîc respondere ad duo, quorum in præfatione sua super librum, quo posteriores articulos Augustanæ confessionis comprehendit, meminit, de quibus omnes tum suos tum cæ-

terarum nationum pios homines monendos esse ait. Alter ait, q. nos unicè, unicè nihil aliud in ore habea-mus, quàm scripturam sacram, adeoque singula cuncta & omnia non nisi ex iisdem nobis vel literaliter demonstrari jubeamus, nullam tamen scripturæ interpretationem aliam quæramus & admittamus, nisi eam, quam ratio humana sibi congruam & idoneam probet. Itaque convincendos nos esse ante omnia de eo in singulis articulis, pro nata occasione, quòd ratio non intelligat mysteria Dei, imò ea summam judicet esse stulticiam, ideoque nobis unicè pendendum ex ore Magistri Spiritus S. utcunque oblatret ratio. *Alterum est*, quòd Vet: Test: scripturas magis prætereamus, & unicè urgeamus Novi Instrumenti libros, illis de causis, quas in Thesibus alicubi indicatas videre liceat. Lectorem verò, si in conflictationibus utriusque Instrumenti libros conjunxerit, certissimam adversus nos victoriam sperare posse, & reipsa reportaturum. *Hactenus Frantzius.*

Quod igitur ad primum attinet: Calumnia primùm est, nos singula, cuncta & omnia non nisi ex S. literis expressè, vel, ut ille ait, literaliter *nobis demonstrari jubere. Hoc enim tantùm in illis Christianæ religionis dogmatibus requirimus, quæ ad salutem prorsus sunt necessaria: In aliis, quæ non sunt hujus generis, satis esse statuentes, si ea ex S. scriptura legitima ratione deduci possint, vel etiam, si non sint Sacræ scripturæ dissentanea. Exponat libellos Frantzius & probet, quod affirmat, si calumniæ crimen purgare velit. Illud etiam, nos nullam aliam interpretationem sacræ scripturæ quærere aut admittere, nisi eam, quam ratio humana sibi congruam & idoneam probet, admodum imperitè dicitur. Bona enim & potissima pars est sacræ scripturæ, quæ nullam interpretationem requirit, sed simplicem assensum; qualis ea est, quæ fundamenta & principia Christianæ religionis tradit. Hæc enim ita in sacris literis consignata sunt, ut absq; ulla interpretatione quivis sanæ mentis ea intelligere possit. Deinde ubi interpretatione opus est, ibi nos non ratione principaliter sequendam dicimus, sed ex ipsis sacris literis earundem interpretationem petendam esse docemus, adeoq; ex ore magistri Spiritus Sancti toti pendemus. Et hoc utroq; hactenus ita omnes premi-*

ny adversarios, ut à S. literis partim ad rationem, partim ad authoritatem Patrum & Ecclesiae, tanquam ad sacram anchoram, tandem confugere turpiter cogantur. At dicet fortasse aliquis: Cur igitur toties objicitis, ea, quae à nobis afferuntur, cum ratione pugnare, & ideò rejicienda esse? Hoc verò ideò facimus, quia non uno modo sententiam vestram proscriptam esse & profligatam volumus. Nam quae sententia in S. literis non reperitur, nec ex ea deduci potest, nec denique cum ratione sana convenit, nae eam deploratissimam, perditissimam & fallacissimam esse necesse est.

Inertia deinde Frantzii crassa est valdè, & planè ἀθεόλογος, dum ita simpliciter ait: Ratio non intelligit mysteria Dei, imò ea summam judicat esse stulticiam. *Quae enim de ratione humana, divina revelatione nondum illustrata, dici tantùm possunt, haec ille de omni ratione humana, nempe de ea etiam, quae à Deo illustrata sit, non minùs inscitè quàm audacter pronunciat. Si ratio mysteria Dei non intelligit, quid igitur ea intelliget? Nonne rationalis, λογικὸς, cultus noster Christianus esse dicitur ab Apostolo, tum ob alias, tum ob hanc causam, quòd totus rationi ita sit conformis, ut jurè δόγμασι legis opponi possit?* Rom: 12. 1. *Nonne similitudinibus, vel parabolis ex ipsa ratione desumtis, praecipua Christianae religionis capita & mysteria, ipse D. Iesus exposuit? Nonne in peccatis, quae hominem polluunt, censetur etiam insipientia,* Mar: 7. 22. *quae aliud nihil est, quam nolle ratione uti, & intelligere ea, quae Deus per Dominum Iesum revelavit?*

Si dicat fortasse illud: animalis homo non percipit ea, quae sunt spiritus Dei. Stulticia enim illi est. *Respondebo,* 1. Cor: 2. 14. *non consequi ex eo, rationem non intelligere mysteria Dei. Animalis enim homo Paulo is est, qui rationem habet nondum illustratam revelatione divina, & qui est expers Christi & religionis ipsius: Nos verò dum dicimus, hominem beneficio rationis mysteria divina intelligere posse, de eo loquimur, cui Christi religio innotuit. Vt igitur ille, quae sunt Spiritûs Dei, non percipit, quia captum ejus naturalem superant; stulticia illi est, per afflictiones & mortem aspirare ad beatitatem & vitam: sic hic ea omnia optimè intelligit, & nihil rationi ea repugnare perspicit: imò, maximè eidem consentanea esse, judicat. Supra rationem est Christi religio: at non contra rationem. Itaque ratio recta tantùm valet*

tùm valet ad eam intelligendam, postquam revelata est, ut sine illa nemo particeps illius futurus sit. Et quæcunque rationi repugnant, ea certo certiùs falsa esse nemo dubitare debet. Nec parva lux magnæ contraria esse ullo modo potest.

Quod ad alterum attinet, calumnia iterum primùm est, nos Vet: Test: scripturas magis prœterire, & unicè urgere novi instrumenti libros. Tam enim has quàm illas urgemus, & tam ab illis quàm ab his aliena ea dogmata esse contendimus, quorum defensionem adversùs nos Frantzius suscepit. Quis enim ex Veteri Testamento homini sensato dogma Trinitatis, qualem credit Frantzius, quis filii prææternitatem, ut sic loquar, quis satisfactionis & meriti Christi commentum, & his similia ostendat? Certè Iudæi antiquitus omnibus istis scripturis fidem adhibebant: & tamen ista portenta prorsus ignorabant. Quid quòd non pauci viri docti, iique insignes Theologi senserunt, dogma Trinitatis, & alia in Veteri Testamento nullo modo fuisse revelata, sed reservata ad tempora Novi Fœderis? Quomodo igitur istas scripturas metuentes prætereamus, quæ ita pro nobis, testibus ipsis Adversariis, quasi militant? Deinde verò quid mirum, si is, qui Christianam religionem tractat, potissimùm urgeat locos N. Fœderis? cùm certum sit ex his potissimùm & principaliter illam demonstrandam esse: & quicquid ex Vet: Test: ad eandem affertur, id non tam ad confirmandam eam, vel fidem ei faciendam, quàm illustrandam & commendandam faciat? Suis enim propriis nititur Christiana religio τεκμηρίοις & principiis, nec alienæ opis ullo modo indiget: Et qui aliter de ea sentit, is hoc ipso prodit, se ejus majestatem nondum satis agnovisse. Frustra igitur sibi & aliis triumphum ante victoriam promittit Frantzius, etiamsi libros utriusq; instrumenti conjunxerint. Prodeant in aciem: promant ex S. literis quicquid velint, quicunque tandem sint, protinus in prima velitatione receptui canere, vel ad alienam authoritatem vel ad furias provocare eos oportebit.

His ita breviter dilutis, nonnè par pari reddere Frantzio, &, quod in nos innocentes congessit, regerere in eundem jure possemus, & ostendere quasdam quasi generales notas, quibus observatis in ejus Thesibus, facillimum sit perspicere, quid de illis statuendum

tuendum sit? Quòd nempe pleraque, quæ dicit in Thesibus suis, tam ad confirmandam suam, quàm ad refutandam nostram sententiam, ita nudè proponit, ac si esset alter a nobis approbatus Pythagoras, cui scilicet omnes assentiri cogamur. Quo sanè non mediocriter Pontificios in errore, nos verò in veritate confirmat, & causam suam suspectam utrisque reddit; Quòd puerilissimis & futilissimis conjecturis utatur pro quibusdam principiis: Trium, ait, fit mentio Esa: 93. Iehovæ, Angeli faciei ejus, & spiritus: Matth: 28, Patris, Filii & Spiritus S. Ergo sunt tres personæ Divinitatis, & una earum essentia; Quòd, cùm argumenta ei dissolvenda essent, jam hæc, jam illa nobis affingit, quæ nunquam diximus, ut ita, exosis nobismet ipsis redditis exosam etiam unâ operâ reddat nostram confessionem. Cujus rei exemplum in hac ipsius præfatione habes evidentissimum; Quòd cùm S. Scripturâ premitur, modò ad Patrum authoritates confugit. cùm tamen sciat, nos illis non stare, & ipsemet promiserit etiam, se nos eorum authoritate non pressurum; modò ad rationem. cùm tamen dicat, rationem mysteria Dei non intelligere: &, si rursus rationibus illius nostras opponamus rationes, dicit, eam nihil in religione valere, ut facilè appareat, quàm malæ caussæ patrocinatur. Hæc, inquam, & similia nonné jure possemus Frantzio regerere quæ, ut sunt manifesta, ita homine Theologo planè sint indigna! Sed nolumus, nec cum eo, nec cum aliis, cavillationibus certare. Malumus charitate & argumentis.

Quòd denique sub finem præfationis suæ spem concipit de reditu ad se Christophori Ostorodi, Iohannis Volkelii, & meo, in eo zelum agnosco: scientiam desidero. Mori fortassè mallet Frantzius, quàm ad Pontificiorum idololatriam redire: idem etiam de nobis, respectu suarum ecclesiarum, sentiat. Quin potiùs sperare juvat, Frantzium, si præjudicatis opinionibus valedicto, judicium ad ea, quæ a nobis afferuntur, solidum adhibuerit, & veræ pietatis studiosus esse perrexerit, tandem id etiam agniturum, quod ab eo nominati gentiles illius agnoverunt, & quod ipsâ suâ vitâ longè longéque carius habent. v. Hoornb. 1,225.

Catalogus diſputationum, quæ in hoc libro continentur.

REFUTATIO THESIUM WOLFGANGI FRANTZII D., DE TRINITATE.

Quæ eſt Diſputatio ipſius prima.

IN prima theſi ait, animum ſibi eſſe, articulos Chriſtianæ religionis præcipuos, ab aliis & a nobis (quos Antitrinitarios vocat) convulſos, theſibus ſuis vindicare, *idque* ſolummodò & unicè *ex ſcripturarum θεοπνεύστων majeſtate & fundamento, cum annexo tamen perpetuo Eccleſiæ S. Catholicæ teſtimonio & conſenſu, non verò ex rationis humanæ levibus inventis, & ex πατροπαραδότων variis effugiis*. Si *ſolummodò & unicè* ex ſcripturarum θεοπνεύστων majeſtate & fundamento, doctrina de Trinitate vindicari poteſt, quid opus eſt adhibere præterea Eccleſiæ teſtimonium & conſenſum, præſertim adverſus eos, qui eatenus tantùm fidem habent Eccleſiæ, quatenus ejus teſtimonium cum ſacris literis conſentit, & quibus certò perſuaſum eſt, eccleſiam illam, quam Frantzius ſanctā Catholicam appellat, multis in rebus graviſſimè erráſſe & errare. Produnt illi ſe, ut ſorices, qui, autoritate Eccleſiæ, ſuas exornare nituntur probationes. Ea enim ſic comparata eſt, ut nullus error ex illius teſtimonio demōſtrari non poſſit. Hic verò illud etiam addam, quòd faſſi ſint ipſimet pontificii, Trinitatis dogma, ex ſacris literis ſolis probari non poſſe: & tamen non minùs tractant illi ſacras literas, quàm Lutherani. Nec denique illud diſſimulabo, quod de Luthero literis proditum eſt, quòd vocem *Trinitatis*, averſatus fuerit. Vnde quis non immeritò colligere poſſit, eum fortaſſe in ipſa etiam re, aliquid ſaltem deſideraſſe. Porrò quænám eſt illa S. Catholica Eccleſia, cujus teſtimonium & aſſenſum ad fundamentum ſcripturarum annectit Frantzius? Si præter Patres & Doctores aliquid aliud intelligit, explicandum illud erat. Si Patres & Doctores pontificios, ut ex ſequentibus, cum illos intelligere, conſtat, cui fidem faciet, iſtos Patres ad ſe pertinere, quos tali & tanto jure ſibi vendicant pontificii, quanto Lutherani? Porrò, quomodo non ex levibus rationis humanæ inventis, vindicat Frantzius Trinitatis dogma, qui, niſi ratione niteretur, fruſtra id ageret, quod agit in hoc articulo Trinitatis, ut deinceps videbimus? Denique quomodo non ex variis πατροπαραδότων effugiis vindicat ſuum dogma,

Hoſius Cardinalis. VVujekus Ieſuita.

In poſtilla majori, ſuper Domin. Trinitatis.

gma, qui Patrum ecclesiæ Pontificiæ testimonio ac consensu, premere aliquem instituit? cùm certò constet, potissimam Patrum partem, Antichristiano quodam spiritu, multis in rebus, actos fuisse.

In 2. thesi sic precatur, *Horum autem conatuum Dux & gubernator esto æterni Patris æterne Fili, per æternum Spiritum sanctum.* At ubi mentio in sacris literis Patris æterni? Æternus est, qui Pater est: at non Pater æternus. Vbi mentio æterni Filii, nempe a tempore ante, ut loquuntur? Natus est Dei filius, mortuus, & resuscitatus. Ergo non ab æterno est. Æternus quidem Spiritus sanctus est. quia æterni Dei spiritus est: sed quomodo Deus idem est, qui Pater, siquidem Christus per ipsum, ut aliquid faciat, a Frantzio rogatur. Nonné hę sunt insolitæ & insolentes præter sacras literas, orationes & precationes?

In 3. thesi, quæ primam quæstionem continet, monet, *quòd de Deo disserere difficillimi sit operis.* Si de Dei id essentia, qualem sibi confinxerunt otiosi homines, intelligas, verum est; & nõ tantùm difficile, verùm etiam impossibile est, rectè de ea disserere: sed si de Deo, quatenus is se nobis patefecit, accipias, quomodo id difficillimi operis esse potest? Sinantur illa, & hæc tractentur sedulò ex sacris literis, & erunt omnia facilia. De Deo disserere facillimi est operis: at de Trinitate difficillimi. nam nec Deus est Trinitas, qualem hodie vulgus Christianorum somniat, nec talis Trinitas Deus.

In 5. thesi rationem affert unam istius sui pronunciati, nempe, *quòd scriptura de Deo pro captu nostro, cogatur uti vocabulis ex humanarum & mortalium rerum cursu & conditione petitis.* Hoc verò non est causam reddere ejus, cur difficile sit de Deo disserere. Imò hinc contrarium apparet, quia scilicet scriptura de Deo pro captu nostro loquitur, nos capere illud & disserere de eo posse. Falsum est autem, quòd porrò ait Frantzius, hominem divina capere non posse. nam
1. Cor. 2. 10. Spiritus Dei scrutatur etiam profunda Dei, teste Apostolo. Spiritus
Act. 5. 32. autem Dei datur hominibus Deo obedientibus & eundem orantibus.
Luc. 11. 13. modò divina ea non nominemus, quæ sunt vanissima hominum commenta, qualia sunt omnia de Trinitate monstrosa dogmata. Vocem *Iehova* esse ineffabilem, quod pro confirmatione assertionis suæ Frantzius affert, Iudæorum est commentum; ideoque ad rei demonstrationem afferri non debebat: & falso nititur fundamento, quòd scilicet Dei essentia illo vocabulo indigitetur, cùm potiùs voluntatis Dei immutabilitas eo indigitetur. ut etiam Brentzius ea de re eleganter loquitur, in Commentario super verba Exodi: *ero qui ero.*

Octava thesis est. *Essentia enim, persona, generatio, infinitas immensitasque præsentiæ, potentiæ, scientiæ, bonitatis, vitæ, in Deo infinitis*

cælis

cælis diversa & aliena est ab illo, quod in homine vocatur essentia, persona, generatio, potentia, scientia, bonitas, præsentia, vita, &c. Quòd ad essentiam, personam, & vitam attinet, unde probat Frantzius, ea esse infinitis cælis diversa & aliena ab illo, quod in homine vocatur essentia, persona, & vita? Ergo alia est rerum veritas apud Deum, alia apud homines? Quòd ad generationem attinet, eam in Deo propriè dari, falsum est & absurdum. Nam generatio propriè accepta, & unitas essentiæ numerica, contradictoria sunt. Ita, dum miscentur vera falsis, quemadmodum falsa in Deo inesse non possunt: sic etiam vera, in eodem diversa esse ab illis, quæ sunt in hominibus, astutè astruitur. Quæ verò generatio Deo tribuitur, ea ita comparata est, ut ab hominibus benè intelligi possit, dum scilicet Deus, vel miraculoso modo aliquid producit & gignit; ut in Christi nativitate contigit: vel res sibi dissimiles, similes facit per mutationem earum vel animi, quod nunc piis hominibus contingit, vel naturæ, quod jam Christo perfectè cōtigit, & omnib: fidelibus olim continget. Infinitatē porrò, immensitatemque præsentiæ, potentiæ, scientiæ, bonitatis in Deo, infinitis cælis diversam esse & alienam ab illo, quod in homine vocatur præsentia, potentia, quid mirum est, si ea quæ in homine insunt, omnia sunt finita, quæ verò in Deo sunt infinita? Et tamen, ista omnia, quæ thesibus his continentur, habentur pro oraculis. Nolo nunc perstringere errores de infinitate immensitateque præsentiæ Dei, qualem sibi somniant Lutherani. De hac enim quæstione cum aliis etiam illis res est. Non nescimus etiam, quo sensu de Deo dici debeat infinitas & immensitas potentiæ. nam quæ naturâ suâ impossibilia sunt, ea nec ipsum Deum facere posse, omnes sani Theologi & Philosophi etiam concedunt. quod idem etiam de infinitate & immensitate scientiæ statuendum esse, jam demonstratum est in Prælectionibus Theologicis Fausti Socini, de quo infrà sub finem hujus libri. Bonitas, siquidem pro justitia & rectitudine accipiatur, in Deo est æterna & perpetua, & infinita etiam dici potest, quatenus Deus semper illâ utitur in omnibus suis actionibus, & ab ea nunquam deflectit: At, si pro misericordia eadem accipiatur, quomodo infinita est & immensa? cùm, etsi Deus multorum misereatur, tamen non semper illud faciat, & quod semel facit, non semper duret: & ad id, ut ista Dei bonitas exexerceatur, opus sit hominis erga Deum summâ observantiâ, alioquin infinita Dei bonitas nunquam ei continget?

Generatio qualis in Deo detur.



Thesis nona est. *Unde plurimùm decipiuntur, qui essentiam, præsentiam ejusdem in omnibus locis, omniscientiam, tres personas in essentia divina, generationem Christi ex essentia Patris, processionem Spiritus*

sancti, ex essentiæ, præsentiæ, potentiæ, scientiæ humanæ modulis, & ex personis hominis æstimant. At essentia & præsentia Dei in omnibus locis (nempe talis qualem sibi fingit Frantzius) nulla datur. Nec enim frustra Deus in cælis esse dicitur. Tres personæ in essentia una, crassum sunt hominum commentum. omnis enim persona substantia est. Generatio Filii ex essentia Patris, unum est ex ἀδυνάτοις, ut in animadversione in thesin 8. docuimus. Processio Spiritus sancti, nempe personalis, fabula est. Nec enim persona a persona naturaliter & perpetuò procedere potest. Quæ omnia alibi a nostris demonstrata sunt fusissimè. Quomodo igitur possunt æstimari ex rebus qualibuscunque? Sic ii disputant, qui neminem Antagonistam habent, & quod est in principio, liberè petunt: non verò ii, quibus cum hominibus sensatis res est.

In thesi 10. docet, sensus nostros sobriè sub sacræ scripturæ τὸ ῥητὸν captivandos esse. Hoc nos audimus, & admittere parati sumus. non quod ratio nostra contraria sit τῷ ῥητῷ sacrarum literarum: sed quia sacra scriptura sit supra rationem & sensus nostros.

In 14. thesi, *Deus Spiritus* definitur, quòd sit *essentia invisibilis*, &c. & tamen de Deo tantùm instituta erat disputatio. Duo autem definita in una definitione collocare, nescio quæ Logica doceat.

Titulus 25. thesis vel tertia quæstio est: *Quòd Deus, quoad essentiam unus sit.* In hoc titulo inest petitio principii. Tacitè enim præsupponitur, dari aliam Dei considerationem, cujus respectu non sit unus. Cùm tamen Deus unus esse dicatur ἁπλῶς & simpliciter, nempe tam respectu essentiæ, quàm personæ. Et licet dici possit, sacras literas nos docere, Deum unum esse quoad essentiam: hoc tamen non ita intelligendum est, quasi alio respectu Deus non sit unus, quod Frantzius affirmat. nam ex mente, ut rationis, sic etiam sacrarum literarum, tot sunt essentiæ, quot personæ: & tot personæ, quot essentiæ rationales, ita, ut dum dicitur, Iehovam esse Deum, & non esse alium præter eum, hoc tam de persona, quàm de essentia Dei accipiendum sit. Præterea testimonium ex 1. Cor: 8. allatum, non tantùm affirmat, unum esse Deum, sed eundem etiam, qui unus tantùm Deus est, exprimit Patrem illum, ex quo omnia & nos in illum. Iam si unus Deus nobis est Pater ille, ex quo omnia & nos in illũ, certè persona Patris est ille unus Deus: & qui Pater ille non est, ex quo omnia, & nos in ipsum, non est etiam nobis unus ille Deus; & cùm Trinitas non sit Pater, ex quo omnia, & nos in ipsum, non potest etiam esse verus ille unus Deus.

Quarta

Quarta quæstio est, *de tribus personis in divinitate*. Thes:26. *Porrò, in divina essentia tres personas nobis numerat & enunciat divinissima scriptura. Esa:63.7, 8, 9, 10. Matth: 28.19. & alibi sæpissimè.* Hîc, quia tantùm affirmat Frantzius, quod sentit, nihil verò probat, expectemus paulisper, donec probationem hujus rei aggrediatur. Et quod ad primum testimonium attinet, accuratè illud paulò inferiùs considerabimus, ubi dogma suum de tribus personis ex eo deducere conatur. Ad alterum verò, quia pauca omnino de ea & obscurè infrà disserit, aliquid hîc respondebimus. Locus Matthæi affirmat tantùm, homines in nomen Patris, Filii & Spiritus sancti baptizari debere: sed Patrem, Filium & Spiritum sanctum, singulos, personas divinas, eo sensu, quo Frantzius hoc intelligit, esse, id neque verba testantur, neque ulla ratione vel consequentiâ demonstrari potest. Fatemur, Patrem esse personam divinam, eumque solum talem esse, qui a seipso extiterit. Filium personam esse non diffitemur, eamque divinam: sed longè diversa ratione, quàm quâ Pater est persona divina. Christus enim quantus quantus est, a Deo Patre omnia habet, & quicquid eum divinum efficit, id totum beneficentiæ Patris attribuendum est. Spiritum verò sanctum personam esse, nullis unquam sacrarum literarum testimoniis, nullis ex iis desumtis rationibus, nulla denique rei verisimilitudine doceri potest: Imò in promptu sunt argumenta inexpugnabilia, quibus doceri potest, Spiritum sanctum personam nec esse, nec esse ullo modo posse, quæ jam a nostris alibi explicata, & nuper a me etiam defensa sunt. Ad Trinitatem verò adversariorum constituendam opus est, ut & Spiritus sanctus sit persona, & Filius talis persona, qualis est Pater per omnia.

Sententia de Patre, Filio & spiritu sancto vera.

In sequentibus thesibus, 27, 28, 29, 30. somnia Athanasii recitat Frantzius, non sancta oracula: Nos verò solos Apostolos pro doctoribus fidei agnoscimus.

Thesis 31. est. *Ratio autem humana non potest assequi, quòd personæ divinitatis realiter distinctæ sint, & quòd tamen essentiâ unum sint; sicut in baptismo jubemur baptisari non in nominibus, sed in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti, & Christus de se dicit, Ioh. 10.30. Ego & Pater unum sumus. Item Iohan. 14.10. ego in Patre sum & Pater in me.* Imò ratio humana potest assequi, quòd in una numero Dei essentia, plures unâ personæ esse nequeant: & si id ratio assequi non posset, necesse esset sacras literas id affirmare, quod ratio non assequatur. nam ubi ratio deficit, ibi divina nos juvent necesse est oracula, in fide. Alias si & ratio reclamet, & sacræ literæ taceant de aliqua re, proculdubio ea ficta est. Loci verò allegati nullo modo docent, personas

esse in divinitate realiter distinctas, & tamen easdem essentiâ unum esse. Nam, nec sola mentio Patris, Filii & Spiritus sancti docet, Filium & Spiritum sanctum esse personas divinas realiter distinctas, ut suprà demonstratum est; nec verba *In nomine* (in Græco est, *In nomen*) docent, Patris, Filii & Spiritus sancti eandem esse essentiam. non enim quia horum trium una sit essentia, dictum est non *In nominibus*, sed *in nomine* vel *in nomen*: Sed quia ita elegantia & brevitas sermonis requireret, vel saltem pateretur, de quo infrà thesi 136. plura. Quicquid sit, nisi firmis rationibus doceat Frantzius, verba ista *In nomen*, hoc tacitum, ex mente ipsius, mysterium, ex nostra verò commentum, continere, nihil aget. Hoc verò quis sanæ mentis crediderit, ideò Christum dixisse, quòd ipse & pater unum sint, quia unum sint essentiâ? Itané posito genere, species ponitur affirmatè? Ergo cùm di-
Joh: 17. 21. citur, fideles unum esse, sicut unum sunt Pater & Filius, concludendum erit, eos unum esse essentia? Denique, quis unquam ex eo, quòd Christus in Patre sit & Pater in Christo, colligat, personas divinitatis numero distinctas, & easdem tamen essentia unum esse? cùm etiam
1. Joh: 4. 16. de Christianis dicatur, eos in Deo esse & Deum in illis, qui tamen nec personæ sint divinitatis, nec essentiâ cum Deo unum.

Thesis 32. ait: *Non enim unus est Deus aliqua unitate rationi humanæ nota*, &c. Imò verò rationi nota. Nam Deus Pater, qui solus est verus Deus, unus est numero. Hæc verò unitas rationi maximè nota est. Deus & Christus non sunt unus sed unum, idque vel voluntate vel potentia vel utroque simul. Pater, Verbum & Spiritus sanctus non sunt etiam unus, sed unum, (si modò testimonium illud 1. Joh: 5. non est corruptum, quod etiam Lutherus omisit) idque consensu, ut Spiritus aqua & sanguis unum sunt.

In thesi 34. refutaturus errorem Sabellii ait, *Cùm item absurda futura esset invocatio Patris, Filii, ac Spiritus sancti in baptismo, nisi tres realiter distinctæ essent illæ personæ, utique verè & realiter personas divinitatis inter se distingui necesse est.* Sed, nec ulla invocationis in baptismo, in nomen Patris, Filii & Spiritus sancti mentio fit, nec ex verbis illis concludi ea ullo modo potest. Datur enim baptismus in aliquam personam absque ejus invocatione, ut apparet ex eo, quod
1. Cor: 10. 2 Paulus ait, Patres fuisse baptisatos in Mosem, quem tamen certum est a Patribus non fuisse invocatum. Deinde, etiamsi in baptismo, in nomen Patris, Filii & Spiritus sancti contineretur invocatio, non protinus ex eo, quòd quid invocatur, sequitur, illud esse personam divinam, qualem scilicet Frantzius intelligit. Potest enim is etiam invocari, qui humana sit persona, modò constet, eum divinâ præditum esse poten-

ſe potentiâ, quod de Ieſu Nazareno nemo Chriſtianorum negat. Hæc verò non ideo dico, ut Sabellium defendam, ſed ut, quàm infirmis utatur ratiunculis Frantzius, oſtendam.

In theſi 35. ait: *De Deo autem non eſt aliter ſentiendum, quàm ſicut ſeſe in ſuo verbo ipſe patefecit.* Iam ergo probet Fr:, Deum ſeſe trinum in perſonis & unum in eſſentia in verbo ſuo patefeciſſe, & vicerit.

Theſis 36. talis eſt. *Licet autem in ſcripturis interdum una tantùm compelletur perſona, reliquæ tamen duæ non excluduntur, ſed cum illa etiam in illa perſona adeſt & compellatur unus verus Deus & æternus, tota ſacroſancta Trinitas, Pater, Filius & Spiritus ſanctus.* Ergo cùm Chriſtus ait, de die judicii nemo ſcit nec angeli, nec filius, ſed ſolus Pater, totam Trinitatem intellexit? Quid verò eſt contradictio, ſi hoc non eſt? nec filius: & tamen filius. ſolus Pater, & tamen non ſolus, ſed filius & Spiritus ſanctus. Item, cùm Paulus dicit, nobis eſſe unum Deum Patrem, intellexit etiam Filium & Spiritum ſanctum, etiamſi Filius & Spiritus ſanctus non ſint Pater? Apage iſtam matæologium, quâ dum homines ſunt occupati, ipſi quid affirment, neſciunt. Mar: 13.32. 1. Cor: 8. 6.

Theſes 37, 38, 39, 40, 41, 42. aliud nihil ſunt, quàm nudæ aſſertiones Frantzii, de diſtinctione trium perſonarum inter ſe, quæ tanto animo a nobis negari poſſunt, quanto ab illo affirmantur.

Theſi 43. de generatione Filii ex Patre ea dicit, quæ nec cum ratione convenire ipſemet affirmat theſi 45, nec ullo ſacrarum literarum teſtimonio comprobat. Ergò quid de illis ſtatuendum ſit, pius lector judicet. Ait, Deum filium generare ex eſſentia, & totam ſuam eſſentiam Filio communicare. Hoc ſi ita eſt, quomodo Filius non erit Pater? cùm eſſentiâ Pater id ſit, quod eſt. Vel, ſi Filius Pater non eſt, & tamen habet totam eſſentiam Patris numero unam, quomodo non erunt duo Dii, ut ſunt duæ eſſentiæ divinæ? En labyrinthum.

Theſi 47. ait, *Reliqua de modo generationis Filii ex Patre, quia ſacra ſcriptura nobis non eloquitur, nos quoque pio ſilentio venerari diſcamus.* Quænam verò ſunt iſta reliqua, quæ ſacra ſcriptura nobis non eloquitur? Quomodo verò ea venerari poſſumus, quæ nobis ſacra ſcriptura non eloquitur? Nonné qui hoc affirmat, religionis ſuæ prodit pudendam falſitatem?

Theſi 48. ait: *Spiritus ſancti æternam ex Patre & filio proceſſionem confitemur. Vtriusque ſiquidem Spiritus dicitur, & ab Athanaſio Græco in Symbolo, & in Synodo Conſtantinopolitana ab utroque procedere ſcribitur.* Quæ verò hæc eſt conſequentiæ ratio, Spiritus ſanctus dicitur Patris & Filii Spiritus. Ergò a Patre & filio ab æterno procedit? Nonné hîc tacitè ſumitur, Filium fuiſſe ab æterno? Quomodo enim ex

nim ex Filio ab æterno procederet Spiritus sanctus, si filius ab æterno non esset? Deinde, unde constat, Spiritum sanctum ideo Dei appellari, quia ab eo procedat, ut persona, & non potiùs, quia in Deo resideat, vel quia a Deo detur? Quis unquam audivit, personam a persona procedere ab æterno? Tum, etiamsi Spiritus sanctus Christi spiritus appelletur, undenám constat, eum ideo sic appellari, quia similiter Christi sit, ut Dei est? Nonné Christi appellari potest, vel, quia aliquid 1. Pet: 1. 11. Gal: 4. 6. de Christo testetur, vel, quia Christus eum possederit, ut ex locis in margine notatis apparet: Dei verò, quia ab illo procedat? Præterea, etiamsi eodemmodo Christi esset Spiritus sanctus quo Dei, quemadmodum facilè id concedi potest, quatenus scilicet is in Christo habitat, Dei gratiâ, & quatenus eum Christus aliis etiam largiri potest, quis propterea ab æterno illum a Christo procedere, & ita procedere ut personam, ex his loquendi formulis colligere audebit? Egregia denique est ratio confirmandi aliquid autoritate Athanasii & Synodorum, quod sacris literis probari ne per speciem quidem possit.

Thesis 49. est. *Ipsam autem processionem quod attinet, nos illam intelligimus, quòd Pater & Filius communicando suam eßentiam spirant ex se non distinctam & separatam eßentiam, sed personam à se distinctam, quia Spiritus sanctus eßentialiter in Patre & Filio manet.* At ubi sacrarum literarum autoritas? ubi τὸ ῥητόν? Absurdum, ἄλογον & ridiculum commentum decantare, hocciné est Theologiam tractare, & non potiùs sacrosanctam Christi religionem omnibus ejus hostibus jure ridendam & exsibilandam prostituere?

Thesis 50. est: *Hæc autem eßentiæ communicatio non vocatur generatio, nec ingeneratio, sed processio; quia scriptura eam nobis non nominat aliter*, &c. At quid causæ subesse potest, si communicatio essentiæ Patris cum Filio dicitur generatio, cur non eodem etiam modo ista communicatio essentiæ Patris & filii cum Spiritu sancto dici possit generatio? At scriptura aliter non nominat? Vbi verò scriptura tale quid de Spiritu sancto testatur, nedum ut aliter non nominet. Fortassis illud dicet, Ioh: 15.: *Cùm autem venerit Paracletus, Spiritus veritatis, qui à Patre procedit.* Atqui hîc nulla æternitatis mentio; nec eadem processio Christo etiam tribuitur, sed soli Patri; nec Spiritum sanctum, ut personam procedere affirmatur. O audaciam hominum in configendis erroribus, & ex unica vocula malè intellecta tam monstrosas deducendi opiniones! Nonné enim ideo dici potest Spiritus sanctus a Patre procedere, quia dona illa Spiritus sancti Patrem supremum & primum habeant autorem, & plana erunt omnia?

In sectione sexta, thesis 55. est. *Cæterùm de illis, quæ à sacris literis memoran-*

memorantur, unius essentiæ tribus personis, semper, inde post incarnatum λόγον, cum multis variis sectis πόλεμον ἄσπονδον, coacta fuit, & adhuc continuare necessum habet, vera Ecclesia. Vbi sacrarum literarum autoritas sola & unica? ubi τὸ ῥητὸν earum de λόγῳ incarnato? Logi sunt, quicquid de illa monstrosa sententia sentiunt hodie plerique, quod nec ullo sacrarum literarum testimonio, nec ratione valida aut probabili demonstrari potest: & tamen ita confidenter affirmat hoc Frantzius, ac si id a nemine negari possit. Quæ verò scriptura testatur, ecclesiam Iesu Christi πόλεμον ἄσπονδον coactam fuisse continuare a Christi nativitate, cum variis sectis, de iis, quæ de tribus unius essentiæ personis a sacra scriptura memorãtur? Quasi jam certum sit, ab initio ecclesiæ Christi eam passim fuisse de Deo sententiam, quæ hodie viget Antichristi astutiâ: quasi demonstratum sit, esse tres in una essentia personas, & id testari sacras literas? Hem, quid non jubeat scribere præjudicata opinio & mens excæcata!

Thesis 56 est: *Dimissis autem veteribus omnibus λογομάχοις & πνευματομάχοις, nunc de recentissimis hæreticis, qui nobis hodie religionis Christianæ fundamentum solidum loco suo movere, ac penitus subruere atque destruere magno zelo magnoque ausu laborant, agemus.* Si eos λογομάχους appellat & πνευματομάχους Frantzius, qui ea, quæ de logo, hoc est, de Dei filio, & Spiritu S. hodie sentit vulgus Christianorum, impugnant, verbis tantùm ludit. Non enim adversus filium Dei & Spiritum S. pugnat is, qui negat, filium Dei esse eundem Deum qui Pater est, & Spiritum S. esse personam divinam. sed adversus humanas, de Filio Dei & Spiritu S. opiniones, non tantùm extra & contra τὸ ῥητὸν, verum etiam τὴν διάνοιαν sacrarum literarum, confictas. Quo verò jure nos pro hæreticis proclamare potest Frantzius? Pro hæreticis se proclamari a Pontificiis indignè ferunt Lutherani: & ipsimet alios hæresis fulmine percutiunt, quos multò minùs erroris convincere possunt, quàm Pontificii illos. Sed a quo illi spiritu proficisci putant istam hæresis insimulationem in Pontificiis, ab eodem etiam in sese eandem proficisci judicent. Quantò rectiùs facerent, si memores essent Pauli dictorum, *Tu quis es, qui alienum servum judicas? Domino suo stat aut cadit. Potens est autem erigere eum* &c. Rom: 14.4. Quos verò hæreticos proclamat Francius, illi non religionis Christianæ fundamentum solidum loco suo movere, & penitùs subruere & destruere magno zelo magnoque ausu laborant: sed cassum illud & ociosum ædificium, quod hactenus pro fundamento fuit habitum, concutere non tantùm laborant, sed jam bona ex parte con-

 cusserunt,

cusserunt,& eorum operâ Deus,alto suo consilio,quicquid ad cognitionem Dei & Iesu Christi veram,aliunde assutum est,universo mundo patefaciet, & per ea, quæ non sunt,abolebit ea,quæ aliquid sunt, ut nemo in carne glorietur, sed qui gloriatur, in Domino glorietur. Propediem exsibilabitur ista absurdissima simul& falsissima de Dei essentia opinio: Propè est, cùm inter omnes obtinebit unius Dei Patris & Iesu Christi filii Dei, nati ex virgine Maria, gloria; & denuò solus Deus Pater, & Iesus Nazarenus, solennibus gratiarum actionibus in omnibus Ecclesiis celebrabuntur. Ea futura est existimatio de Trinitatis dogmate,qualis est hodie,inter omnes Evangelicos,de Missa pontificia, de purgatorio, & aliis hujusmodi nugis. Vnum enim hæc omnia autorem habent, Antichristum scilicet. Denique interrogabo Frantzium,quomodo Papa sit Antichristus,si idem fundamentum religionis habeat cum Evangelicis?

Thesi 59. & 60. affingit recentissimis Arianis, *quòd negent Spiritum scilicet esse æquè æternum ac Pater est, vel quod post λόγον in tempore genitum, tandem etiam Spiritum sanctum; sed iterum non ab æterno, verùm ante mundi conditionem propagaverit.* Hæc equidem nunquam de Arianis legi: & certè ita nova sunt, ut, nisi Frantzius testimonia adhibeat hujus rei,crimen calumniæ non sit effugiturus.

Thesis 65. initium tale est: *Hæc fuerunt inprimis Photini quondam blasphemi hæretici κεκρτόμενα blasphemata*,&c. Videri voluit Frantzius,se nos humanissimè tractâsse, ut ex literis illius,ad amicum meum datis, perspexi,& tamen,quomodo se gerat adversus nos, & eum, cujus nos complices facit, considera benevole lector. Photinum hæreticum blasphemum appellat. Cujus verò judicio damnatum? Certè non Apostolorum, sed, qui tunc rerum potiebantur, episcoporum, qui postea in pontificios degenerârunt. nam ea, quæ tunc gerebantur, ab aliis fuisse gesta, non facilè alicui persuaserit Frantzius. At illi ipsi pontificii etiam vos Lutheranos habent pro hæreticis. Ergo tu ipse etiam hæreticus es cum tuis. Quomodo igitur alium jure potes ita tractare? Rationibus homines ducendi sunt, non conviciis premendi in omni controversia, maximè verò in religionis negotio.

Thesi 70. docet, *nos Photinianos appellandos esse, quia nostra de Christo sententia conveniat cum sententia Photini*, idque testimonio Ostorodi confirmat. Sed,si hoc licebit,equidem multorum hæreticorum, adeoque ipsorum pontificiorum infamiam Frantzio inurere potero. Multa enim sunt,eaq; fundamenta religionis,ex mente Frantzii, in quibus idem cum multis, quos hæreticos hodie appellant, &

cum

cũ ipsis pontificiis sentit. Sic solent agere illi, qui res sacras parum graviter tractant, & alienæ infamiæ student. Si Photinus verum sensit, Christianus fuit, & ideo nos unâ cum eo ad Christum appellamus. Quid est Photinus? quid alii? nisi servi Christi. Christus est Dominus noster: ab eo nominari gaudemus omnes.

In thesi 73. ait, *tela nostra directa esse potissimùm ad tollendā & subvertendam solam, solam, solam, æternitatem filii Dei.* Non opus est id tollere, quod non est. Non conamur igitur tollere Filii Dei æternitatem, sed commentum vestrum de Filii Dei æternitate oppugnamus, & jugulum istius petimus. Illud verò quàm puerile est, *solam, solam, solam!* quasi semel *solam* dixisse non sufficiat: & tamen non solam istam ab aliis confictam, a vobis verò hactenus defensam, Filii Dei æternitatem impugnamus, verùm etiam id, quòd in una Dei numero essentia statuitis tres personas; & quod Spiritum S., qui in Deo naturaliter inest, personam esse non minùs imprudenter asseritis, & quòd denique duas in Christo naturas, miro & vano modo voce *naturæ* accepta, confingitis. Nec verum est, quod thesi 74. Frantzius, nescio quâ conscientiâ affirmat, *nos, si æternitas filii Dei demonstrari posset, statim Trinitatem in unitate credituros & adoraturos.* Posset enim Cristus esse æternus, & tamen non esse idem Deus, qui Pater est: Sed potius duo Dii statuerentur, quod quidem absurdum est. Sed & in hoc incidere posset aliquis. Præterea, nisi probaretur, Spiritum S. esse personam, etiamsi tandem constaret, de æternitate filii Dei, quomodo Trinitatem in unitate (qualem credit Frantzius) credere & adorare possemus?

Thesis 77. talis est. *Æternitatem quod attinet, nullum dari potest exactum vocabulum Hebraicum, quod ἀκριβῶς exprimeret, Deum eße omnis initii & finis expertem, ita ut nunquam cœperit, nunquam desinat.* Thesis 78. *Utcunque autem pro nostro intellectu scriptura determinat æternitatem Dei duobus modis.* 1. *Quòd fuerit, antequam terra fieret, cùm nondum eßent abyßi, nec fontes aquarum, nec montes, nec colles.* 2. *Quòd non exprimit ullum tempus, quo cœperit unquam.* Thesis 79. *Quapropter, si de Christo probatum fecerimus.* 1. *ipsum fuiße ante Mariam, ante Mosen, ante Abrabam, & ante alios Patres, ante initium conditi orbis.* 2. *ipsum nunquam accenseri, sed separari ex censu creatarum substantiarum, hoc est, ipsum nunquam perhiberi a scriptura, quòd vel fieri vel creari cœperit, omninò consequens erit, ipsum omni carere principio, eße increatum, atq; adeo eundem cum Patre verum Deum.* Hîc, quia vires & nervos ingenii sui adhibet Frantzius, diligenter inspiciendum est, quodnám sit robur argumentorum ejus. Quod ut

clariùs appareat, formemus argumenta illius, quorum primum tale eſt. De quo dicitur eum fuiſſe ante Mariam, ante Moſen, ante Abraham, & ante alios Patres, ante initium conditi orbis, ille eſt ab æterno. At de Chriſto dicitur illud totum. Ergo Chriſtus ab æterno eſt. Probationem aſſumtionis videbimus poſtea. Nunc, quia majorem negari poſſe prævidit Frantzius, videamus, quomodo eam probet. Probatio eſt. Quia, quando de ipſo Deo Patre dicitur, eum fuiſſe antequam terra fieret, cùm nondum eſſent abyſſi, nec fontes aquarum, nec montes, nec colles, per id ſignificatur, eum eſſe ab æterno. At totum hoc elumbe eſſe, quis non videt? Primum enim planè incertum eſt, æternitatem Dei ita deſcribi. Poſſunt quidem iſta de Deo prædicari, qui æternus eſt: ſed non ſtatim ideo prædicantur de eo, quia æternitatis ipſius ſint argumenta. Nam, niſi aliunde conſtaret, Deum eſſe æternum, vel ab æterno, nunquam iſtiusmodi loquendi modis id evinceretur. Deum verò ab æterno eſſe, etiamſi quoad literam nusquam fortaſſe ſcriptũ extet, ita docet ratio ipſa, ut, niſi æternus ſit, Deus etiã eſſe nequeat, nempe ſummus. Quanquam ibi id expreſsè dictum eſſe, jure cenſeri poteſt, cùm Deus dicitur æternus. Hæc enim vox tam eam, quæ a tempore (ut loquuntur) ante, quàm quæ a tempore poſt æternitatem ſignificat. Deinde manifeſta eſt conſequentis fallacia. Non enim, ut de eo, qui æternus eſt, jure dici poteſt, eum fuiſſe antequam terra fieret, &c. ſic viciſſim de eo, qui fuit antequam terra fieret, &c. dici poteſt, eum fuiſſe ab æterno. Nonnè enim Angeli fuerunt antequam terra fieret, & mundus crearetur? In ipſo enim mundi initio, jam tum aderat Diabolus primis parentibus. Hunc verò eodem momento creatum & damnatum fuiſſe valdè abſurdum videtur, & tamen æterni non ſunt? Nonné etiam Arius concedebat, Chriſtum vel filium Dei fuiſſe, antequam terra fieret, & mundus crearetur, & tamen ab æterno eum eſſe pernegabat? Erat enim, ajebat, tẽpus, quando non erat. Alterum argumentum ita eſt infirmum, ut ſeſe ſuſtinere nequeat ullo modo. De quo ſcriptura non perhibet, quòd vel fieri vel creari cœperit, de eo concludi poteſt, ipſum carere omni principio, eſſe increatum, atque adeo eundem cum Patre verum Deum. Chriſtus eſt talis. Ergò. De minore item poſtea videbimus: nunc majorem videamus. Probatio majoris talis eſt. Quia ex eo, quòd ſcriptura non exprimit ullum tempus, quo Deus cœperit unquam, colligitur Dei æternitas. At ego nego, illud, quòd tempus non exprimatur, quo Deus cœperit, argumentum eſſe Dei æternitatis: & certè novum eſt, ex teſtimonio negativo aliquid velle concludere. Nonné enim fieri poſſet, ut aliquis certo tempore cœpiſſet, idque ex certis con-

tis constaret rationibus, & tamen illud scriptura non exprimeret propter hoc ipsum, quia neminem tam bardum futurum creditum fuerit, qui hæc negaturus esset. Et hîc iterum oppono illud de Angelis. Nam de his nihil expresse testantur sacræ literæ, quòd vel fieri vel creari cæperint, & tamen nemo credit, eos carere principio, esse increatos, *atque adeo*, ut ineptissimè addit Frantzius, *eundem cum Patre verum Deum.* Vidit scilicet, nondum rem confectã esse, etiamsi constet, Christum omni principio carere, & increatum esse. nam hac ratione duo Diiæterni constituerentur, ideoque hæc verba addidit, sed quàm ineptè, judicent alii. Novo enim argumento ad demonstrandum, eum, qui careat omni principio, esse eundem cum Patre verum Deum, opus esset, nec vocibus, *atque adeo* saltus iste tegendus erat. Et hactenus de argumenti hujus principalis propositione, vel majore. Videamus probationem minoris.

Sic igitur thesis habet 81. *Illustrissimum de tribus personis subsistentibus in una eademque Deitate, monimentum nobis reliquit Esaias cap: 63. v: 7, 8, 9, 10, 11.* Antequam ulteriùs progrediar, monendus est lector benevolus, Frantzium aliud concludere, quàm probandum susceperat. Nam pro eo, quòd docere debebat, Christum fuisse ante Mariam, ante Mosen, &c. & a scriptura nunquam perhiberi, quòd vel fieri vel creari cæperit, incipit docere, tres esse in una divinitate personas. Qua in re an leges disputandi observaverit, ipsemet judicet. Sed videamus ipsam probationem.

Thesi 83. testimonium Esajæ recitat, v: 7. *Miserationes, inquit,* IEHOVÆ *repetam, laudes* IEHOVÆ *pro omnibus, quæ cõtulit nobis* IEHOVA, *& multiplex bonum domui Israel, quod contulit eis secundùm misericordiam suam, & secundùm multitudinem miserationum suarum.* v: 8. *Dixit autem, Verè populus meus sunt filii, qui non mentientur, & fuit eorũ servator. 9. In omni angustia eorum non fuit* EI *angustia, ut* ANGELUS FACIEI EIUS *salvos eos fecit, propter amorem suum & propter indulgentiam suam redemit eos, portavitque eos & tulit cunctis diebus seculi.* 10. *Ipsi autem rebelles & irasci fecerunt* SPIRITUM SANCTUM EIUS, *ideo conversus est eis in inimicum, & ipse pugnavit contra eos,* &c. Thesi 84. sic infert ex hoc testimonio. *In hoc igitur loco fit mentio trium, quæ sunt, Iehova, Angelus faciei Iehovæ, & Spiritus sancti Iehovæ.* Hæccine est tamdiu expectata probatio trium personarum in una divina essentia? Quem verò non commoveat, aut saltem cui non doleat, tanta hominum in pronunciandis rebus, ne per speciem quidem probatis, audacia? Fit mentio trium. Ergo tres sunt personæ. Quæ connexio? quæ consequentia? Hoc ut ut tolerabile sit, illud, quo-

modo hinc concludetur; Fit mentio trium. ergo tria illa sunt (nã sic ipse etiam Frantzius loquitur, dum ait trium, nõ *qui*, sed *quæ*) tres personæ in una Dei essentia. Arrigite aures studiosi Academiæ Wittebergensis, & soliditatem fundamenti, super quod dogma Trinitatis vestræ superstructum est, mecum perpẽdite. Si hoc est illustrissimum de tribus personis in una eademque divinitate subsistentibus, monumentum, quid de aliis minùs illustribus sperandum erit? Non negamus, mentionem fieri Iehovæ, angeli faciei Iehovæ, & Spiritus sancti Iehovæ: sed negamus, 1. angelum faciei Iehovæ, esse filium Dei. 2. negamus, etiamsi angelus is esset filius Dei, eum esse talem personam divinam, qualis Pater est. 3. negamus, Spiritum S. esse personam. 4. negamus denique, hos tres vel hæc tria, esse unam illam Dei essentiam. Hæc omnia ad statuendum illud Trinitatis, qualem credit Frantzius, dogma pertinent: Horum verò nihil hîc continetur: horum nihil ex loco adducto probatur. Apparet, Frantzium nunquam cum illis vel collocutum fuisse, vel etiam congressum per scripta, quos tantopere insectatur. Nunquam enim hoc testimonium attulisset, quo sanè nihil infirmius excogitari potuit ad conficiendum id, quod in quæstione est. Frustra igitur tantopere laborat in demonstrando, quòd, Angelus iste faciei Iehovæ, sit ipse Christus. Nam hoc licet confecto, nondum tamen Trinitas ista effecta est, cujus hoc testimonium, illustrissimum Frantzius nonumentum appellârat. Quanquam nec illo quidem feliciter perfungitur. Quod enim ad locum hunc attinet, quis non manifestè videt, de angelo, hoc est, legato a Deo misso sermonem esse, cùm dicit, *faciei ejus*, hoc est, ut Vatablus, minimè hac in re suspectus & linguæ hebraicæ peritissimus, & in explicandis sacris literis doctissimus annotat, *missus ab ipso, vel unus ex angelis eius, qui solent in oculis illius stare expectantes quid jubeat:* cum quo etiam facit Calvinus, qui ita super hunc locum commentatur, *Angelus faciei, hoc est, quem emittit Dominus à facie sua, ne putemus angelos prodire à seipsis, aut proprio motu sese ingerere, ut opem nobis ferant: quia Dominus utitur operâ eorum, & præsentiam nobis per eos declarat. Angeli nihil ex se possunt, nec opem ferunt, nisi quatenus eos emittit Dominus, ut sint ministri nostræ salutis* &c. Idem etiam sentit hoc de loco Oecolampadius, licet alterum etiam sensum de filio Dei addat. Nec dubito, quin idem sentiant magis sobrii ex Evangelicis; quanquam hac de re nihil audeo affirmare, destitutus nunc illorum libris. Et sanè mirum est, eos, qui credunt, Christum esse eundem Deum qui Pater est, per angelum faciei Dei, ipsum intelligere, cùm hoc proculdubio aliquid longè minus Deo denotet, & ex eo, quòd quis

Quænam ad probandum Trinitatem requirũtur.

Vatabli testimonium de angelo faciei Iehovæ.

Calvini.

Oecolampadii.

quis angelus faciei Dei nominatur, apertissimè concludi possit, eum nullo modo esse Deum eundem, cujus faciei angelus est, nisi forte quis sui ipsius angelus esse possit. Quemadmodum etiam ex eo, quòd Spiritus S. Dei vel Iehovæ Spiritus hoc loco appellatur, necessariò concludi potest, eum non esse eundem Deum, cujus Spiritus est. Quod quidem tantò majoris momenti est, quòd non constat, nec probari potest, per vocem *Iehova* Deum Patrem significari, quod tamen necesse esset ad argumentum Frantzii stabiliendum. Nam etiamsi Deus ille Iehova non alius sit, ex mente veritatis & nostra etiam, quàm Pater: tamen ex mente Trinitariorum Iehova plerunque est alius, quam Deus Pater, hoc est, Deus ille trinus & unus. Quod si ita est, quomodo is, qui est istius trini & unius Dei angelus vel Spiritus, potest esse Deus ille idem unus & trinus? Ex his labyrinthis si sese extricare Frantzius voluerit, bone Deus, quot ei quærendi erunt cuniculi! quot confingenda nova eaque alia aliis deteriora commenta!

Thesis 85. initium est. *Cùm autem de prima persona hodie nulla sit lis inter ullos* &c. Quomodo verò lis non est, si primam personam ii non agnoscunt, cum quibus disputat Frantzius? Qui enim secundam vel tertiam personam non agnoscit, ut suprà nos confitentes fecit thesi 64. Frantzius, quomodo primam agnosceret? Aliud est agnoscere eum pro vero Deo, qui ex mente Trinitariorum prima persona est: & aliud, agnoscere eum pro prima persona, qui verus Deus est.

Thesibus sequentibus pueriliter planè procedit Frantzius. Docet enim thesi 89. 90 91. 92, angelum faciei Iehovæ, fuisse illum angelum 1. qui præcessit Iudæos noctu in columna ignis, interdiu in columna nubis. 2. qui promulgavit legem. 3. cõtra quem murmurârunt Iudæi. 4. qui inflixit pœnam murmurantibus. Quæ omnia facillimè possunt concedi. Deinde ista omnia quatuor, thesi 93. 94. 95. 96. docet, simul dici de illo uno summo Deo, quòd similiter concedi potest. Sed quod inde infert, illud ita futile est, ut uno verbo refutari possit. nẽpe ex eo, quòd alicui tribuantur actiones, quæ Deo alibi tribuuntur, non consequi, eum esse illum unum Deum, vel unum cum Deo essentiâ. Quid enim usitatius est in sacris literis eo, quòd aliquid jam Deo tribuitur, jam aliis, per quos Deus aliquid efficit, diverso scilicet respectu & diversa ratione. Hoc modo Servator populi Iraelitici dicitur & Deus, & Moses, & Othoniel, & Iehoas, & alii. Hoc modo servare dicuntur etiam ii, qui alios docent viam salutis. Hoc verò dum dicimus, non personas personis, sed res rebus comparamus, & argumentum ducimus a majori, hac ratione: Si de iis, qui minùs aliqua in re

Act: 7. 35.
Iud: 3. 9.
2. Reg: 13. 5.
Nehem: 9. 27
1. Tim: 4. 16.

in re agere videntur, quàm olim angelus egit in liberatione populi Israelis ex Ægypto, id dici potest, quod de Deo dicitur: quãtò magis de eo id dici potest, quod de Deo dicitur, qui plus aliqua in re præstitit, quàm alii, de quibus idẽ dicitur? Hoc sentiens Frantzius, ita nostras format objectiones thesi 92. *At inquiunt, se fateri, quòd Iehovæ asscribãtur illa quatuor; Sed addunt, ibi Iehovam accipi pro legato Iehovæ, seu creato angelo.* Quis ita addit? unde hoc depromsit Frantzius? exponat libellos. Non ita sumus obtusæ mentis, ut illa insulsa dicamus: Sed dicimus, eandem actionem tribui jam Deo, jam angelo creato. Deo tanquam autori primo: Angelo tanquam administro personam Dei gerenti, quod quivis cordatus intelliget longè aliud esse ab eo, quod nobis affingit Frantzius. Frustra igitur omnino laborat Frantzius in sequentibus, & cum sua umbra pugnat, dum ait, propiùs confligendum esse, num Iehova ille, qui dicitur præcessisse, legem promulgâsse &c. fuerit legatus Iehovæ creatus. Nemo enim nostrum id affirmavit unquam. Sic scilicet nos pro libitu suo ipsimet instruunt adversus se adversarii, ut habeant, quos vincere possint. Non dicimus, repeto rem, Iehovam illum, qui dicitur præcessisse, legem tulisse &c. esse legatum Iehovæ creatum: sed dicimus, Iehovam esse Iehovam: angelo verò creato illud idem tribui, quod ipsi Iehovæ, quia scilicet personam Iehovæ angelus sustinuerit tunc temporis. Et ita etiam respondemus ad illud, quod deinceps thesi 100. 101. 102. persequitur Frantzius, dum docet, angelum illum, qui Mosi in rubo apparuit &c. non fuisse creatum, sed ipsum creatorem, quia scilicet nomen & actiones Dei sibi vendicet. Et sanè deploranda est hominum cæcitas, qui, non probato eo, quòd Christus antea fuerit, quàm ex Virgine nasceretur, ex quibusdam leviusculis conjecturis, tantam rem extruere non vereantur. Si constaret, Iesum fuisse, antequam nasceretur ex virgine, possent talia fortassis ad eum qualicunq; modo pertrahi: At isto non probato, quid aliud isti faciunt, qui ex hujusmodi infirmis consequentiis sua dogmata defendunt, quàm quod produnt, se argumentis manifestis & τῷ ῥητῷ sacrarum literarum destitui, quod tamen nobis magnificè antea Frantzius promiserat sese exhibiturum. Præterea, hoc ipsum, quòd angelo ista Dei nomina & actiones tribuuntur, docere unumquemque potest, ibi de Christo sermonem nullo modo esse. Quomodo enim Christus, si is idem Deus, qui Pater, est, legatus Iehovæ esse potest? præsertim antequam ex virgine Maria nasceretur? Nam, respectu humanæ tantùm naturæ, Christum legatum Dei esse, hactenus plærique contendunt, non verò divi-

rò divinæ, quæ tunc ſola (ex mente adverſariorum loquor) extabat. Denique novum hoc & inſolens dogma cenſendum eſt, quod angelum aliquem increatum introducit. Quis unquam fando audivit tale quid in Theologia? non requiro nunc τὸ ῥητὸν, ſed ſolam διάνοιαν. Qui aliquem angelum Dei appellat, hac ipſa appellatione eum non tantùm diſtinguit a mittente, ſed etiam ipſo eum facit omnino inferiorem. Quomodo igitur is, qui angelus Dei eſt, increatus, vel, quod idem eſt, creator eſſe poteſt, niſi duo creatores ſtatuantur per omnia ſibi pares? En quò deducit homines falſa defendendi ſtudium & conatus? Quanto verò præſtaret, acumen iſtud ingenii ad veritatis defenſionem, in qua omnia ſunt plana & aperta, conferre, & divinam ſibi acquirere gratiam & favorem?

Angelus increatus nullus eſt.

Theſi 103. Eniedinum perſequitur. Cujus defenſionem ob certas quaſdam cauſas potuiſſem non ſuſcipere: ſed videamus tamen, quomodo ſuum probet Frantzius, in refutando Eniedino, maſculum robur. Primùm ait Frantzius, ſic reſpondere *nos*, quos Antitrinitarios vocat, ipſum rubum ardentem dici angelum, in quo præſens fuerit, & ex quo locutus fuerit Deus ipſe: cùm tamen unus tantùm ſic reſpondeat, nempe Eniedinus; apud alios verò noſtræ Eccleſiæ ſcriptores nihil tale reperiatur. An verò deceat id, quod privati eſt judicii, omnibus aſſcribere, ſenſatorum & piorum judicium eſto. Quanquam nec ipſe Enjedinus ita merebatur tractari. Nam non pro neceſſario, ſed pro veriſimili id affert: & inſuper non dicit, veriſimiliter hoc colligi ex iſto loco, ſed poſſe aliquem veriſimiliter id colligere, quæ verba ſatis oſtendunt, ipſum huic rei non inſiſtere, nec eam tanquam neceſſariam urgere.

Theſis 106. eſt. *Primùm, negat Eniedinus nullum* (ſic habet Frantzius) *unquam angelum fuiſſe Meſſiam. Sed illud eſt nimis manifeſta petitio principii, quia hoc ipſum eſt caput controverſiæ inter nos & inter Antitrinitarios, ubi ipſe negat, nos affirmamus. aliud igitur afferat neceſſe eſt.* At Eniedinus non tantùm hoc affirmat, verùm etiam idem probat argumentis ſatis validis, ad quæ reſpondendum erat Frantzio. Et certè nimis breviter & fallaciter Eniedinum refutat Frantzius, dum petitionem principii ei objicit. Nam Eniedinus locum Gen: 16. 13. examinans, ubi mentio fit apparitionis angeli, & ex quo adverſarii oſtendere conantur, Chriſti ante virginē matrem exiſtentiam, ita reſpondet primùm generaliter: nullum in veteri Teſt: apparentem angelum fuiſſe Meſſiam, & ad id probandum duo affert argumenta. Hoc certè non eſt principium petere, ſed affirmationi falſæ veram opponere, & hujusmodi oppoſitione falſitatem & impudentiam ſenten-

tiæ adversæ demonstrare. Inter omnes modos petitionis principii, certè nunquam hunc ostendet Frantzius, ut omnes Logicæ periti testabuntur. Ratio hæc est manifestissima: frustra ex angelorum in veteri Testamento apparitione, docetur Christi æternitas. quia probari potest ex sacris literis, nullum angelum in veteri fœdere fuisse Messiam. Ergò, ut aliam afferat, necesse non est. Attulit tamen Eniedinus, ut tantò magis, veritas sententiæ suæ & alienæ infirmitas, constaret omnibus.

Thesis 107. est. *Confugit ergo tandem ad verba Apostoli, ex Ep: ad Hebr: Cap:* 1. *Deus variis modis olim locutus fuit Patribus per Prophetas: novissimis verò diebus locutus est per filium, quasi Deus non olim in veteri Testamento, sed tantùm in Novo per filium sese patefecerit.* Hîc candor Frantzii vel saltem diligentia desiderati jure potest. Ait enim, Eniedinum tandem confugere ad hæc verba. Quasi scilicet in his verbis contineatur responsio diversa a præcedentibus, & idcirco etiam ad marginem asscripsit, 3. ratio Enjedini pro angelo creato Exod: 3. Cùm tamen hic locus Heb: 1. pro prima probatione adducatur ejus, quod Eniedinus affirmabat, nempe nullum angelum in veteri Testamento apparentem fuisse Christum. Solent alii, hujusmodi falsis alienorum argumentorum relationibus, gloriam suam quærere apud lectores: Sed de Frantzio aliquid melius sperare me jubet charitas: negligentiæ tamen vitium excusare non poterit. Quid igitur respondeam, siquidem Eniedini argumenta falsò proponit Frantzius? &, quod gravius est, non id concludentem eum facit, quod verè concludit, sed aliud quid? Quia tamen id etiam dicimus, quod concludentem facit Eniedinum Frantzius, nempe Deum non olim in veteri Testamento sed in Novo per filium sese patefecisse, audiamus, quid adhæc respondeat Frantzius. Sic igitur habet Thesis 108.

Verùm hic sensus esse nequit, quasi olim tantum modò Prophetæ, nunc in Novo demum Testamento tantum modò Christus hominibus annunciarit voluntatem Dei, nisi velint simul negare, tum in veteri Testamento quandoque per seipsum & per angelos, tum in Novo Testamento post ascensionem Christi, per angelos & Apostolos locutum fuisse hominibus Dominum. Thesis 109. *Cùm verò neutrum negare queant* &c. Respondeo, verba clara sunt, Deum, qui olim Patribus locutus fuit per Prophetas, nunc in diebus novissimis nos alloqui per filium, ex quibus hic sensus patet: Quemadmodum Deus nunc, cùm per filium nos alloquitur, non ampliùs nos alloquitur per Prophetas servos suos: ita tunc, cùm per Prophetas patres Iudæorum alloquebatur, non allocutus eos est per Filium, diversos scilicet mediatores, pro diversis tem-

Deus per Christū tātùm sub N. T. locutus est.

sis temporibus adhibens. Vnde apparet, ea, quæ Frantzius objicit, ad rem nihil facere. Cùm enim dicitur, Deum olim per Prophetas patres allocutum fuisse, non negatur, Deũ etiam potuisse per se vel per angelos aliquid efficere, & Patres illos antiquos alloqui: Sed negatur, mediatores & interpretes divinæ voluntatis alios fuisse, quàm Prophetas. Deus enim, non ut mediator aut interpres divinæ voluntatis allocutus est olim patres, nec etiam angeli. Nam Deus ipse omnium rerum prima fuit causa: Angeli verò, ut ministri Dei & illorum, per quos Deus Patres allocutus est. Sic etiam, quando dicitur, his temporibus novissimis Deum nos per filium alloqui, non negatur angelos etiam interdum aliquid egisse vel Apostolos: sed tantùm negatur, & hos & illos fuisse novi fœderis mediatores, & primos voluntatis divinæ interpretes. Angeli enim nihil planè ad Evangelium pertinens revelârunt, quod Christus non revelârit: Apostoli verò, vel nihil etiam revelârunt, præter id quod Christus revelavit; vel, si tamen aliquid ad ea, quæ Christus revelavit, addiderunt, id totum Christi negotium censendum est, & ipsi acceptum referendum, sine quo nihil Apostoli facere potuerunt, & *sine quo ne unum*, ut Iohannes ait, *factum est, quod factum est.* Ioh: 15.5. & 1. 3.

In thesi 109. explicationẽ suam addit super hunc locum Hebr: 1. Fr. & ait, *nolentes volentes concedere necessum habebunt, in loco allegato agi hæc duo.* 1. *Quòd ibi conferantur totius Ecclesiæ reformationes, factæ per Prophetas, Abraham, Mosen aliosque, & per Christum exhibitum.* 2. *Quòd hoc indicetur, post Christi exhibiti reformationem, tanquam novissimam & ultimam, non esse expectandam solennem aliam, donec steterit hic mundus, ideoque eam maximè ab omnibus in posterum & unicè attendendam. Heb: 2.1.* Etiamsi tandem vera esset explicatio Frantzii super hunc locum, quid opus erat dicere, nos, nolentes volentes, necesse habere concedere illud? Quis enim non volens reciperet veritatem? Sed verba Frantzii mittimus: rem ipsam videamus. Quomodo verò, nolentes volentes, necesse habebunt adversarii concedere istam explicationem, cùm nulla nitatur probatione, nec textus eam suppeditet, nec ex eo ullo modo a perspicacissimo quovis colligi possit? Sententia autoris est: Christi doctrinam solùm esse sequendam, quia per Christum novum Testamentum promulgatum & sancitum sit, quemadmodum Vetus per prophetas: & quia Christus omnibus prophetis, adeoque angelis, quorum scilicet ministerio lex data fuerat, infinitis planè modis præstet. Hanc sententiam autoris esse, nunc pluribus demonstrare non est opus. Expendat eam benevolus lector, & videat, utra ad rem sit accommodatior. Equidem Sensus capt 1. ad Hebr.

quidem persuasum habeo, valdè ineptam esse istam Frantzii explicationē. Nulla enim ibi mentio est reformationis Ecclesiæ totius: & incertis nititur assertionibus, quasi una & eadem fuerit Judæorum & Christianorum Ecclesia; & quasi Christus, unà cum aliis Prophetis, præsertim verò cum Abrahamo, ejusdem reformationi studuerit.

Thesis 110. est. *Porrò, quia angelus in rubo dicit, se eße Deum Abrahami, Isaaci & Iacobi, inde firmiter concludimus. 1. eundem angelum fuisse cum Abrahamo, Isaaco, Iacobo; adeoque fuiße illum angelum, qui apparuit Abrahæ Gen: 18. & postea pluit ignem & sulphur super Sodomam & Gomorrham, item illum angelum, cum quo luctatus Iacobus, & qui benedicit Iacobo. 2. illum angelum eße increatum, adeoque extitiße ante Mosen & Abrahamum.* Facilè est colligere quidvis ex quovis: sed quā vi consequutionis id fieri possit, docendum erat. Vnde enim patet, eum angelum, qui dixit, ego sum Deus Abrahami, Isaaci, & Iacobi, fuisse illum eundem, qui Abrahæ apparuit, & postea pluit ignem & sulpur super Sodomam & Gomorrham, & eum, qui cum Iacobo luctatus est, & qui benedixit Iacobo? Nonnè infinitæ sunt angelorum myriades, ex quibus Deus modò hoc, modò illo pro libitu suo uti potest? Deinde verò, concesso hoc toto, quomodo ex eo sequitur ineptum illud pronunciatum, angelum illum fuisse increatum, quod suo se indicio prodit, quàm sit futile, & absurdum, hoc est, angelum fuisse ipsum Deum, qui creavit cælum & terram. Quasi ista omnia non potuerint fieri ab eo, qui personam Dei gerens, Dei etiam nomen sibi usurpavit. Et sanè commiseratione digni sunt, qui nondum percipiunt, quàm sunt ista omnia non tantùm falsa, sed etiam puerilia & ridicula. Sed audiamus Theologiam Frantzii.

Thesis 111. est. *Etsi negari non poteſt, aliorum innumerabilium creatorum angelorum agmina, comitata Christum educentem Israelitas ex Ægypto, ſicut in Actis Apostolor: 7. 53.* (Frantzius habet 54.) *& in Epistola ad Galat: 3. 19. Iudæi dicuntur accepiße legem, ordinatam in dispositione angelorum, hoc est, ut Epistola ad Hebr: 12. 22. interpretatur, in conventu innumerabilium angelorum: tamen certo certius est, Christum increatū angelū etiam creatis illis angelis præfuiſſe, tanquam Dominum Ecclesiæ angelicæ & humanæ.* O arcana! Negari non potest, ait Fr:, aliorum innumerabilium creatorum angelorum agmina, comitata fuisse Christum educentē Israelitas ex Ægypto: Imò affirmari hoc posse mirum est. Si agmina angelorum Christum sunt comitata, educentem Israelitas ex Ægypto. Ergo Christus tunc fuit, cùm Israelitæ educerentur ex Ægypto, & fecit aliquid. At hoc ipsum nunc probandū est Frantzio, &, hoc ut probet, idcirco tota hæc disputatio instituta est. Hoc est pe-

est petere principium, Frantzi, idque ita crassè, ut absque indignatione vix ista legi, nedum refutari possint. Sed dices: probationem addidi. Videamus & hanc. *Sicut, ait, in Actis Apostolorum, & ad Galat: Iudæi dicuntur accepisse legem, ordinatam in dispositione angelorum: hoc est, ut epistola ad Hebr: interpretatur,* &c. Egregia sanè probatio. Iudæi dicuntur legem accepisse ordinatam in dispositione angelorum. Ergo agmina angelorum Christum sunt comitata educentem Israelitas ex Ægypto. Si hæ non sunt dissolutæ scopæ, equidem nescio, quid eas appellaturi simus? Nonnè lex dari potuit per dispositionem angelorum: & tamen Christus nec esse, nec Israelitas educere ex Ægypto, nedum, ut eum comitarentur agmina angelorum? Hoc verò quid est, *ut epistola ad Hebr: interpretatur, in conventu innumerabilium angelorum.* Estnè aliquid, quod vel per speciem suadere possit, verba epistolæ ad Hebr: esse interpretationem eorũ, quæ habentur in Actis & ad Galat:? Minimè verò: Nam in Act: & epist: ad Gal: sermo est de re facta tunc cùm lex daretur: in epist: verò ad Hebr: de re facta sub novo Fœdere. Hebræi enim illi, non quatenus Iudaicæ religioni, sed quatenus Christianæ, addicti erant, considerandi sunt. In Actis & ad Galat: sermo est de re, facta per angelorum servitium: in epist: ad Heb: sermo est de re, ad quam accesserint isti Hebræi, ad quos scripta est epistola. Accedere autem ad conventum angelorum quid sit, ex aliis ibidem expressis rebus & personis colligere facillimum est: nempe ad ipsorum communionem pervenisse, & ejusdem cum illis dignitatis vel felicitatis in hoc seculo, quoad spem, in futuro verò reipsâ participem effectum fuisse. Quod etiam ipsa verba autoris ostendunt, qui ait, *Pervenistis ad conventum myriadum angelorum.* En explicationem Frantzii. Iam ergo illud, *certo certius est*, ita mutari potest, falso falsius est, Christum increatum angelum etiam creatis angelis præfuisse. Quod addit, Christum nominans *Dominum ecclesiæ Angelicæ & humanæ*, id crassam ignorationis Elenchi fallaciam sapit. Est quidem Christus nunc Dominus Ecclesiæ (si tamen sic loqui licet) angelicæ & humanæ: sed non sequitur ex eo, quia nunc est Dominus angelorum, eum semper vel olim illis præfuisse. Nam, qui nunc est Dominus angelorum, is, longo post tempore, quàm angeli creati sunt, natus est, & natus jam, quantumvis multis divinis proprietatibus angelos superaret, & dominio super illos obtinendo destinatus erat, minor tamen angelis fuit: quia scilicet mortalitate circumdatus erat, & nullum in eos dominium reverâ prius habebat, quàm cùm in illum mundum, hoc est, in orbem futurum introductus fuit a Deo, & quando dictum est, de eo, *Adorent eum omnes angeli Dei.* Psal: 8. 6. Heb: 2. 7. Heb: 1. 6.

Thesis III. est. *Unde eruditè de angelo illo Magno, Christo, scriptum esse monet Reuchlinus Exod. 14. 19. Et profectus est Angelus angelorum, Mallach ha Elohim: non sicut alibi, Mallach Elohim; Sed ha, tanquam peculiari signo rei magnæ & angeli maximi præter consuetudinem communem adjecto.* Dignum patellâ operculum. Reuchlinus iste, num Apostolus est, ut ei absque ratione aliquid affirmanti, fidem protinus adhibere teneamur? Hic porrò quid tale dicit, Malach ha Elohim, convertit angelus angelorum, & illud de Christo intelligit. Profunda sanè consideratio. Quia scilicet angeli voce Elohim interdum describuntur, hinc fortasse conjectatur Reuchlinus, ergo hic angelus elohim est angelus angelorum? Quantò verò rectiùs, omnibus interpretibus testibus, *Mallach ha elohim*, non angelum angelorum, sed angelum Dei, qui (Deus) voce Elohim, propter suam infinitam potentiam insignitur, significat, ita, ut voculâ *ha* describatur, non qualis angelus fuerit, sed qualis elohim is fuerit, cujus is angelus erat, nempe is, cui κατ' ἐξοχὴν vox elohim competit? Quemadmodum etiam, cùm angelus aliquis simpliciter appellatur Malach elohim, non id significatur, angelum istum esse angelum angelorum, sed tantùm significatur, illum esse angelum Dei, qui modò per vocem *elohim*, modò per additionem *ha*, ita appellatur: ut etiam angelus Iehovæ, non est angelus, qui potestatem habet Iehovæ, sed angelus, qui est Iehovæ, hoc est, qui ab eo missus est, & voluntatem ejus exequitur. Promiscuè autem sumi angelum Iehovæ, & angelum Elohim, vel ha elohim, pro angelo misso a Iehova & Elohim, unusquisque ex collatione locorum veteris Testamenti per se perspicere poterit. Exemplo sit, quod Iudic: 6. legitur de angelo, qui Gedeoni apparuit, qui v: 20, *malach ha elohim*, & rursus v. 21. bis, & v. 23. iterum bis *malach Iehova*, appellatur. Idem etiam habes Iud. 13. Nam qui v. 3. 12. 15. 16. 20. 21. *malach Iehova* appellatur, is v: 9. *malach ha elohim* vocatur, & tamen neminem fore credo, qui statuat, istum angelum fuisse angelum angelorum Reuchlini, vel angelum increatum Frantzii, nempe Christum. Nam quivis angelus potuit nunciare Manoach, uxorem ejus parituram, nec opus fuit ad id angelo angelorum, vel angelo increato. Præterea exemplum evidentissimum est in lib: Reg: Nam lib: 1. cap: 29. 9. ait Achis ad Davidem, *Novi, quòd bonus tu in oculis meis, sicut angelus Dei, malach elohim.* Lib: verò 2. cap: 14. 17. mulier subornata a Ioab, Davidem eundem alloquens, ait: *Sit nunc verbum Domini mei regis ad requiem, quia sicut angelus Dei, malach ha elohim.* & infra v: 20. cùm intellexisset David, eam a Ioab subornatam esse, laudans ipsius sapientiam mulier, ait, *& Dominus meus,* hoc

Quid sit Angelus Elohim.

hoc est, rex, *sapiens est*, *secundum sapientiam angeli Dei*, *malach ha elohim*. Vide etiam aliud 2. Reg: 19. 27. Eant nunc Frantzius & Reuchlinus, & mutuum scabant. Quid verò istiusmodi conjectatoribus tribuendum sit, jam puto constare. Explodenda scilicet planè ista exotica glossa Reuchlini, & exsibilanda est: nedum, ut aliquid momenti, ad istud commentum Frantzii afferre possit.

Thesi 113. ea, quæ breviter delibata esse ait, ex V. T., duobus locis egregiis, ex N: T: egregiè confirmari ait. Quare ipsum insequentes, audiamus ista.

Thesis 114. est. *Primùm enim Apostolus (ut in eadem historia eductionis ex Ægypto permonemus) Israëlitarum ex Ægypto exeuntium Ducem constituit Christum, & monet, ne tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, & à serpentibus perierunt.* Paulum Apostolũ, Christum constituere Ducem Israelitarum exeuntium ex Ægypto, & Paulum monere, ne tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, diversa sunt. Poterat enim aliquis alius esse Dux, & alius tentari. Saltem dixisset Frantzius, *dum monet*, pro, & *monet*, ut, ex tentatione illud prius colligi posse, significaretur, & tolerabilior esset: Sed Paulum duo ista facere, constituere Christum Ducem Israëlitarum ex Ægypto exeuntium, & monere, ne tentemus illum, &c. nimis negligenter dictum est. Sed quomodo docet Frantzius, Israëlitas tentasse Christum, quem Paulus monet, ne tentent Corinthii, cùm Paulus id non dicat? unde, si id verum esset, colligi fortasse posset, Christum fuisse etiam Ducem Israëlitarum ex Ægypto exeuntium. Sic igitur ait.

Thes: 115. *Necessariò autem in illo loco, subaudiendum esse nomen Christi in posteriori membro, Ne tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, scilicet Christum, evidentissimè patet, ex proximè ibidem antecedentibus, & proximè sequentibus, ubi nunquam aliud repetitur in posteriori membro, quod in priori non fuerat assumtum.* Quæ subaudienda sunt, illa expressa non sunt. ergo, si subaudiendum est nomen Christi, expresse non dicit Apostolus, quod ait Frantzius, Christum fuisse tentatum, & fuisse Ducem Israëlitarum ex Ægypto exeuntium. Non rejicimus quidem argumenta, quæ ex textu legitimè deducuntur: sed tamen jure possumus hoc nunc objicere Frantzio. nam τὸ ῥητὸν nobis magnificè ab initio promiserat. Præterea dicimus, sententias istas, quæ ex consequentiis dependent, non esse necessarias ad salutem, contrà quam hodie sentiunt omnes, & ipse Frantzius, de hac quæstione. nam quæ necessaria omnino

sunt

sunt ad salutem, ista omnia in sacris literis, ut expressè scripta extent, necesse est. Sed quid facias? Esto, tantundem valere ea, quæ subaudiuntur, quantum ea, quæ expressa sunt, quænam hæc est probatio: *In proximè præcedentibus & proximè consequentibus nunquam aliud repetitur in posteriori membro, quod in priori non fuerat assumtum?* hoc est, ut thesi sequēti seipsum Frantzius explicat, *semper repetitur eadem species peccati. Ergo etiam hic eadem repetitur species peccati in membro posteriori, quod in priori erat nominatum?* Vix hîc apparet obscura probabilitas, nedum evidentissima necessitas, ut ait Frantzius. Quid enim prohibet, quominùs in enumerandis multis rebus similibus, aliqua sit in quibusdam ab aliis dissimilitudo, dummodo in re principali, cujus causâ adducuntur, conveniant? Quis enim nescit illud, simile non currere quatuor pedibus? Sed esto præterea, eandem rationem esse eorum, quæ in hoc ver: & quæ in præcedentibus & sequentibus dicuntur. Nonné manifestum est, eandem speciem peccati repeti in membro posteriori, quæ in priori assumta fuerat? Cùm utrobique mentio fiat tentationis. Tam enim illi tentârunt, quàm nos tentare non debemus: Et ad peccatum cōstituendum nullo modo opus est eandem personam tentari ab utrisque. Additio personæ, quæ tentata sit, non variat peccati speciem; sed ad peccati tantùm quantitatem ostendendam pertinet. Quod verò persona non repetitur in membro posteriori, quæ in priori erat nominata, id ideo fieri censendum est, quia aliæ erant personæ, quæ tunc tentari poterant, & tentatæ fuerant, præter Christum, de quo nemo unquam sanæ mentis cogitare potest, eum tunc tentatum fuisse, nisi priùs probetur, eum tunc extitisse. Ita concessis omnibus, quæ voluit Frantzius, falsitas tamen ejus, quod inde colligit, demonstrata est. Non est autem facilè concedendum Frantzio, nihil aliud repeti in membro posteriori, quàm antea nominatum fuerat, eo modo, quo Frantzius id accipit, &, ut accipiat, necesse est? Certè concupiscentia malorum, quam prohibet Paulus Corinthiis, non ea est, nec esse potest, quæ olim vitio vertebatur populo Israelitico. Hæc enim non nisi de rebus ad carnem spectantibus: illa non nisi de vitiis animi præteritis intelligi potest. Idololatria etiam, quam Paul⁹ interdicit Corinthiis, longè alia est, vel saltem esse potest ab ea, quâ Iudæi olim sese polluerunt. Hæc enim externi cultus attributionem eis, qui Dii non sunt, necessariò continet: illa verò præsentiam tantùm in iis locis, absque necessitate, ubi Idola coluntur, ut totus contextus docet. Idque etiam de sequentibus intelligendum est omninò. Nam & de alia specie fornicationis, tentationis & murmurationis loquitur Paulus, vel loqui

De loco 1. Cor: 10.

cum jure, dici poteſt, quoad Corinthios, quàm ea erat, quâ olim Iudæi peccârant. Quare theſis ſequens Frantzii fruſtra eſt addita, quæ ſic habet:

Quæ igitur ratio permittet adverſariis, illud membrum cohærens, per turpiſſimum ſolœciſmum ita dilaniare, neque tentemus Chriſtum, ſicut quidam eorum tentaverunt Deum; vel, neque tentemus Chriſtum, ſicut quidam eorum tentârunt, ſcilicet Chriſtum, in typo angeli. Solœciſmum turpiſſimum id vocat Frantzius, quod nos vocem aliam, quàm Chriſtum ſubaudiendum eſſe dicimus, neſcio, quo jure. Grammatica ſanè id non docet, quæ ellipſin inter figuras uſitatas recenſet. Conſulat ſeipſum Frantzius, & videbit, an jure hoc nobis objecerit. Non ſolœciſmus ſed hebraiſmus eſt, cujus vi ſæpiſſimè relativa reticentur: & verba tantùm ponunrur, permiſſo uniuscujusque judicio, ut dignoſcat, de quonám prædicari poſſit aut debeat illud, ita, ut ſenſus ſit: Neque tentemus Chriſtum, ſicut quidam eorum tentaverunt, nempe quem tentaverunt. quem verò tentaverint, hiſtoria unumquenque docet. Præterea, quænám hæc eſt dilaniatio, ſi verba Apoſtoli intacta relinquamus, & aliquid in illis ſubaudiendum eſſe dicamus, & quid illud ſit, rationibus evidentiſſimis doceamus? Denique, parùm candidè noſtram explicationem affert Frantzius, dum dicit, nos affirmare, ita verba Pauli explicanda eſſe: *neque tentemus Chriſtum, ſicut quidam eorum tentaverunt Deũ, vel, neq; tentemus Chriſtum, ſicut quidam eorum tentârunt, ſcilicet Chriſtum in typo angeli.* nam, nec hoc, nec illo modo loquimur: ſed dicimus, ſicut quidam eorum tentaverunt, nempe Moſen, qui tunc Iudæis erat id, quod nobis nunc eſt D. Ieſus, nempe unctus Dei: & planè id negligentiæ arguit Frantzium, quòd ita nos affirmantes facit, ſicut quidam eorum tentârunt, ſcilicet Chriſtum in typo angeli. nam, qui ſic loqueretur, neſciret planè quid diceret, quaſi aliquis alius fuerit, quem tentârunt Iudæi, qui typus fuerit angeli. Hæc enim verborum, *in typo angeli*, vis eſt.

Porrò format quandam proleplin Frantzius theſi 118. ut annotatio marginalis docet, & eam ſuo arbitratu reſolvit, dum ait: *Quod Apoſtolus ibidem 1. Cor: 10. ait, illa facta nobis eſſe in figuram ſeu typum, id vel prima inſpectio & lectio textus convincit, quòd non de Chriſto, ſed de ſimilibus veteris & novi Teſtamenti peccatis ſint intelligenda; cùm è veſtigio hoc ipſum ſic explicet idem Apoſtolus inquiens: Hæc in figuram facta ſunt noſtri, ut non ſitis concupiſcentes malorum, ſicut & illi concupiverunt. Chriſtum autem in deſerto Iudæi non potuiſſent tentare, ſi nihil aliud fuiſſet, quàm præconcepta quædam notio in mente Patris ſui.* Primùm neſcio, unde iſtam proleplin Frantzius excerpſerit. Nec enim

nim memini, me eam in nostrorum scriptis legere. Quod si aliquis eam attulit, non pro communi tamen omnium objectione habenda fuerat, ut eam habet Frantzius, qui objectionem eam Photinianorum appellat. Deinde, si nostra hæc censenda est objectio, nihil solidi ad eam diluendam affert Frantzius. Nam quòd ait, textus lectionem convincere, quòd non de Christo, sed de similibus hominum V. & N. Test. peccatis, verba ista sint intelligenda, id planè futile est & vanum. Nam, quis nostrum ita unquam locutus est, quòd illa verba, *Hæc autem facta nobis sunt in typum*, de Christo sint intelligenda? quod nos affirmantes facit Frantzius, dum ait, non de Christo ea esse intelligenda, sed de alia re. Porrò, unde constat, Apostoli illa verba, tantùm de similibus hominum V. & N. T. peccatis esse intelligenda, quod affirmat Frantzius? Respondet Frantzius, quia hoc ipsum è vestigio sic explicat idem Apostolus, inquiens, *Hæc in figuram facta sunt nostri, ut non sitis concupiscentes malorum, sicut & illi concupiverunt.* Atqui verba Apostoli, *Hæc autem*, &c. non ad sequentia, sed ad præcedentia respiciunt. In præcedentibꝰ verò nihil de peccatis hominū dictum erat; sed tantùm beneficia populo olim Israelitico a Deo exhibita commemorantur: & pœna propter inobedientiam illi inflicta, generaliter describitur, ut unicuique initium cap: 10. usque ad hæc verba, *Hæc autem facta sunt in figuram nostri*, &c. legenti constabit. Verba autem sequentia, dum ait, *ne concupiscamus*, &c. causam continent, cur punitionis istius populi mentionem fecerit: ne scilicet tales essent Christiani, quales olim fuerant Israelitæ. Præterea, etiamsi de similibus hominum V. & N. T. peccatis, verba Apostoli essent intelligenda, num ex eo sequitur, quòd non etiam de similibus V. & N. T. personis sint intelligenda? Nonné & de hoc & de illo simul possunt accipi? Et certè ita esse latissimè accipienda Apostoli verba, ut non tantùm peccata hominum V. & N. Test: similia, sed etiam personas V. & N. T. similes indicare voluerit, satis apparere videtur ex ver: 11. ubi ait: *Hæc autem omnia* (ut) *typus contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines seculorum pervenerunt.* per omnia ista, intelligens, non tantùm peccata, sed etiam beneficia, & pænas, & personas, quæ tam in Vet: quàm in N. Test: extabant, eaque omnia inter se comparans. Verba illa ultimæ thesis; *Christum autem in deserto Iudæi non potuissent tentare, si nihil aliud fuisset, quàm præconcepta quædam notio in mente patris sui*, aliud cogitanti Frantzio excidisse credendum est. nihil enim ad rem faciunt, nec quicquam eorum, quæ probanda sunt, probant. Videamus jam alia.

Thesis

Thesis 119 est. *Deinde quid clarius, pro hac subsistentia filii Dei ante nativitatem ex Maria proferri potest, quàm illud, quod Christus, Judæis sibi ætatis exiguæ annos objicientibus Joh: 8. respondet, Antequam Abraham fieret, ego sum?* Hæc quidem Frantzius. Sed, quàm verè videamus. Negamus in libris nostris publicè editis, legitimam esse istorum verborum versionem; & aliter ea converti posse & debere rationibus evidentissimis, & testimoniis similibus docemus: nempe sic: *Amen, amen dico vobis priusquam Abraham fiat, ego sum.* Aut igitur rationes illæ nostræ diluendæ erant Frantzio: aut non affirmandum, contineri in hoc loco testimonium de subsistentia Christi ante Virginem Mariam, nedum ut nihil clarius hoc dici possit. Nam ex nostra versione planè alium sensum emergere, quàm ille est, quem istis verbis affingit Frantzius, res ipsa docet. Nostra enim versio affirmat, Abrahamum tunc nondum factum fuisse, cùm Christus ista diceret: Frantzii verò, eum jam tum factum fuisse contendit. Nescio quid sperârit Frantzius, cùm ista scriberet & ederet. adeò, tantùm non pythagorico more, suo isto αὐτὸς ἔφα nos premit, hoc est, id affirmat & pro concesso sumit, quod nos negare compertissimum habet, & probare illud susque deque habet, quod maximè probatione indigere non nescit. Sed quid faciamus? insequamur Frantzium, qui, non refutatis rationibus, quibus versionem impugnamus, sensum tantùm, quem nos verbis illis inesse dicimus, impugnare aggreditur thesibus sequentibus. Quanquam priusquam ad defensionem explicationis nostræ descendam, jure dicere possum, nihil profecturum Frantzium, etiamsi sensum, quem nos verbis omnino inesse credimus, falsum esse demonstret, nisi ostendat, suam hujus loci versionem & sensum ejusdem verum esse. Nam ad repellendum adversarios, qui ex his verbis Christi subsistentiam ante Mariam extruere volunt, satis est, docuisse, verba illa aliter legi posse, & proinde alium sensum, quicunque tandem ille sit, in illis contineri, quàm is est, quem adversarii ei affingunt. Quod verò, præter ea mentem etiam nostram de loco illo explicamus, id ex superabundanti (ut loquuntur) facimus, & ad disputationem ipsam nihil prorsus pertinet. Sed, ne hîc quoque triumphet Frantzius, operæ precium est considerare ipsius refutationem, quam parat sententiæ nostræ super hunc locum, idq; eò magis, quod in literis suis ad amicum meum datis affirmat, habituros nos, quòd concoquamus, in hac responsione examinanda.

Vide plura de hoc loco Iof: disput: 3. ad thesin 101.

Bes Slegm. p. 56.

V. Kessl. Exr. Log. TS. p. 332.

Affirmat igitur thesi 122. *Verum enimverò exemplis demonstrari poterat, ex Abramo factum esse jam olim Abrahamum, quoniam longè ante Mosem statim post Circumcisionem Abrahæ, ad exemplum Abrahami*

plurimi gentiles ad fidem Abrahæ, & ad verum Deum conversi sunt. Hæccine est illa concoctu tam difficilis crambe? at tam propinqua est putredini, ut ipsamet sese concoxerit. Exemplis, ait, demonstrari poterat, ex Abramo factum esse iam olim Abrahamum. Cur igitur non demonstravit? Hîc enim illis maximè opus erat, ubi nos publicè refutare Frantzius instituit. Quod quia non præstitit, aut exemplis illis destitutus fuisse videri potest, aut certè rem tantam negligenter egit. Equidem prius illud hîc contigisse credo. Quomodo enim id probari potest, plurimos gentiles (ut Frantzius loquitur) ad fidem Abrahæ, & ad verum Deum conversos fuisse longè ante Mosen, nedum ante Christum, siquidem Deus solum Abrahamum & ejus posteros elegerat in populum peculiarem, spretis omnibus reliquis populis? Vnde etiam fœdus circũcisionis cum illis solis pepigit, quo differrent ab aliis gentibus, quod minimè facturus fuisset, si voluisset, tunc statim tum gentium quàm Iudæorum patrem esse Abrahamum. Soli posteritati Abrahæ, hoc est, circumcisis, Deus promissa fecerat, & cum illis solis fœdera percusserat, qua de re etiam gloriatur David Psal: 147. dum ait; *non fecit taliter omni nationi*, &c. Vnde Paulus, Iudæorum esse promissiones, disertè affirmat: gentes verò hospites testamentorum promissionis. Præterea ipsa verba Frantzii Frantzium produnt, dum ait, exemplis demonstrari potuisse, quòd jam olim ex Abramo factus fuerit Abrahamus. Non exemplis enim ad id, ut Abram Abrahamus fieret, opus erat, sed lege & universali revelatione divinæ voluntatis, & studii, quòd scilicet omnium in universum voluerit misereri, nulla habita ratione ortus illorum. Poterant enim interdum quidam extraneorum ad verum Deum converti, etiamsi Deus id non procuraret: ad hoc verò, ut Abram fieret Abrahamus, necesse est, Deum id procurare, etiamsi fieri possit, ut id ad exitum non perducatur. At quæso, procuravitné hoc unquam Deus, vel, fuitné unquam hoc inclusum fœderibus, quæ Deus olim cum Abrahamo & posteris ejus pepigit, omnes gentes extraneas admissum iri vel aditum habituras ad divina beneficia? Certè nihil minùs. Quicquid enim ante Christum quibusdam ex gentibus evenit interdum, id præter revelatam Dei voluntatem, singulari ejus beneficentia factum fuisse, statui debet. Novum fœdus per Christum annunciatum, hoc demum omnibus ad Deum aditum patefecit, idque non statim ab initio, quando Christus Evangelium annunciare cæpit, sed tunc demum cùm Iesus rex populi divini perfectissimus evasit, hoc est, quando ad dexteram Dei consedit: ita, ut commiseratione digni sint, qui, hoc tantum mysterium ignorantes, ante Christum, etiam omnibus gentibus aditum

Rom: 9. 4. Eph: 2. 12.

aditum ad Deum patuiſſe, & ita Abramum Abrahamum reverâ factum fuiſſe, contendere non verentur. Sed omiſſis exemplis, quibus demonſtrare debebat id, quod affirmârat, Frantzius, teſtimonium affert, ex quo ſuam deducit aſſertionem, quæ theſi 123. continetur his verbis:

Innuit illud ipſum Apoſtolus expreſſè, Rom. 4. 11, 12. cùm inquit, Abrahamum gratis juſtificatum, accepiſſe ſignum circumciſionis ſignaculum Iuſtitiæ fidei, quæ in præputio ipſi contigerat εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν πατέρα πάντων τῶν πιςευόντων, *ut eſſet (utique ab illo tempore accepti ſigni, non poſt ſeros annos) Pater omnium credentium in præputio (hoc eſt præputiatorum, qui ubique fuerunt ſub V.T. potiſſimùm, & tum varii ad ipſius Eccleſiam & ſinum aggregabant) & Pater circumciſionis (hoc eſt circumciſorum ſeu Iudæorum V.T. quia hodiernorum Iudæorum circumciſionem ſacramentum nec ipſi Photiniani concedent) Sed de his ſatis, quòd angelus faciei fuerit ante Eſaiam, Moſen, Abrahamum,* &c.

Tota hæc theſis nullo alio nititur fundamento, præter id, quod Frantzius ait, ut eſſet utique ab illo tempore accepti ſigni non poſt ſeros, annos, Hoc ſi quis neget, planè caſſum eſt, quicquid hîc affirmatur. Rationibus verò Frantzi, non nuda voce, *utique*, res tam controverſa comprobanda erat. Quid enim in eo ineſt erroris, ſi dicatur, Abrahamum accepiſſe ſignum circumciſionis, ſignaculum juſtitiæ fidei, quæ in præputio, ut tunc in prædeſtinatione, & in aliquibus minimis principiis; poſt ſeros autem annos, hoc eſt, Chriſti demum tempore reipſa eſſet Pater omnium credentium? cùm res ipſa id loquatur & teſtetur. Rari enim prorſus extranei ad Deum converſi ſunt ante Chriſti tempora: Et iis, qui ad Deum tunc temporis convertebantur, non conſtat hoc ideò contigiſſe, quòd Deus ita procuraret, ſed aliis de cauſis, & interdum parùm Deo acceptis, quòd ſcilicet Iudæi ſtudio vanæ gloriæ aliquem Proſelytum facere anniterentur, quod Phariſæis etiam Dominus objicit: Chriſto verò exaltato omnibus extraneis ab ipſo Deo data fuit occaſio in Deum credendi, & divina beneficia participandi. Et quomodo tandem verum eſſet, (ut ex plurimis hujusmodi documentis, hoc etiam hîc addamus) quòd Paulus ait, myſterium hoc in Deo a ſeculis abſconditum fuiſſe, hoc eſt, converſionem gentium, ſibique omniũ primo gratiam iſtud annunciandi datam fuiſſe, ſi antea gentibus datum erat, ut in Deum crederent, quod vult Frantzius? Videat igitur benevolus lector, quàm rectè Frantzius concludat, *Sed de his ſatis, quòd angelus faciei fuerit ante Eſaiam, Moſen, Abraham,* &c. Aliis ad iſtam rem demonſtrandam argumentis opus eſt, Frantzi, quæ multò plura & ſolidiora adverſus nos attulêre Pontifi-

Matt: 23. 15.

Rom: 16. 25. Eph: 3, 5, 6, 7, 8, 9.

Pontificii, & tamen nihil hactenus proficere potuerunt. Iam videamus, quomodo probet Frantzius Filium Dei ab æterno subsistisse.

Sic igitur ait thesi 124. *Nunc quæritur, utrum unquam cœperit esse & creari angelus ille faciei, cujus Esaias cap: 63. facit mentionem.* Angelum aliquem esse faciei Dei, & increatum esse, contraria sunt. Nam qui increatus est, creator est: cui verò creator est, angelus esse nequit. Et vicissim, qui angelus est Dei, Deus ipse esse nullo modo potest, cùm nemo suiipsius sit angelus. Adde, quod tacitè principium petitur in hac quæstione, quasi scilicet fieri possit, ut sint plures unâ in divinitate personæ. Nam certè si Deus unus est, & una tantùm Deitatis persona, quæ a seipso est, frustra statuitur, esse aliquem alium, qui angelus sit Dei, & idem ipse creator. Sed Frantzium audiamus tamen. Thesis igitur 125. sic habet.

Iam autem, quia ex tota scriptura nequeunt proferre Photiniani unum locum, unde doceant, quòd Angelum à nobis hactenus consideratum certo tempore creaverit Deus, certo iterum concludimus, Angelum illum esse Angelum in creatum, & per consequens unius & ejusdem essentiæ cum Patre, & quidem omninò æternum, siquidem scriptura nullum ejus ponit initium, imò ut ἄναρχον manifestiùs eum nobis inculcaret, Melchisedecum ejusdem facit typum sacerdotem, ἀπάτορα, ἀμήτορα, ἀγενεαλόγητον, μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν μήτε ζωῆς τέλος ἔχοντα. Heb: 7. Partes actoris vel argumentantis sumserat Frantzius, & jurè quidem: Nunc verò nobis provinciam suam commendat, deserta statione sua. Vult enim nos probare id, quod negamus: & quia, quod negamus, probare non possimus, ait, se posse concludere quod velit. At Frantzio ostendendum erat, Angelum fuisse creatorem: non nobis, Angelum fuisse creatum. Ipsa enim res pro nobis loquitur & negat: at pro Frantzio nec ratio nec sacra scriptura loquitur aut affirmat. Itaque converso in Frantzium telo dicimus, Quia neque ex ratione nec ex sacra scriptura Frantzius ostendere potest, Angelum dari increatum, hinc firmiter concludimus, futilissimum esse commentum de Angelo increato: & proinde, quicquid super hoc fundamento superstruitur, non esse nisi caducum. Deinde, quid magis ἀνακόλουθον, quàm hoc: Si Angelus est increatus, ergo est unius & ejusdem essentiæ cum Patre? Num omne, quod est increatum, est unius & ejusdem essentiæ cum Patre, & tamen persona ab eo distincta? Nonné probabilius esset dicere, si quod increatum daretur extra Deum, illud fore alterum Deum, & propter hoc solum rejiciendum? Præterea quæ hæc est consequentia: Æternus est Angelus iste,

quia

quia nullum ejus scriptura ponit initium? Nonne fallacissima est ista ratiocinatio a testimonio negante? Poterat enim fieri, ut alicujus rei principii nulla fieret mentio, & tamen æterna non sit, ut suprà de Angelis dictum est. Horum enim initii nullam facit sacra scriptura mentionem, & tamen æterni non sunt. Denique quod de Melchisedeco affert Frantzius, quid ad rem facit? Certum enim est, omnia illa, quæ enumerantur de eo, quod sine Patre & matre, absque genealogia fuerit, & neque initium dierum neque finem vitæ habuerit, non simpliciter & absolutè accipienda esse sed secundùm quid, nempe non quatenus homo fuit, sed quatenus sacerdos. Quomodo igitur ad Christum simpliciter referri possunt, cùm semper necesse sit aliquam saltem esse similitudinem typi cum antitypo, & vice versa. Quemadmodum igitur Melchisedecus initium dierum aut finem vitæ non habuit, quatenus scilicet nemini in sacerdotio successit, sed ab eo sacerdotium ipsius cæpit, & in ipso desiit: sic etiam Christus catenus a Melchisedeco figuratus fuit, quatenus Christus isto modo sacerdos fuit, quo nemo ante fuit, nec unquam futurus est. nam ut autor ad Hebr: ait, de ea tribu ortus fuit, de qua nihil Moses dixit, quod ad sacerdotium attinet: & isto modo nemo unquam futurus est populi Divini sacerdos, qualis Christus est, quod prolixè per integrum caput 7. ad Heb: autor iste explicat.

Quatenus Melchisedecus cum Christo cōferatur.

Heb: 7. 14.

His ita absolutis, respondere conatur Frantzius objectioni, quā ex loco Col: 1. 15., ubi Christus dicitur primogenitus omnis creaturæ, colligi possit, Iesum esse creaturam, & propterea sic ait thesi 126.

Quòd Col: 1. 15. Christus vocatur primogenitus omnis creaturæ, id nequaquam eo respectu factum est, quasi aut in prima creatione primo loco condi cæpisset ipsius Divinitas secundùm Arianos, aut in secunda creatione seu redemtione inter omnes electos primùm extiterit. Primò nec Arianorum, nec nostram mentem fideliter retulit Frantzius. Non dicunt enim Ariani, in prima creatione primo loco, cæpisse condi Christi Divinitatem, sed affirmant, ante omnia secula Christum ipsum esse creatum a Deo: Nos verò non dicimus, Christum in redemtione inter omnes electos primum extitisse. Differunt enim secunda creatio & redemtio, ut genus & species. In quem redemtio cadit, in eum etiam secunda, vel, ut nos cum scriptura loquimur, nova creatio cadit: at non vice versa, in quem nova cadit creatio, in eum etiam redemtio. Nam ad novam creaturam, Angeli etiam pertinent, ut locus Col. 1. testatur, ad quos tamen nulla ratione pertinet redemtio. Deinde reticet Frantzius nostram argumentationem, quam ex hoc loco deducimus ad probandum, Iesum esse unum ex creaturis;

Secunda creatio & redemtio differunt.

quæ talis est: Primogenitus semper ex numero eorum est, quorum respectu primogenitus dicitur. Cùm igitur Christus primogenitus omnis creaturæ dicitur, & non datur nisi duplex creatio vel creatura, sequitur, eum aut ex veteri aut ex nova creatione unum esse. Non est autem ex creatura veteri. hoc enim Arianismum sapit. ergo est unus ex creatura nova, atque ita non est creator: Ad hanc responsum paret Frantzius, si suum obtinere velit increatum Angelum.

Sed Frantzius suo more nostris argumentis omissis, & sententiâ suâ nudè prolatâ, statim aliâ sententiâ priorem suffulcire nititur, sic enim ait thesi 127. *Etenim primogenitum esse, nihil ibi est aliud, quàm Dominum esse omnis creaturæ, ubi Metaphora sumitur à consuetudine veteris Ecclesiæ, in qua primogenitus, aut primogenito (quod quidem interdum fiebat) substitutus, principatum & dominatum super totam familiam habuit. Vnde æternæ simul generationis notationem hic terminus scripturæ in sese conclusam gestat quàm optimè.* Primùm nihilominùs stat firma nostra argumentatio, imò confirmatur per id, quod hîc dicit Frantzius, nempe semper primogenitum ex numero eorum esse, quorum est primogenitus, & sic Christum, quia est primogenitus omnis creaturæ, esse unum ex creaturis, & non increatum. Deinde falsum est, primogenitum omnis creaturæ esse, aliud nihil esse, quàm dominum ejusdem esse, hoc est, hanc esse hujus phrasis naturam & robur. Etiamsi enim is, qui est primogenitus omnis creaturæ, nempe Christus, sit etiam ejusdem Dominus; totum tamen illud ex accidente est, & non ex vi horum verborum pendet. Quemadmodum etiam, ipsa vi vocis inspectâ, non statim is, qui primogenitus alicujus erat filius, aliorum erat Dominus. Tum quid impedit, quominùs quis sit omnis creaturæ Dominus, & tamen creatus? Certè enim Iesus ex virgine nat⁹, qui Patri ad mortem crucis usque obediens fuit, tantum nomen divinâ gratiâ consecutus est, quod est supra omne nomen. Denique ad constituendum increatum vel creatorē, necesse est ut dominium ei asscribatur in omnem rerum universitatem, & in omnes creaturas universè. At in loco citato vox *omnis* non universaliter sed generaliter accipienda, & ad subjectam materiam restringenda omnino est, nempe ad omnem creaturam rationalem. Nam rationem reddens in sequentibus Apostolus, cur Iesum primogenitum omnis creaturæ appellasset, tantùm hæc duo commemorat, quòd per eum creata sint omnia, quæ in cælo & in terra, non verò cælum & terram: & per ea, quæ in cælo sunt & in terra, nihil aliud eum intelligere, quàm Angelos & homines, eosque tantùm fideles, apertissimè ibidem docetur. Nec mirum est, per vo-

ces,

ces, *omnis creaturæ*, omnem rationalem intelligi, cùm alibi per omnem creaturam homines tantùm soli, alibi verò soli tantùm fideles describantur, ut infrà docebimus. Illud verò quàm ridiculum est: *unde æternæ simul generationis notationem hic terminus Scripturæ in sese conclusam gestat quàm optimè*. Quænám horum cum præcedentibus connexio? Quænám hîc consequentiæ ratio? Christus est primogenitus omnis creaturæ, Ergo Christus est ab æterno generatus. Equidem miror Frantzium, ista sic incogitanter pronunciasse. Sed jam ad alia pergamus, quibus de Spiritu S. sua nobis pandit mysteria. Col: 1.27. Mar: 16.15. Rom: 8.22.

Thesi 128. talem præfixit titulum; *De æternitate Spirtus S. brevissimè*. Ergo est aliquis, qui negat æternitatem Spiritus S., ut opus sit eam probare? Si verò nemo est, qui hoc neget, quid causæ est, cur id probetur, nisi fortasse ut invidia parti adversæ creetur? Videat sanè quid faciat Fr: & negotium religionis tractari consideret. Nemo, qui Deum esse confitetur, negare potest, Spiritum Dei esse æternum. Itaque frustra hunc titulum fecit sequenti sectioni suæ Frantzius. Sed mira est præterea hominis inconstantia. Proposuerat enim probare, Spiritum S. esse æternum, & in margine addidit, *quòd Spiritus S. sit æternus*, mox in thesi subsequenti ait: *Nunc uno verbo subjicimus doctrinam de tertia persona unius & ejusdem Divinæ essentiæ:* & ampliùs in thesi 129. sic ait: *Ac initio quidem eum æternam esse personam inde colligimus*. Quasi æternus Spiritus esse nequeat, etiamsi persona non sit. Quid est terminos mutare & hominibus imponere velle, si hoc non est? Quomodo ista conveniunt, in thesi probandum sumere Spiritum S. esse personam æternam: ad marginem verò addere, Quòd Spiritus S. sit æternus? Ipsissima sanè hîc est confusio & falsitas. Iam, etiamsi credamus, Spiritum S. æternum esse, futilissimam tamen & plusquàm puerilem rationem Frantzii esse dicimus, quâ hoc probat, *Quia*, inquit, *in V. & N. Testamento nuspiam vel ante vel post conditum mundum creatus esse, adeoque initium accepisse legitur, cùm tamen nulla nominari queat ullius generis creatura, quæ non creata esse expressè alicubi in s. literis perhibeatur*. Ratio enim a testimonio negante ducta, nullam infert necessitatem, sed vix aliquam levem probabilitatem. cùm facilè fieri possit, ut aliquid revera hoc vel illo modo habeat, & tamen expressè scriptum non sit. Quicquid expressè scriptum est, id necessariò est: sed non vicissim, quod non scriptum est, protinus non est. Poterat enim non scribi aliquid expressè, non quòd non esset reipsâ, sed quòd causa, cur scriberetur apertè, nulla esset; vel quòd aliunde apparebat, illud reverâ esse, etiamsi scripto apertè non exprimeretur, ut, in hac quæstione de Spiritu S. fieri, suprà ostendimus. Quædam nō scripta, sunt tamen.

Sed audiamus reliqua. *Imò quia semper in Divinis operibus æterno Patri & æterno Filio in scripturis adjungitur, ut Esa:63.7,8,9,10,11. quòd populum ex Ægypto eduxit: Matth:3. 16. quòd sub peculiari columbæ specie tum super Christum appareret, cum sese Pater ex alto per vocem manifestat, ut Mat:28., quòd jubentur Apostoli baptizare in nomen* (*in nomine* habet Frantzius) *Patris & Filii & Spiritus S., utique hinc quoque æternum & immensum, adeoq; creatorem & conservatorem cæli & terræ eum esse comprobamus.* Hîc 1. plus concluditur, quàm antea propositum erat. Propositum erat, docere æternitatem Spiritus sancti: Hîc autem concluditur etiam, eum esse creatorem & conservatorem cæli & terræ. cùm tamen æternum esse, competat non tantùm personæ, qualis est creator cæli & terræ, sed etiam aliis rebus, nempe omnibus Dei attributis & proprietatibus. Sed hoc fortasse levius est, quàm ut graviter castigetur: graviora & crassiora sunt illa, Semper in operibus divinis æterno Patri & æterno filio in scripturis Spiritus S. adjungitur. Taceo, quòd nullus sit æternus Pater, eo sensu, quo Frantzius istud accipit, nec æternus, hoc est, ab æterno filius Hæc enim commenta sunt hominum. Nonné divinum est opus, gratiam & pacem hominibus conferre? cur verò Apostoli nunquam eam precantur a Spiritu sancto, ut eam a Patre & Filio, non tamen æternis, precantur? Nonné divinum est opus judicare vivos & mortuos? Cur verò non tribuit Apostolus illud Spiritui S., ut tribuit Deo & Iesu Christo? Sed præterea quid rei est, quòd cùm de rebus omnium maximè Deo propriis, sermo est, nempe de cognitione salutari & cultu divino, quem personis divinis debemus, nulla fiat mentio Spiritus S.? *Hæc est vita æterna*, ait Dominus, *ut cognoscant te* (Pater) *solum illũ verum Deum, & quem misisti Iesum Christũ. Nobis unus est Deus*, verba sunt Pauli, *ille Pater ex quo omnia & nos in illum, & unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia & nos per illum*, nulla Spiritus S. mentione facta: & tamen, si usquam, hîc certè mentio ejus facienda erat. Nam si ad vitam æternam sufficit cognitio Dei & Christi, si sufficit colere Deum unum Patrem, & unum Dominum Iesum Christum, hinc certo certiùs constat, Spiritum S. non esse personam divinam. Alioquin enim & ipsius cognitio & cultus ad religionem & salutem pertineret. Quod verò in aliis operibus divinis Spiritus S. Deo & Christo adjungitur, id ita fieri, & sæpe, & etiam semper, mirum non est, cùm Deus per spiritum suum plæraque opera sua sacrosancta perficiat & administret.

Spiritus S. in operibus maximè divinis omittitur.
Act:17.31.
2. Tim: 4. 1.
Ioh: 17. 3.
1. Cor: 8. 6.

Sed videamus locos, quibus probat Fr: Spiritum S. Patri & Filio adjungi. 1. est, Esa: 63. At ibi ne unum verbum de eo habetur, quòd

Spiritus

Spiritus S. populum ex Ægypto eduxerit. Si instet Fr: dici ibi, populum irritasse Spiritum S. Dei? Fateor: sed docendum erat, quomodo hinc consequatur, Spiritum illum Dei eos eduxisse ex Ægypto, & spiritum illum esse diversam a Deo, cujus ibi spiritus nominatur, personam. Potest enim per figuram literis s. usitatissimam, id tribui rei, quod est personæ proprium. Hoc modo Apostolus monet Ephesios, ne contristent Spiritum sanctum Dei: & tamen personam eum non esse vel hinc apparet, quòd mox addit, *quo estis obsignati in diem redemtionis*. Nemo enim personâ obsignatur, sed persona est, quæ obsignat, re verò homines obsignantur. Ephes.4.

Alter locus est Matth: 3. qui sic habet: *& vidit*, (nempe Iohannes Bap.) *Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super eum, scilicet Iesum.* Hîc Frantzius nobis communem errorem commemorat, quòd Spiritus S. sub peculiari columbæ specie super Christum apparuerit, quod tamen nec textus docet, nec rei veritas fert. Nec enim verba, *sicut columbam*, ad rei essentiam referenda sunt, ut scilicet ita sit res animata Spiritus S., quemadmodum est columba, sed ad externam speciem & modum, idque non ipsius rei, sed descensus illius, ut etiam ex loco Luc: 3. videre est, ubi ait; *& descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum.* Vnde, quia scriptura dixit, *tanquam columba*, apparet, vocem *tanquam*, vel *sicut*, tum ad verbum *descendentem* referendam esse, tum etiam columbini descensus, non autem columbini corporis similitudinem declarare. Verisimile enim alioquin est, istam corpoream speciem seu formam, in qua Spiritus S. in Christum descendit, non vulgarem fuisse, & in qua nihil divini necessariò conspiceretur, qualis est forma columbæ, sed planè singularem & miraculi plenam. Deinde etiamsi spiritus in specie columbæ apparuisset, num hinc efficeretur, quod Frantzius ait, Spiritum S. æternum esse, (licet eum æternum esse confiteamur.) & immensum adeoq; creatorem & conservatorem cæli & terræ? Nonné enim aliquid in forma columbæ apparere potest, quod tamen æternum non sit? Nonné verò necessarium etiam est, illud non immensum esse, quod in specie columbæ apparet? Nonné denique tantùm non blasphemum est, illud esse creatorem & conservatorem cæli & terræ quod in forma columbæ apparet? His & aliis horum similibus dictis, Christi religio, extraneis, Iudæis & Turcis, commendatur, scilicet, quos, dum talia audiunt, conspuere Christi nomen, quid est mirum? Spiritus S. descendit, ut columba.

Sed tertium habet locum Frantzius, in quo multum præsidii ponunt omnes Trinitarii, quòd jubentur Apostoli baptizare in nomen

Patris & Filii & Spiritus S. Sed ego non video, quomodo hinc constet id, quod in quæstione est, nempe Spiritum sanctum esse æternum, immensum, adeoq; creatorem & conservatorem cæli & terræ. Nonné enim res divina, qualis est baptismus, administrari potest in rem aliquam, quæ neque æternum quid, nec immensum sit, nec creator aut conservator cæli & terræ? Certè in Mosen & in baptisma Ioannis, ut est in græco, legitur, homines fuisse bapizatos: & tamẽ nec Moses aliquid æternum, immensum, adeoque creator & conservator cæli & terræ fuit, nec baptisma Iohannis. Si dicat Fr: inde hoc apparere, quòd adjungatur Patri & Filio in negotio baptismi, sciat, non novum hoc esse, ut res cum personis in rebus baptismo similibus conjungantur, & idẽ illis tribuatur, quod & personis, personis scilicet propriè: rebus autem improprtè. Hoc modò commendat Paulus Ephesianæ Ecclesię seniores, Deo & sermoni gratiæ ejus: Hoc modo eosdem hortatur ut corroborentur in Domino & in virtute potentiæ ejus: De se verò dicit, se omnia pro damno habere, ut cognoscat Christum & virtutem resurrectionis ejus. Posse verò etiam baptismum in rem aliquam administrari, apparet ex eo ipso, quod modò adduximus ex Actis, ubi legitur discipulos quosdam fuisse baptisatos in baptisma Iohannis. Quocunque enim modo quis intelligat istud baptisma in baptisma Iohannis, eodem etiam baptisma in Spiritum sanctum intelligi potest. Nec etiam verba ista, *in nomen*, (quod quidam nimis rigidè & imperitè urgent) efficere possunt, ut Spiritus sanctus persona sit. Prçterquam enim, quòd hæc verba *In nomen Patris, Filii & Spiritus S.*, idem significare possunt, quòd in Patrem, Filium & Spiritum S., modo loquendi Hebraico, quo nomen rei pro ipsa re accipitur, jure credi potest, propriè ista verba Patri & Filio competere, qui personæ sunt, impropriè autem Spiritui S., & Christum fortasse nunquam ita locuturum fuisse, si de solo Spiritu S. sermonem habuisset. Hactenus Frantzius docuit, quod poterat non docere, Spiritum, scilicet sanctum, esse æternum.

1. Cor: 10.2 Act: 19. 3.

Res cũ personis conjunguntur in rebus divinis.

Act: 20. 32. Ephes: 6. 10. Phil: 3. 10.

Nunc audiamus, quomodo doceat, eum esse personam. Sic igitur thesis 131. habet: *Proprietatis personalis genuina notio ipsi attribuitur Act:* 15. 18. *Ita visum est Spiritui S. & nobis, quemadmodum eadem Patri asscribitur Matth:* 11. 26, *etiam Pater, quia tibi placuit.* Mirus est in tractanda hac controversia Frantzius. postquam enim thesi præcedente attulisset locos aliquot, ex quibus non minùs quàm ex hoc, colligere solent Trinitarii, Spiritum S. esse personam, nunc demum aggreditur hac thesi, ex hoc loco Act: probationem istius rei. Num tacitè confitetur, probationem ejus non contineri locis thesi

præce-

præcedente annotatis? At si ex illis locis, ubi, ex mente Frantzii, Spiritus S. dicitur eduxisse populum ex Ægypto, & ubi jubentur Apostoli baptizare in nomen Spiritus S., probari id non potest, quomodo id ex aliis locis probabitur? Vt enim, in aliis locis impropriè id de Spiritu S. jure affirmari posse, docuimus, quod ei tribuitur: sic, idem etiam de his a Fr: hîc allatis affirmare, obvium est. Quod enim locum citatum attinet, nonnè per id abunde ad eum responsum est, quod docuimus, per figuram prosopopœiæ tribui nonnunquam rebus, quod proprium est personarum, quod ipse Frantzius negare non potuit thesi 135.? Hoc autem concesso, infirmissimum planè est argumentum, quod affertur. Sensum vero, si desideres loci, is, ut alibi a nostris dicta, huc transferam, proculdubio alius nullus est, quàm, visum est nobis ex divino afflatu & inspiratione. Certi enim erant Apostoli & reliqui, a quibus decretum illud manabat, cùm illi in nomine Iesu Christi congregati essent, ipsum Iesum Christum secundùm promissum suum in ipsorum medio fuisse, & divinitus illis inspiratum illud decretum fuisse. Neque enim alioquin quicquam ibi legitur, quod indicet, personam aliquam, quæ scilicet Spiritus S. esse possit, vel interrogatam & consultam ab ipsis fuisse, quid de quæstione illa statuere deberent, vel sua sponte eos hac ipsa de re monuisse, sententiamvé suam super ea aliquo modo declarasse, ita ut, Apostolos isto loquendi modo usos fuisse, censendum sit, non quòd Spiritus S. esset persona, sed quia istâ prosopopœiâ vividiùs (ut sic dixerim) ista divina inspiratio exprimitur, & majestas atque autoritas major, toti rei conciliatur. Atque idem etiam de Thesi 132. statuendum est. Eâdem enim loquendi figurâ Apostolus ait, quòd omnia unus & ille idem spiritus efficiat, distribuens privatim singulis, sicut vult.

Quid sit, Visum est Spiritui sãcto & nobis. Mat: 16. 20.

Ad hanc nostram responsionem audiamus, quàm frigidam afferat solutionem Fr: thesi 134. *Etsi, ait, non negemus inanimatis Iud. 9. & aliis quoque tanquam personis loquelam & similia quandoque assignari metaphoricè; tamen voluntatem & beneplacitum, post antegressam deliberationem in operibus consecutis, fuisse iisdem expressè & propriè asscriptam, nusquam videmus.* Primùm ita loquitur, ac si solo loco Iud. 6. rebus inanimatis, id quod personarum est, tribuatur. cùm tamen non pauci sint loci, in quibus idem fieri dicendum est. Deinde Metaphoricè rebus inanimatis loquelam & similia tribui affirmat, cùm tamen nullus in istis loquendi modis Metaphoræ locus sit, sed Prosopopœia omnino agnoscenda sit. Tum insidiosè res inanimatas nominat, quasi scilicet talis sit Spiritus S., cùm simpliciter de rebus sermo sit, quæ possunt esse non tantùm inanimata, sed etiam suo

modo animatæ. Dicere autem Spiritum S. esse rem inanimatam, non caret sua absurditate. Præterea si loquela & similia rebus inanimatis tribui possunt (ut ipse Fr. fatetur) quomodo negari potest, voluntatem & beneplacitum rebus tribui, quæ personæ non sunt? Tam enim prosopopœicum est, rei loquelam & similia tribui, quàm voluntatem & beneplacitum: &, inter similia loquelæ, voluntatem & beneplacitum annumerari, quid vetat? Nonné tam ad loquendum, quàm ad volendum, ut sic loquar, requiritur, propriè loquendo, persona? Porrò unde apparet, in Spiritu S., de quo dicitur, quod velit aliquid, & aliquid ipsi videatur, antegressam deliberationem, ut Fr: affirmat, ad juvandam causæ suæ imbecillitatem? & si tandem antegressa esset, nonné eâdem figurâ, antegressa deliberatio rei tribui potest, quâ voluntas & beneplacitum? Nonné enim Paulus de scriptura etiam dicit, eam providisse aliquid, quod, propriè loquendo, certè deliberantis est. Denique quid hoc est, nulpiam inveniri, rebus inanimatis expresse & propriè asscribi voluntatem & beneplacitum? Quasi verò propriè asscribantur alia personarum propria, rebus quæ non sunt personæ: vel quasi certum sit, voluntatem & beneplacitum propriè & absque figura, tribui Spiritui S. in locis citatis? Cùm tamen eadem sit figura ubi voluntas Spiritui S. tribuitur, quæ ibi est, ubi aliis rebus loquela & similia tribuuntur.

Gal: 3.8.

Iam ad alia pergamus. Thesis 135. est: *Quid quod quæ charitati 1. Cor: 13. impropriè & Metaphoricè attribuuntur, completam & perfectam personam adeò procreare non possunt, ut adversarii ipsi, si genuinam singularum rerum vim accuratam expenderent, fateri necessum habebunt.* Hîc equidem vel meam tarditatem agnosco, qui, quid Frantzius sibi velit, non intelligam: vel si quid eorum, quæ dicit, intelligo, video, illum non attendere, quid dicat. Ita enim loquitur, ac si quis dicat, ea, quæ de charitate in loco citato dicuntur, completam & perfectam personam procreare posse, cùm tamen contrarium planè statuamus nos, quos nescio quid, ait Frantzius, necessum habere fateri. Illud iterum non examino, quòd improprietatem, quæ est in loco citato per Metaphoram explicat, quasi sola Metaphora sit tropus aut figura: & quasi constet, hîc locum habere istam figuram, quam tamen nullum habere, docti perspicere possunt. Quis enim nescit Metonymicos hos esse sermones? Post hâc obscuritatem suam annectit etiã aliquid, quo nobis illudere conatur: thesi 136. quæ talis est.

Et quanta hæc eßet plusquàm absurdißima confusio, baptizari nos in nomine Patris & Meßiæ & virtutis divinæ, major certè, quam si Moses se mißum fuiße proclamasset à Deo Abraham, Isaac & supplantationis.

onis. Hoc igitur cum absurdum sit, illud multo magis pro absurdo habebimus. Imò perelegans est & dignum novo fœdere hoc pronunciatum, baptizari nos in nomen Patris & Filii & Spiritus sancti. In novo enim fœdere ad salutem nostram ita pertinet, Dei decreto & beneficio, Iesus Nazaræenus, ut ipse Deus Pater; & in eodem Spiritus S., omnibus in Christum credentibus, promissus est. Nam baptizari in nomen Patris & Filii & Spiritus S, aut de baptismo aquæ accipitur, aut de baptismo alio, ut nos quidē sentimus, doctrinæ scilicet. Si de priori, ut adversarii volunt, quid est convenientius, quàm eum, qui Christi discipulus factus est, aquâ baptizari in nomen Patris, quia profitetur se Deum illum unum pro Patre agnovisse, & totum se ei dedicat: & in nomen filii, quem similiter hoc ritu profitetur, tanquam Dominum suum, & totum se illi regendum tradit: & denique in Spiritum S., quem scilicet sperat se consecuturum a Deo tanquam præmium suæ in Christum fidei in hac mortalitate. Pueriles enim istas nugas pædobaptismi, ad quem hæc verba Frantzius cum suis trahit, nihil nunc moramur: Si verò de baptismo doctrinę sermo sit, quid iterum convenientius est, quàm eos, qui Christi discipuli fieri volunt, erudiri in doctrina de Deo Patre, & Iesu Christo, & Spiritu sancto, quæ scilicet ad salutem omnino est necessaria, etiamsi nec filius Deus ille unus sit, qui Pater est, nec Spiritus S. persona. Accipi autem quandoque vocem baptismi pro doctrina, ostendunt hi loci, Mat: 21. Act: 18. Heb: 6. In primo enim, cùm Christus Iudæos interrogat, baptisma Iohannis unde erat, satis manifestum est, cum de doctrina Iohannis id intelligere, hæc enim erat a Deo verè profecta. In altero verò, quando de Apollo dicitur, tantùm sciens, (ἐπιστάμενος) baptisma Iohannis, tum ipsa vox sciendi, tum opposita ibidē huic baptismo Iohannis, perfectior instructio in via Domini, docent, vocem baptisma nihil aliud significare, quàm doctrinam Iohannis, & sensum esse, quòd Apollo tantum de Christo sciverit, quantum ex doctrina Iohannis assequi poterat. In tertio verò dicitur, discipulos istos baptisatos fuisse, nempe aquâ, in baptisma Ioannis. quod non nisi de doctrina Ioannis accipi posse, tum per se patet, tū alibi a nobis ostensum est. Ineptissima autem simul & absurdissima est instantia, quam Fr: affert, quæ nihil etiam cum ratione sana commune habet; adeoq; indigna, quæ prolixè refutetur. Nam loco personæ, ponere illius personæ significationem, nempe loco Iacobi, supplantationem, quod facit Fr: in sua instantia, stultum certè est: At unâ cum persona ponere ejus potentiam & virtutem, vel gratiam, nihil in se absurdi habet, imò argutum aliquid est. Quia scilicet & persona ipsa & ejus virtus atque potentia, vel gratia, requirantur ad rem, de qua agitur, cujus rei exempla paulò antè ostendimus.

Quid sit baptizari in nomen Patris Filii & Spiritus S.

Mat: 21. 25. Act: 18. 25. & 19. 3.

Thesis 137. est: *Præterea huc accersimus illud ex Esa: testimonio, apud quem Israëlitæ scribuntur irritasse, conturbasse, tristitiâ aut dolore affecisse Spiritum S. utique injustis factis & inobedientia. Id quomodo fieri potuit, nisi irritatâ Divinâ personâ?* Sed testimonium illud affirmat, irritasse Iudæos, Spiritum S. Dei, Quod solum satis est ad demonstrandum, Spiritum S. non esse personam a Deo distinctam, vel eundem cum Patre Deum. Nam qui Dei est, Deus esse non potest. Dicitur autem, Iudæos irritasse Spirtum S. Dei impropriè & figuratè, quatenus scilicet Deum ipsum, qui est persona Divina, irritârunt. Sed de hoc antea satis etiam diximus.

Sed jam audiamus conclusionem harum Thesium Frantzii. Sic igitur ait thesi 138. *Cæterùm de hoc arcano mysterio nec SS. oracula plura, nec Ecclesiæ sub V. & N. T. statu, testimonia in medium hac vice producere libuit. His enim paucis Divinis dictis ab Arianorum inprimis & Photinianorum recentium, detorsione vindicatis, reliqua omnia ab aliis numero benè multa comparata, magno & faciliore cum emolumento adversus eosdem hostes à quolibet usurpabuntur.* Quemadmodum hæc allata nullam vim habere ostensum est, ad demonstrandum istam monstrosam de Dei & Iesu Christi essentia sententiam: sic etiam reliqua, quæ adduci possunt, nihil momenti allatura, existimandũ est. Iam enim novimus, quid ex universa s. scriptura afferri possit, & soleat ab Adversariis nostris, qui diutius & accutiùs etiam nobiscũ conflictati sunt, quàm hactenus Frantzius & alii ejus similes: & exstant Dei gratia ad omnia illa Ecclesiarum nostrarum responsiones tales, quas hactenus nemo labefactare nedum evertere potuit. An verò hæc, quæ Frantzius in thesibus suis comprehendit, ad nos erroris convincendos sint emolumenti aliquid allatura, is intelliget, qui hæc, quę breviter illis opposuimus, diligenter considerabit. Alia arma quęrenda sunt adversariis, aut arenâ cedendum est. Sed nunc audiamus etiam orationem Frantzii, qua claudit theses.

Thesis 139. est: *Æternum Patrem æternum Filium per æternum Spiritum S. ardentibus honoramus votis, ut in hoc hæresium fertili seculo veritatis suæ lucem per veritatis suæ administros fideliter asserere & protegere dignetur.* Æternus Pater, quâ Pater, nullus est: nullus æternus, hoc est, ab æterno, Filius. Frustra igitur eos orat Frantzius. Quis porrò unquam audivit, Deum & Filium orari *per* æternum Spiritum sanctum? Exotica sunt, barbara sunt illa omnia, & ex Ecclesiis Pontificiorum corruptissimæ reliquiæ. Quantò rectiùs est, Patrem orare per Filium? Quantò rectius orare Patrem & Filium, ut det nobis Spiritum sanctum, quorum plena sunt s. literarum volumina? Per

quem verò Deus oratur, quomodo is idem Deus, qui oratur, esse potest? Id porrò, quod oratur, & proinde dari, & infinitis dari potest, quomodo persona esse potest? Sed his jam omissis, oramus etiam nos æternum Deum, qui est Pater Domini nostri Iesu Christi, per eundem Iesum Christum, ut, quia denuo solem veritatis suæ, tempore avorum nostrorum, oriri voluit, & non omnibus omnia, sed singulis seculis sua revelavit mysteria, Spiritum sanctum omnibus, inprimis verò Ecclesiarum doctoribus, & ipsi Frantzio largiatur, ne odiis invicem certemus, sed charitate; & ut omnia probare, quæ divinitùs revelantur, & quod bonum est, tenere velimus, efficiatque, ut aut unum omnes in Christo sentiamus: aut saltem, secundùm eandem Christi doctrinæ regulam, Deum & Christum colamus, & vitam nostram instituamus, atque ita perpetuæ felicitatis omnes simul participes evadamus. Amen. Phil:3.16.

REFUTATIO THESIUM D. WOLFGANGI FRANTZII,

De Peccato originis.

v. Hornb. 1,562.

Quæ est Disputatio ipsius secunda.

PARUM rectè primùm gerere se Frantzium dici potest, qui, de Peccato originis disputaturus, statim accedit ad quæstiones. 1. Cur dicatur peccatum originis. 2. Quid sit peccatum originis. Docendum enim priùs erat, an sit aliquod peccatum originis, præsertim cùm sciat, esse non paucos, qui planè illud pro commento humano habeant. Nam negata re, negantur omnia ejus accidentia & circumstantiæ. Dicet Frantzius, se infrà id facere. Cur verò ab initio thesium, ut ipsa res postulat, facere illud neglexit? Accederem igitur statim ad ea, quibus nostram sententiam Frantzius impugnat, nisi res ipsa postulare videretur, ut ea, quæ de hoc commento ipse disserit, examinentur, ut pote in quibus multa absurda, ridicula & Theologiâ valdè indigna continentur.

Thesi 4. ait: *Homines post lapsum filios & filias suas ad imaginem suam generare, non autem ad imaginem Dei,* additis locis *Genes:* 5: 3. *Rom:*5. 12. At prior locus non docet, eum, qui ad suam imaginem ali-

quem generat, esse peccato originis infectum. Poterat enim ipse esse conditus ad imaginem Dei, & imagine Dei esse præditus, qui generat, & sic alios ad suam imaginem generando, ad Dei etiam imaginem generare. Alter verò locus neque hoc affirmat, homines generare filios & filias ad imaginem suam. Quomodo igitur ex eo peccatum originis colligi potest? Verba Pauli sunt: *& ita mors in omnes homines pertransiit, ἐφ' ᾧ omnes peccaverunt.* Verba autem ἐφ' ᾧ verti posse,

2. Cor:4. 5. eò quòd, nemo nescit, qui linguæ Græcæ vel tantillum peritus ast. Et etiamsi diceretur, omnes peccasse in Adamo, num hinc sequeretur, eos generare liberos ad imaginem Dei corruptam? Semel hoc monebo: Tam mirabiles & invicem remotas sacrarum literarum explicationes & allegationes afferre solet Frantzius, ut causa ipsius ob hoc ipsum jure suspecta esse debeat cordato lectori, quod etiam ex mox sequentibus thesibus fiet manifestissimum, quas in hunc ipsum finem hîc asscribam. Aliàs enim non erat opus, illas examinare, sed satis erat ad ea respondere, quibus nostram directè tantùm petit confessionem.

Thesis 5. est: *Materiale (peccati originis) complectitur corruptionem, quæ habet duo, nimirum 1. defectum vel privationem imaginis Dei & justitiæ ac sanctitatis originalis, quæ in creatione homini fuerunt communicata, & adesse & inesse potuissent & debebant, Rom:3.23. 2. Cor:3.18. Deinde 2. concupiscentiam seu potius concupiscentiarum fœdissimarum inordinatam dispositionem & abominabilem lepram, tanquam pravam positionem depravationis omnium virium humanarum, quæ abesse potuisset & debebat, Gal:5.24. Col:3.4. ubi renatis concionatur Paulus.* Locus citatus Rom: 3. 23. sic habet: *Omnes enim peccaverunt & destituuntur gloriâ Dei.* Quomodo verò ex eo vel per speciem probari potest corruptio, vel defectus & privatio imaginis Dei, & justiciæ ac sanctitatis originalis, quæ in creatione cum homine fuerant communicatæ, & adesse & inesse debebant? Fit mentio peccati. Ergo peccati originis? Fit mentio destitutionis vel carentiæ divinæ gloriæ. Ergo privationis imaginis Dei & justitiæ ac sanctitatis, ejusque originalis. Fit mentio carentiæ divinæ gloriæ. Ergo in creatione cum homine fuit communicata: ô ineptias! Quòd ad verba Pauli

Locus Rom: 3.23. explicatur. attinet, illud *peccaverunt*, intelligendum est de peccato vero, non imaginario illo, quod vulgus Christianorum sibi confinxit. Quod peccatum verum, est transgressio voluntaria divinæ voluntatis. Extra quod peccatum nullum datur aliud. Cujus peccati argumenta per totum caput 3. Paulus attulerat. *Gloria Dei*, quâ destituuntur peccatores, est, beatitas illa, quâ fruuntur illi qui Deo curæ sunt & in hoc & in

futuro seculo, ut etiam infra cap:5.2.& cap:15. 7. eadem felicitas futura *Gloria Dei* appellatur. In tanta veritatis luce, quid opus est ad opacas errorum tenebras sese proripere, & in illis perpetuò delitescere velle?

Alter locus 2. Cor: 3.18. sic habet: *Nos verò omnes revelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur a gloria in gloriam, tanquam à Domini Spiritu.* Arrige hîc aures, quisquis es studiosus veritatis. Nonné hîc exagitandi Frantzium magnus est campus, magna occasio? Ego verò tantùm eum moneo, ut, quia eum Deus Ecclesiæ tam illustris primarium Doctorem esse voluit, aliter se in rebus divinis tractandis gerat, & magis sobriè de semetipso sentire incipiat, qui tam graviter in tam gravibus rebus hallucinatur. Nam nec perspicere nec divinare possum, quomodo verba Apostoli ad propositum ipsius quicquam facere possint. Num, quia mentio fit imaginis, ideo de imagine Dei, quam sibi fingit Frantzius, sermo est, & ex eadem voce eadem res concludi potest? Describit ibi Paulus præstantiam populi Christiani, ex collatione præstantiæ populi Israëlitici. Hunc, ait, habere velamen super cor suum positum, quamdiu ad Christum non convertatur: illum verò absque velamine gloriam Domini aspicere, & in eandem imaginem transformari a gloria ad gloriam, hoc est, populum Israeliticum obscurè tantummodo Dei voluntatem intellexisse: populum autem Christi eandem Dei voluntatem, quæ in promissis & in præceptis sita est, ita apertè & evidenter intelligere, ut nihil ei ad eam cognoscendam desit. Hoc verò quid ad peccatum originis, quid ad justitiam & sanctitatem originalem, quas in creatione homini communicata fuisse, ait Frantzius? Loc. 2. Cor. 3. 18. explicatur.

Citatus est tertius locus Gal: 5.24., qui sic habet: *Qui Christi sunt, crucifixerunt carnem cum vitiis & concupiscentiis.* Ex hoc probari vult Frantzius, concupiscentiam vel concupiscentiarum fædissimarum inordinatam dispositionem & abominabilem lepram, tanquam pravam positionem depravationis omnium virium humanarum, quæ abesse potuisset & debebat, quam ille materiale peccati originis appellat. Oedipis vel ariolis ista scripserit, necesse est Frantzius. Davi enim & homines vulgaris ingenii ista non capient unquam. In loco citato mentio fit carnis, & ejusdem vitiorum & concupiscentiarum. quod nemo nostrum negat: At ista vitia & concupiscentias ex peccato originis proficisci, hoc hoc erat probandum Frantzio. Id quia non fecit, quid restat ampliùs, quàm suspicari, cum id vel non potuisse, vel neglexisse facere, quorum utrumvis nimis in eo turpe est.

Locus denique citatur Colos: 3.4. ubi per errorem credo v: 4.

pro 5. positum. Nam v:4. sic habet. *Cùm autē Christus apparuerit, vita vestra, tunc & vos apparebitis cum eo in gloria.* Quintus autem versus est: *Mortificate igitur membra vestra quæ* (sunt) *super terram. fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam & avaritiam, &c.* Hîc autem idem est vitium, quod in loco præterito annotatum fuit, nempe non doceri, concupiscentiam malam cum peccato originali quicquam commune habere: imò ex loco hoc tacitè colligi potest, concupiscentiam, per se malam non esse, dum jubemur, malam concupiscentiam mortificare. Ex utroque autem apparet, diversum quid esse istas concupiscentias, quarum mentionem facit Paulus ab illa lepra, quam Frantzius nobis fingit: Nam quæ Paulus recenset, ea crucifigi & mortificari, hoc est, ita deleri possunt, ut amplius in homine prorsus non sint: At lepra, quam Frantzius somniat, ita est nobis innata, ut nunquam prorsus aboleri possit.

Sed jam audiamus etiam sextam thesin, quæ talis est: *Neque enim solummodo magnificis bonis exuti & spoliati sumus, sed etiam contrariis & maximis malis induti, affecti & dedecorati, ut patet ex oppositione animalis & spiritualis hominis, Rom:8.6. Item 1.Cor:2.14.15. Siquidem pro sapientia cælestium rerum, tenebræ in iisdem, pro sanctimonia successit contumacia & aversio seu inclinatio naturæ perpetua & tantummodo ad malum in spiritualibus. In externis & terrenis adhuc aliquid valet intellectus & voluntas.* Tota hæc thesis positio est merorum errorum: probatio verò eorum, quæ affirmantur, non minus errorum plenissima est. Quid enim verba Pauli: *Prudentia carnis est mors: at prudentia spiritus vita & pax*, commune habent cum eo, quod nobis prædicat Frantzius de peccato originis, vel corruptione ex ea manãte? Paul⁹ de carnis sapientia simpliciter loquitur: Frantzi⁹ de ea, quæ peccatum originale consecuta sit, cujus ne minimũ quidem vestigium in his verbis Pauli apparet. Idem etiam de loco ad Corinthios sentiendum. Non negatur, esse magnam differentiam inter animalem, (quem Frantzius crasso more pro carnali accipit) & spiritualem: & magnum etiam damnũ esse, si quis ex spirituali fiat carnalis, (animalis enim nemo fieri potest, cùm talis unusquisq; nascatur): Sed hoc ad rem nihil facit. Demonstrandũ erat, hominem animalem, vel (ut Fr: id accipit) carnalem factum esse per peccatum illud brutum originis, quod nunquam efficiet Frantzius. Animalis fuit etiam ante lapsum homo, ut ex 1.Cor:15:44,45,46. manifestè apparet. Carnalis homo factus est per spontaneam mentis suæ a Deo & virtutis studio abalienationē. Ista sapientia rerum divinarum & sanctimonia, quam Adamo ante lapsum tribuit Frantzius unà cum aliis, Idea quædã est in ce-

Differentia inter hominem animalem & carnalem.

rebro ipsorum nata, de qua ne γρῦ quidem in s. literis. Simplicitas & innocentia si tribuatur Adamo ante lapsum, satis superque est.

Thesis 7. est: *Formale complectitur reatum, quem ita definiunt Theologi, quòd inde ab Adamo usque omnes ex virili semine concepti, geniti & nati, propter introductam ab Adamo & in nos omnes propagatam nobisque inhærentem naturæ corruptionem, socii simus culpæ primæ, adeoque non propter Adæ lapsum, tanquam propter alienum tantum modo peccatum, sed propter propriam labem rei simus. Rom.* 5.12. Rectè habet, quòd ipse se Frantzius prodit, quantum tribuendum sit huic thesi, dum eam autoritate Theologorum confirmat. Nihil enim inter omnia argumenta, humana auctoritate levius, nihil incertius. Errantium multitudo non parit errori patrocinium. Non ex sententia Theologorum suspectorum & præjudicatis opinionibus plærunque excæcatorum, sed ex sententia Apostolorum & Iesu Christi in huiusmodi rebus pendendum est. Locus Rom: 5. 12. frustra asscriptus est. Is enim tantùm hoc affirmat: *Mortem in omnes pertransiisse, quatenus omnes peccârint.* Mortem, inquam, non naturæ inhærentem corruptionem, & mortem eam in omnes pertransiisse, non quòd homines socii sint culpæ primæ, sed quòd ipsimet peccârint. Quanquam non negamus, propter ipsam propagationem, quam omnes habent ex Adamo, eos etiam esse morti æternæ obnoxios, etiamsi non peccârint, quod Paulus in sequentibus versiculis explicat: quemadmodum etiam omnes, qui in Christum credunt, vitam æternam consecuturi sunt, etiamsi non ita obedientes fuerint, ut Christus obediens fuit, propter propagationem quam ex Christo habent, quæ aliud nihil est, quàm fides illa in Christum. Videant, qui veritatem amant, an jure de Frantzio conquerar, illum susque deque facere, quid dicat, & quomodo ea, quæ dicit, probet, & hinc causæ ipsius bonitatem agnoscant.

Homines cur morti unà cum Adamo obnoxii.

Thesis 8 eundem habet errorem quem 7., itaq; eã prætermitto.

Thesis 9. est., *Simul etiam ad effectus peccati originalis pertinet hoc, quòd ex illa tanquam ex fonte scaturiunt omnia alia actualia peccata. Gen.* 8.21. *Cogitatio cordis hominis prava est à pueritia sua.* Assertio falsissima: probatio ineptissima. Nam quæ in Adamo causa fuit, cur peccaret, etiamsi nullo peccato originis infectus erat, ea etiam in aliis hominibus causa esse poterat, cur peccarent, etiamsi nullo peccato originali infecti fuissent. Locus citatus nihil de natura hominis loquitur, & posse esse aliquem pravum a pueritia, vel ab adolescentia sua, ut ex Hebraico plærique interpretantur, aliam ob causam, quàm quòd peccatum origínis in eo hæreat, ipse sensus communis dictat.

Thesi 11. ait, *Subiectum universale peccati originalis esse omnium hominum etiam sanctissimorum liberos.* Assertio falsa. Probat eam his verbis Pauli: *Omnes enim peccaverunt & egent gloria Dei, ut omne os obturetur, & totus mundus fiat reus Deo, qui conclusit omnes sub peccatum, ut omnium misereatur. Rom: 3. 23. 19. 23.* Allegatio locorum mirabilis. Ita enim primùm loquitur Frantzius, ac si eo ordine scripta essent a Paulo, quo ipse ea commemorat, cùm tamen diverso ordine conscripta sint: ut unicuique locum inspicienti manifestum fiet. Deinde ita ea citat, ac si omnia in uno loco scripta essent & ad eandem materiam pertinerent: cùm tamen verba priora in cap: 3., posteriora verò, *Conclusit omnes sub peccato, ut omnium misereatur.* cap. 11. de re diversa scripta sint. Sed hæc negligentiæ tantùm indicia sunt. Inertiæ verò argumenta hæc sunt, 1. quòd, quæ scriptura de hominibus, ad quos reipsâ sacra scriptura pertinet, & quibus ea proposita est, ad infantes etiam pertrahit Frantzius, de quibus nihil in locis citatis dicitur. Vocem autem *omnes* generatim plærumque, non vero universaliter accipiendam esse, nemo Theologus ignorat. 2. Quæ Paulus de peccato spontaneo, quod solum peccatum est, & de peccati habitu (hæc enim vocis *peccârunt* in sacris literis potissima significatio est) affirmat, ea Frantzius ad peccatum illud suum imaginarium, quod nullum est, pertrahit 3. Quod Paulus tanquam rem præteritam in hominibus commemorat, quòd omnes in universum (qui scilicet peccare poterant) peccârint, hoc Frantzius tanquam de re præsenti accipit, ac si omnes adhuc sint peccato originis infecti. Longè autem diversa sunt, peccasse & peccare. De eo enim dici potest, quòd peccaverit, qui peccati reus est, etiamsi fieri possit, ut nunc non peccet, hoc est, in nullius peccati habitu hæreat. 4. Quæ de hominibus ad peccandum comparatis & aptis dicta sunt ab Apostolo, ea Frantzius ad eos, qui per ætatem peccare nullo modo possunt, sed innocentes sunt, teste Christo, summam per imprudētiam accommodat. Dico igitur denuo, Frantzium, suo more, nec quid dicat, nec quomodo dicta probet, considerare, quod etiam sæpissimè in thesibus ejus occurit.

Matt: 18. 1. & 19. 14.

Thesi 12. ait, *nullum individuum immune fuisse à peccato originali, præter Iesum Christum, qui est secundus Adamus.* Luc: 1. 35. Prior pars thesis falsa est, & sola negatione refutari potest, quia nulla ratione probatur: Nempe nullum individuum unquam peccato originis fuisse infectum, & proinde etiam nec ipsum dominum Iesum Christum, non tantùm propter hanc causam, quam affert Frantzius, sed etiam, quia peccatum illud mera est fabula, quam tanquam fœtum

alienum

alienum fovent Lutherani & alii. Illud verò mirari subit, cur addiderit Frantzius, de Christo loquens, qui est secundus Adamus, & cur locum Lucæ allegârit. Ex sylva primùm errorum tenebrosa prodiit Frantzius itaque sic ineptè omnia loquitur. Nam si per verba illa, *qui est secundus Adamus*, probare voluit, Iesum Christũ immunem fuisse a peccato originis, cur locum Lucę citavit, in quo nihil de secundo Adamo dicitur? Si ex loco Lucæ id idem probare voluit, quid opus erat, Christum vocare secundum Adamum? Locus Lucæ 1. non docet, D. Iesum esse secundum Adamum, etiamsi doceat, illum esse conceptum de Spiritu sancto. Quantumvis enim Christus miraculoso modo conceptus esset, non erant tamen corpus & natura ipsius diversa a nostro corpore & natura, sed non minus erat corpus ipsius infirmũ & mortale, ut nostra sunt. Vnde etiã tentari potuit, & tentatus fuit per omnia ad similitudinem nostri. Locus verò, ubi Christus secundus vel novissimus Adam appellatur, non ad Christi nativitatem ex Maria virgine referendus est, sed ad ejus in cælos ascensionem & ingressum. Ait enim Apostolus: *novissimum Adamum factum esse in Spiritum vivificantem.* Christus verò Spiritus vivificans prius nec fuit nec esse potuit, quàm naturâ immortalis fieret, teste ipsomet Christo, qui, etiam post resurrectionem suam, negabat se Spiritum esse. Possem hîc iterum Frantzium jure reprehendere & ei insultare etiam: sed malo illum hos errores sponte sua agnoscere, & alios, quid de eo sentiendum sit, judicare.

Christi natura eadem fuit cum nostra.

Luc: 24. 39.

Thesi 13. ait: *subjectum singulare peccati originis est non altera aliqua pars hominis, sive solum corpus sive sola anima, sed utraque simul adeoque tota hominis substantia cum omnibus & singulis ejusdem utriusque viribus & facultatibus superioribus & inferioribus: Psal. 51. vers: 7.* Assertio turpissima, &, quem tantopere exagitant Lutherani, Flaccio digna. Nam quid gravius dicere potuit Flaccius? Sed habeant ista sibi, qui tantopere sordibus peccatorum versandis delectantur. Nihil autem veri in se eam continere, ex probatione, quam ejus rei affert Frantzius, ad oculum videre est. Nam si locum habuisset Frantzius validiorem, proculdubio eum attulisset. Hic verò, quem attulit, quid ad rem facit? Verba sunt Davidis: *In iniquitate formatus sum, & in peccato concepit me mater mea.* Primùm unde patet, id quod David de se solo dicit, de omnibus, quicunque unquam, præsertim verò antea, extiterunt hominibus, intelligendum esse, etiamsi tandem peccatum originis in illis verbis expressè nominatum esset? Deinde ex locutionibus figuratis dogma religionis extruere velle, quid est aliud, quàm hoc ipso prodere, dogma illud falsum esse? *Tu*

De loco Psal: 51. 7.

V. Slegm. f. 121.

in pec-

Joh: 9. 34. *in peccatis natus es totus*, dicebant Phariſæi cæco nato & a Chriſto ſanato, *& doces nos*, nihil de peccato originis vel cogitantes. alioquin enim ſeipſos etiam increpaſſent. Solent ſcilicet hiſce loquendi modis figuratis & hyperbolicis peccata exaggerari, & hac ratione Deus ad miſericordiam noſtri commoveri. Hinc etiam Vatablus in hæc verba ita commentatur: *Significat, ſe ex infirmitate carnis peccaſſe.*

Vatabli teſtimonium.

Theſi 14.15.16.17. modum propagationis pecccati originalis perſequitur: Sed quia peccatum originale nullum eſt, ut ex iis, quæ ad præcedentes theſes reſpondimus, apparet, & ex iis, quæ ad ſequentes, in quibus nobiſcum congreditur Frantzius, nempe a 48. usque ad 70. reſponſuri ſumus, apparebit, fruſtra eſt, quicquid hîc diſſerit.

Theſi 18. & ſeq: usque ad 26. obiter diſputat de origine animæ humanæ. De qua quæſtione non eſt opus, nunc quicquam dicere. Hoc tantùm annotare libuit, quàm fœdè & audacter, adde etiam imperitè, literas ſacras ad ſuas opiniones Frantzius pertrahere non dubitet. Animam a Deo creari & infundi theſi 19., & liberos formari a Deo tum ſecundùm animam, tum ſecundùm corpus theſi 20., probat loco Hebr: 12. 9. quem bis etiam in duabus theſibus allegat, ob id proculdubio, quòd Deus ibi *pater Spirituum* appelletur. Quid verò eſt, quod cogat verba iſta ſic accipere, ut ſignificent, Deum infundere animas in homines, vel formare liberos tum ſecundùm animam tum ſecundùm corpus? Nonné iſto in loco pater ſpirituum opponitur patribus carnalibus, ut, quemadmodum ab his habemus hanc vitam temporariã, & ita corpus & animã, ſic ab illo æternã nunc in ſpe habemus & olim re ipſa habebimus? Nonné porrò conſtat manifeſtè, Deũ, ratione tantùm fidelium, patrem ſpirituum appellari. Hi enim ſoli ejus filii ſunt: At ex mente Frantzii, reſpectu etiam infidelium, imò infantium, qui neque fideles ſunt neque infideles, pater appellaretur, quatenus ſcilicet omnibus his animas infundat, & eas formet. Nusquam autem in ſacris literis nec Deus, reſpectu hominum ſimpliciter pater appellatur, nec, ut appelletur, ratio ipſa permittit. Quicquid enim ex homine natum eſt, quatenus ex eo natum eſt, caro eſt, & nihil cum Deo commune habet.

Cur Deus, Pater ſpirituũ appelletur.

Theſi 22. rationes affert, cur ex traduce naſcantur animæ. Quas, quia obiter rem illam tractat Frantzius, & ipſa per ſe perexigui eſt momenti, nolo nunc examinare. Infirmas tamen ſaltem quasdam eſſe, quivis per ſe intelliget, præſertim primam, ſecundam & ultimam. Sed huic rei nunc non in ſiſto.

A theſi 26. uſque ad 42. iterum obiter disputat de imagine Dei in homi-

in homine. Sed quia ea dicit, quæ nullo modo ſuſtineri poſſunt, nos obiter etiam ea percurremus & indigitabimus, quàm graviter hallucinetur Frantzius.

Theſi 27. ait, quid imago Dei fuerit, ad quam homo formatus eſt, diſcendum eſſe ex Paulo Apoſtolo, Epheſ: 4. 24.

Theſi 28. ſic ait: *Is igitur quando veterem hominem, hoc eſt, imaginem & ſimilitudinem Adami deponere jubet, & novum hominem, qui ſecundùm Deum conditus eſt, hoc eſt, imaginem Dei induere docet, mox è veſtigio imaginem Dei ſeu novum hominem ita explicat, quod fuerit conditus primus homo ad juſtitiam & ſanctimoniam veram. Ergo imago Dei in homine ante lapſum conſiſtebat in concreata juſtitia & verâ ſanctimonia primorum parentum.* Metuo, ut omnes errores, qui in hac theſi continentur, & in ſequentibus repetuntur, explicare poſſim. Sed ante omnia verba Apoſtoli apponenda ſunt. Ea enim lectorem, in animadvertendis iſtis erroribus, non parum juvabunt. Sic igitur Apoſtolus ait: *Deponere vos ſecundùm priſtinam converſationem veterem hominem, qui corrumpitur ſecundùm deſideria erroris: Renovari autem ſpiritu mentis veſtræ, & induere novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis.* Iam gloſſema Fr: videamus, errorum ſcilicet centonem. Primùm igitur ait: Veterem hominem eſſe imaginem & ſimilitudinem Adami. At hoc nec Paulus dicit, nec ex dictis Pauli, imò nec ex univerſa ſ. ſcriptura colligi poteſt, nedum expreſsè oſtendi. Errat igitur dupliciter in eo Frantzius, dum credit, Paulum, per veterem hominem, perſonam aliquam intelligere, qualis ſcilicet ſit Adam, cùm nulla ejus fiat mentio: & non animadvertit, per loquendi modum figuratum, veterem hominem, appellari veterem & ante Chriſtum cognitum actam vivendi conſuetudinem, quemadmodum ipſe Paulus ſeipſum explicans, jubet deponere, *ſecundùm priſtinam converſationem*, veterem hominem, ita ut verba, *veterem hominem*, per appoſitionem quodammodo ſint addita præcedentibus, & idem planè ſint, quòd iſta priſtina converſatio. Errat iterum Frantzius, dum, iſtum veterem hominem, credit eſſe Adamum. Licet enim Adam ſit vetus homo: at non vetus hic homo eſt Adam. Impoſuit proculdubio Frantzio id, quod Adamus alicubi primus homo, reſpectu Domini Ieſu, qui eſt ſecundus homo, appellatur, vel etiam quod typus futuri appellatur. Sed hæc diverſa ſunt. Adam enim, primus homo appellatur, reſpectu naturalis ſuæ conditionis, in qua a Deo creatus fuit. Dicitur enim quòd factus vel creatus ſit in animā viventem: At ſecundùm Fr., Adam non eſt vetus homo, reſpectu cōditionis in qua fuit creatus, ſed reſpectu conditionis poſt

Quid ſit vetus & novus homo.

1. Cor: 15. 4[illegible]

ꝟ 45.

lapsum. Errat porrò Fr: quòd imaginem & similitudinem Adami appellat proculdubio vitiositatē, vel ipsa vitia hominū. Hoc enim nusquā in sacris literis extat, nec ex iis deduci potest. Imago primi hominis, est fragilitas & mortalitas, quā nos perinde circumferimus, ac iste pater noster, primus Adam, quia & ipse talis a Deo creatus fuit. Vitiositates autem vel vitia hominum, non ab Adamo proveniunt, propriè loquendo. sed actiones sunt hominū voluntariæ & liberæ. Deinde ait Fr., novum hominem qui secundùm Deum conditus est, esse imaginem Dei. Errat igitur, quòd Adamo opponat vel imagini Adami imaginem Dei. cùm tamen Paulus, *novum hominem qui secundùm Deum conditus est*, veteri homini opponat, novus autem homo secundùm plærosque Theologos sit ipse Christus, secundùm autem ipsam veritatem, novus homo, est nova vivendi ratio. Hunc conditum esse ait Paulus, *secundùm Deum*, hoc est, ex mente Dei, ita ut Deo placeat. Hic enim phrasis hujus, *secundùm Deum*, sensus est: ut Rom:8.27. *Spiritus secundùm Deum interpellat pro sanctis*, hoc est, ita ut Deo placet. Ephes:2,2. Quemadmodum vicissim secundùm Diabolum vel principem potestatis aëris, id esse dicitur, quod ejus voluntati respondet.

Porrò ait Frantzius, Paulum mox è vestigio imaginem Dei seu novum hominem ita explicare, quòd fuerit conditus primus homo ad justitiam & sanctimoniam veram. Hîc cum erroribus fallaciæ etiam, & fortassis voluntariæ, sunt commixtæ. Primùm falsum est, imaginem Dei idem esse, quod novum hominem. Novus enim homo ad imaginem Dei creatus est. Itaque non erant conjungenda hæc: *Imaginem Dei seu novum hominem*. Deinde fallacia in eo multiplex omnino est, cùm dicitur, Paulum affirmare, quòd conditus fuerit primus homo, ad justitiam veram. Nam primùm verba Pauli, *qui creatus est*, astutè & insidiosè ita convertuntur, quòd *fuerit creatus*, quasi scilicet olim creatus fuerit, nunc verò non sit: & tamen ita conversa, *qui creatus est*, significare possunt & significant rem tunc adhuc præsentem & durantem. Deinde vocem creationis absq; omni probatione accipit Fr: pro veteri creatione, cùm tamen omnibus notissimum sit, eam in sacris literis, præsertim verò novi Fœderis, sæpissimè novam significare creationem. Tertiò insidiosè loco novi hominis, supponit primum hominem, cùm Paulus non de primo, sed de novo homine dicat, illum secundùm Deum creatum esse in justitia & sanctitate veritatis. Quartò tacitè sumit, Adamum appellari posse novum hominem, quia primus homo fuerit, & ita eundem esse veterem, qui novus sit, & novum qui vetus sit, diverso fortassis respectu, qui tamen planè controversus, imò falsus est. Denique loco ejus, quod Paulus

dicit.

dicit, novum hominem creatum esse secundùm Deum in justitia & sanctitate veritatis, ait ille, primum hominem conditum fuisse ad justitiam & sanctimoniam veram. Quantum autem hæc differant, omnes sensati vident. Verba enim *in justitia & sanctitate*, ex vi Hebrææ linguæ idem valent, quod *cum justitia & sanctitate vera*. Qui verò ad aliquid creatur, eum id in ipsa creatione non habere hoc ipso indicatur. Et sic sibi ipsi contrarius est Frantzius. Dicere enim volebat, vel saltem debebat, primum hominem conditum fuisse cum justitia & veritate. Iam videat lector benevolus, quanti sit facienda illatio Frantzii, dum ait: *Ergo imago Dei in homine ante lapsum consistebat in concreatâ justitiâ & verâ sanctimonia primorum parentum.* Si hæc non sunt scopæ dissolutæ, equidem nescio, quid eas tandem nominabimus? Agite igitur, quibus veritas cordi est, & videte, quid illis, in religione aliquid affirmantibus, tribuendum sit, qui in re tam exigua, tam multipliciter, tam graviter & errant & falluntur. Nihil nunc dico de eo, quod Paulus velit, nos planè abjicere veterem hominem, & induere novum. Unde apparet, rem eum præcipere possibilem, imò necessariam: At, quę somniat Frantzius in veteri homine, hoc est, in Adamo post lapsum, abjici prorsus nullo modo possunt, cùm naturæ & substantiæ hominis inhæreant; nec etiam id, quod ex mente Frantzii Adamus ante lapsum habuit, acquiri potest. Frustra enim est, hoc velle excusare, ut facit Frantzius thesi 44. *quod etiamsi illud tantùm inchoetur in hac vita, tamen Deo placeat, quia proficiscatur ex corde, quod nititur fiducia misericordiæ Dei per Christum.* Sunt enim ista omnia vana humani cerebri commenta, imò imposturæ a Satana hominibus obtrusæ, quibus saluti ipsorum insidiatur, & eandem pessundare satagit. *Ne erremus: Deus non illuditur. Quicquid homo seminaverit, illud metet. Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei qui est in cælis.* Ista inchoativa obedientia neminem servabit, sed secundùm spiritum ambulandum est ei, qui salutem expetit. Gal: 6. 7. Matth: 7. 21.

Iam & illud falsum est, quod thesi 29. ait, Paulum exponere, imaginem Dei consistere in justitia, &c. nulla enim imaginis Dei facta est mentio, sed novi hominis creati secundùm Deum in justitia, &c. Ita scilicet error errorem parit.

Thesi 30. ait, *singulas virtutes, quæ a Paulo in Epistola ad Ephesios describuntur, præcipi in decem præceptis.* Sed quàm verè, videbimus alibi, nempe in responsione ad disputationem 7. Ait etiam, *Paulum eos, qui virtutibus student, novos homines, hoc est, Dei imaginem repræsentantes vocare.* Sed falsa sunt omnia. Nam nec quicquam

de imagine Dei meminit, ut jam docuimus; nec novos homines appellat eos, qui virtutibus student: sed dicit, eos induisse novum hominem, qui secundùm Deum creatus est. Alius est autem novus homo, & alius, qui novum hominem induit.

Thesis 31. est. *Illud ipsum etiam in Epistola ad Coloß: cap: 3. prolixè & clarissimè docet, cùm iterum monet, ut veterem hominem mortificemus, & mores nostros ita formemus, ut patrem cælestem ad cujus imaginem & similitudinem creati sumus, referre queamus.* In hoc loco mentio quidem fit imaginis ejus, qui creavit eum, scilicet novum hominem, cujus in loco ad Ephesios nulla apertè & expresse facta erat: Sed tamen nihil proficit Frantzius. Non enim hoc probandum erat Frantzio, imaginem Dei consistere etiam in sanctitate & justitia: sed docendum ipsi erat, hanc imaginem, quæ consistit in justitia & sanctitate, fuisse in homine ante lapsum, & per peccatum amissam esse. Hoc enim in quæstione est. Potest autem imago Dei non uno modo considerari, quatenus scilicet plura in Deo sunt, quorum similitudinem homo habere vel potest vel tenetur. Itaque in Epistola ad Ephesios, non alius est sensus istius loci, ab eo, qui in Epistola ad Colossens: continetur, nempe *per novum hominem*, intelligi novum vivendi genus, per verba, *qui renovatur in agnitionē*, causam illius efficientem, nempe cognitionem divinæ voluntatis, quæ in promissis potissimùm consistit, quæ sub novo fœdere revelata sunt, per verba denique, *secundùm imaginem ejus, qui creavit eum*, modum & formam, qualem Deus præscripsit, & terminum ad quem tendere debeat novum illud vivendi genus, nempe ad eam perfectionem, quæ est in ipso Deo, qui est autor istius novi vivendi generis.

Thesis 33. ait, *Imaginem Dei (per peccatum amißam) aliquo modo etiam in hac vita restitui*, &c. Sed nisi probetur, eam amissam esse, nullus ejusdem restitutioni locus esse potest.

Thesi 34. affirmat, *eos, qui totos se carnalibus tradunt cupiditatibus* &c. *larvam sathanæ & veterem Adamum seu hominem exprimere.* Hominem eos veterem exprimere dici potuit, sed Adamum nullo modo. Non agnoscit enim talem loquendi modum sacra scriptura, ut antea docuimus.

Quæ thesi 35. & 36. ait; *de effectis imaginis Dei in homine*, nempe *de perfectione sapientiæ cælestis, & immortalitate*, ea omnia vana sunt commenta hominum, & nullo nituntur fundamento. Durante enim hodie Dei imagine, tamen illa non sunt in homine.

Thesi 39. docet, *amissam esse imaginem Dei.* Audiamus igitur:

Amißam

Amissam enim esse imaginem Dei in homine post lapsum convincimus ex Apostolo, qui Eph: 4.23. suadet, ut renovemur, & induamus novum hominem, qui item ad Colos: 3.9. monet, ut exuamus veterem hominem cum factis ipsius (ipsis habet Frantzius) *& induamus novum, qui renovatur ad agnitionem secundùm imaginem ejus, qui condidit ipsum.* Ego verò nullam consequentiæ rationem video. Qualem igitur afferat Frantzius, videamus ulteriùs. Thesis 40. est. *Ideo quippe regeneratione est opus, quia in spiritualibus emortui fuimus, item ideo homo est induendus novus, quia is antea fuerat exutus, & ideo exuendus est vetus homo, quia antea fuerat indutus.* At hoc est terminos mutare. Non enim docendum erat, renovationem præsupponere mortem, vel, ut Frantzius loquitur, ideo regeneratione esse opus, quia priùs in spiritualibus emortui fuerimus: sed eum, qui monetur, ut renovetur, amisisse illud, ad quod admonetur, hoc docendum erat. Potest enim homo esse non regeneratus, atque ita moneri, ut fiat regeneratus, qui tamen nunquam amisit regenerationem. Sufficit ad hanc admonitionem, eum, qui sic monetur, non fuisse antea regeneratum, quacunque de causa & quomodocunque tandem id factum sit. Potest quidem is, qui aliquid amisit, jure moneri, ut amissum recuperare studeat: sed non statim sequitur, eum, qui monetur, ut aliquid acquirat, vel alicui rei studeat, amisisse illam. Satis enim est, si ea re caruerit antea. Alterum verò, quàm insulsum est. Ideo homo novus induendus est, quia is antea fuerat exutus. Nonné enim veste aliqua indui quis posset, qui antea eâ non erat exutus, sed eâ carebat, & nudus erat? Is verò, qui id indueret, quo antea exutus fuerat, iterum id induere dicendus esset. Hoc denique quàm fallax est, & ad rem nihil facit: ideo exuendus est vetus homo, quia antea fuerat indutus. Primùm enim non est par ratio exutionis & indutionis. Qui aliquid exuere jubetur, is eo indutus antea fuisse dici quidem potest: At non vicissim, qui aliquid induit vel induere jubetur, protinus eo antea exutus erat. Deinde, non propria seu figurata horum verborum usurpatio, non permittit, ut similitudo currat quatuor pedibus. In propria exutione tantùm locum id habet, quod ait Frantzius: at in figurata satis est, si, quemadmodum is, qui exuit veterem vestem, mutat externam sui formam: sic is, qui jubetur mutare omnem suam vitam, exuere etiam veterem hominem jubeatur. Cur verò ex loco ad Colos: 3. nihil etiam argumentatur Frantzius? Pariter enim firmum argumentum ex eo, quemadmodum ex loco ad Eph: duci poterat, & duci debebat, si vera est Frantzii eo de loco sententia. Sed, quemadmodum falsum est, ex eo, quòd quis monetur, ut vivat secundùm

imaginem Dei, consequi, cum amisisse illam Dei imaginem. cùm constet, posse aliquem moneri, ut vivat secundùm imaginem Dei, qui eam vel nunquam, vel alia ex parte habuit, quàm ea sit, quæad justitiam & sanctitatem pertinet: ita etiam falsum censendum est, eum novo homine exutum esse, qui jubetur, ut eum induat.

Thesi 41. affirmat: *Veterem hominem, terrenum, novum, cœlestem ab Apostolo appellitari 1. Cor: 15. 18. Mutationem unius in alterum esse transformationem 2. Cor: 3. 18.* Sed utrumque falsum est. Paulus enim 1. Cor: 15. 48. Adamum primum hominem, terrenum vocat, non respectu vitiositatis vel peccatorum: sed respectu naturæ vilis, fragilis & caducæ. Idem enim est apud Paulum isto in loco, terrenum esse, quod corruptibile, imbecillum, infirmum & animale esse, ut patet ex antecedentibus. Hæc autem, non ad actiones hominum, sed ad eorundem naturam referenda esse quis nescit? Nec ostendet unquam Fr. vocabulum Terræ & Terreni ad peccata præcisè referri. Hinc etiam Joh: Bap: semetipsum *de terra terrenū* appellat, qui tamen, quod ad vitam attinet, certè non carnalis fuit, sed spiritualis & cælestis; quia scilicet ipsius doctrina erat tēporalis & momentanea, &, respectu Christi doctrinæ, aliquid valdè humile & vile. Et quemadmodum terrenū, significat naturam Adami & omnium hominum infirmam & caducam: sic cœleste etiam non virtutes respicit, sed naturam immortalem, quam Christus post ascensionem suam in cælos consecutus est. Hujus enim respectu Dominus Iesus, verè & propriè cælestis est. In loco verò altero 2. Cor: 3. 18., ut antea etiam docuimus, sermo est de præstantia populi Christiani, respectu Iudaici, tanquam perfectiori cognitione divinæ voluntatis instructi, & per allegoriam dicitur, Iudæos obscurè divinam voluntatem cognovisse, Christianos verò perfecte & manifestissimè. Quid igitur hoc ad mutationem animi humani, quæ appellatione exutionis veteris & indutionis novi hominis indigitatur? Hæc ideo libuit ita examinare, ut satis superque id, quod Frantzio objicimus, pateat, eum scilicet in scripturis allegandis nimis negligenter se gerere.

Quid sit Terrenum esse.

Joh: 3. 31.

Adhuc a thesi 42. usque ad 48. obiter de instauratione imaginis Dei in homine differit. Sed, ut semel diximus, instaurationi nullus est locus, ubi destructio fuit nulla. Rectiùs dixisset de acquisitione imaginis Dei ab homine. Sed videamus quædam.

Thesi 43. ait. *Hoc autem nunc per Evangelium agitur, ut imago illa reparetur, id quod fit, quando fides arripit meritum Christi, & statuit nos per Christi mortem liberatos esse, & mox simul Spiritus sanctus corda nostra per verbum immutat & regit, ut Patris cœlestis ingenium*

nium referre studeamus, & seriò ornare nomen Domini & verbum ejus, & incredulitati, invidiæ aliisque vitiis resistere exoptemus. Apage istud somnium arreptionis meriti Christi per fidem, quod ideo tanto conatu urgetur ab adversariis, ut scilicet in peccatorum latebris abscondere sese hypocritæ possint. Et tamen tum verba tum ipsa res insolentia omnia, in scripturis nec expressa, nec conclusa, nec cum illis consentanea, quin imò illis adversa. Alterum admittimus, si tamen sobriè accipiatur: Nempe imaginem Dei non reparari, sed acquiri, si quis sub spe promissorum Evangelicorum eidem obedire omnibus modis conetur. Reliqua, quæ hîc miscentur, falsa, alio in loco commodiùs refutabuntur.

Thesi 44. solatur se hac ratione Frantzius. *Etiamsi autem hæc vitæ novitas & hæc justitia in hac vita tantùm inchoatur, nec unquam in hac carne perfecta fieri potest: nihilominus tamen placet Deo, quia proficiscitur ex corde, quod nititur fiducia misericordiæ Dei per Christum.* Cur verò hîc nullum ascripsit sacrarum literarum locum Frantzius, unde ista paradoxa ipsius comprobentur? Inchoativam scilicet esse sanctitatem, quæ tamen Deo ita placeat, ut salutem is sperare possit, qui eâ præditus est, propter hoc, quòd nitatur fiduciâ misericordiæ Dei per Christum. Hac ratione via salutis erit ita facilis, ut omnes, qui sunt peccatorum servi & in peccatis hærent, eam consecuturi sint. Potest enim is, qui in peccatis hæret, inchoare justè vivere. O miseros Christianos, qui tales duces habent. Cæcus cæcum ducit, at ambo in foveam incident. Non inchoanda, sed strenuè urgenda est & perficienda sanctitas, ut Apostolus loquitur, si quis certus de sua salute esse velit. Non nitendum fiduciâ misericordiæ Dei ullâ, nisi ei, qui ex animo &, quantum ejus fieri potest, perfectè Deo obediens fuerit. Misericordia enim Domini magna, sed super timentibus eum. Perfectam justitiam in hac vita non dari, falsissimum est. Perfectio enim, ut id, quod res est, dicatur, duplex dici potest: altera absoluta, altera comparata. Absoluta est, quando quis ne unum peccati actum committit. Comparata est, quando quis nullius peccati habitu vel assuetudine implicatus est, sed plærumque id facit, quod Christi præcepta jubent. Ad illam aspirandum est: at hæc necessariò possidenda. Et qui hanc possidet, is perfectus est, ex mente s. literarum, & justus, quatenus Deus id, quod talis homo facit, pro perfectione accipit, & ipsum pro justo habet: & qui ad eam in hac vita non pervenit, de ejus salute nemo bene sperare potest aut debet. Quanquam in ea, quam diximus, comparatè perfecta justitia, dantur alii etiam gradus, qui scilicet plus in se contineant, quàm ne quis ullius peccati

1. Cor: 7. 31.

Perfectio quotuplex & quid sit.

peccati habitu sit implicatus, & tamen non sit absoluta illa perfectio. Potest enim aliquis secundùm spiritum ambulare, sed ægrè, sed invitus quodammodo, & reclamante perpetuò ipsius appetitu, utpote qui nondum prorsus superatus est: Et rursus potest aliquis secundùm spiritum ambulare, hoc est, plærumque id facere, quod rectum est, libenti animo & absque magna lucta. Imò statuendum est, posse hominē, adjutum Dei spiritu, eo usque progredi, ut ferè semper summa cum alacritate & jucunditate faciat Dei voluntatem. (non enim frustra dictum est, *jugum meum suave est*, *& onus meum leve*. Et, *Dei præcepta non sunt gravia*) Etiamsi fiat, ut interdum a vera pietatis semita aliquantisper aberretur. Qua de re infrà plura.

Mat: 11. 30. Ioh: 5. 3.

Thesi 45. docet in futura vita perficiendam esse sanctitatem. Quod quidem verum est: sed hinc, perfectionem aliquam in hac vita non dari, nullo modo colligi potest.

Thesi 46. docet, *in illis non perficiendam sanctitatem, qui primò Christum tanquam veram vestem nuptialem ejusque innocentiam per fidem non induunt*. Perfectè justos & sanctos futuros eos, qui digni habiti fuerint seculo illo futuro, dubium nullum est: Sed non erit hoc proprium præmium obedientiæ ipsorum, quam in hoc seculo Deo præstant. Præmium enim futurum est, immortalitas & divina gloria & summa beatitas. Hæc porrò, quia absque justitia & sanctitate consistere non posset, ideo etiam eam conjunctam habebit immortalitas. Hoc verò ita futurum ineptè thesi 47. probatur, per id quod Paulus dicit 2. Cor: 5. 3. *Superinduemur, si tamen vestiti, non nudi reperiamur*. Nam eo in loco Paulus non de omnibus Christianis, sed tantùm de se vel sui similibus loquitur, de quibus ait, quòd nolint exui. Exui autem aliud nihil est, quàm mori ante Christi adventum, sed malle superindui, hoc est, ad Christi usque adventum vivere, & ex vivis mortalibus, fieri immortales. Vestitum igitur esse, est, reperiri vivum in Christi adventu. Non nudum, est, non mortuum esse & corpore nudatum. Nam qui nudi, hoc est, mortui in Christi adventu reperientur, ii non superinduentur immortalitate, sed tantùm induentur immortalitate, teste Apostolo eodem 1. Cor: 15. 53, hoc est, ex mortuis vivi evadent.

Sed jam, his ita prælibatis, tandem descendit Frantzius ad controversiam, quam se nobiscum habere ait. Et primùm nos accusat thesi 49. quòd negemus fabulam illam de peccato originis, deinde quid nos imaginem Dei in homine esse dicamus, & quibus de causis exponit thesi 50. 51. Tandem peccatum originis adversus nos astruere incipit thesi 52. Hanc priusquam examinemus, aliquid dicendum est de

est de eo, quòd thesi 49. oppositum peccati originalis vocat imaginem Dei. In quo prodit illud sibi proprium de rebus pronunciandis ingenium absque omni probatione, de quibus vel maximè controversia est. Quomodo enim aliquid oppositum rei alicujus dici potest, quando res ipsa non agnoscitur, cujus aliquid oppositum esse dicitur? Sed nunc audiamus, quomodo probet, peccatum originale esse.

Sic igitur ait thesi 52.: *Sed adversus Photinianos pro peccato originali astruendo, primò nil fortius proferri potest his testimoniis, quæ sunt Gen:8.21. Cogitatio cordis hominis mala est a pueritia sua, vel ut alii vertunt: Figmentum cordis humani malum est à pueritia sua. Gal:5.17. Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem. Iacob:4.5. Id quod ex Genesis vel ex Galatarum jam indicato loco sumtum esse existimant, An putatis, quòd inaniter scriptura dicat: ad invidiam fertur spiritus qui habitat in nobis.* Audin' benevole lector, nihil fortius his testimoniis afferri posse ad astruendum peccatum originale? Ergo si hæc testimonia ad astruendum illud nihil valere probabitur, jam nulla alia fortiora ad id astruendum restare cogitabis. Quod ad primum attinet ex Genesi sumtum, jam a nostris ad id responsum est abundè. Hoc cur non refutat Frantzius? Astutia hæc est, locum jam refutatum ita afferre, ac si nunquam refutatus esset: sed latere ea non potest. Asscribam autem hîc verba, quibus nostri ad istum locum respondent: *Loci illi non de naturali concupiscentia loquuntur, sed de voluntaria. Nam si de naturali loqueretur, certè neque ea de causa immisso diluvio tam graviter Deus homines punivisse priori loco diceretur, neque tanquam rem aliquam novam & inexpectatam, eam Deo quodammodo accidisse scriptura testaretur, adeo ut ob eam causam Deum indoluisse, eumque pœnituisse dicat, quòd hominem fecisset. Quanquam Gen:8 21. non est legendum: Figmentum enim humani cordis malum est ab adolescentia sua; sed, quia figmentum humani cordis malum sit ab adolescentia sua. In Hebræo enim nullum est verbum. quare satius est subaudire* sit, *quàm* est. *Ita ut non afferat Deus rationem, cur non amplius sit execraturus terram propter hominem, nec amplius percussurus omnem viventem: Sed dicat, hominis malitiam non ampliùs tantam vim habituram, ut ipse propter hominem terram execretur, & omnem viventem percutiat, quam malitiam non affirmet jam esse aut omnino futuram: sed si fuerit, non eam vim habituram apud se, quam antea habuit. Alioquin si, ut vulgò solent, locum legamus & interpretemur, sequitur, Deum dixisse, illud idem apud se causam jam esse, ne amplius immissurus sit diluvium orbi terrarum, quod ut immitteret, paulò antea*

In prælectionibus Theologicis F. Socini c. 4.

antea causa fuerat, quo nihil absurdius Deoqué indignius excogitari potest. Hæc si refutare Frantzius voluerit, habebit, opinor, eum, qui ipsi respondeat. Quod ad alterum testimonium attinet, quid, quæso, per speciem commune habet cum peccato originis, quod Paulus ait: *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem?* Nonné idem etiam in Adamo & Eva fuisse ante peccatum dici jure potest: imò nonné reipsa fuit? Cùm enim opponerent diaboli persuasionibus divinum mandatum, spiritus adversus carnem concupiscebat: cùm verò paterentur sibi persuaderi a Satana, caro adversus spiritum concupivit, & quod voluit, obtinuit? Et tamen peccatum originale nullum in eis fuit ante lapsum. Deinde non constat, Paulum hoc affirmare, quòd nunc etiam, in uno quovis homine, caro concupiscat adversus spiritum. Quomodo enim in iis, qui carnem suam cum omnibus ejus cupiditatibus & concupiscentiis crucifixerunt, (quod de Christianis idem Apostolus prædicat) caro concupiscere potest? Concupiscere enim & crucifixum esse contraria sunt. Sed tantùm hoc affirmat Paulus, ubicunque est caro, ibi adversus spiritum cōcupiscit, quemadmodum vicissim ubi est spiritus, ibi adversus carnem concupiscit. Tertius verò locus tantùm non contrarium ejus, quod asserit Frantzius, continet. *Ad invidiam fertur spiritus, qui in vobis habitat?* Per spiritum enim isto in loco non intelligitur hominis spiritus naturalis, sed spiritus illustratus cognitione divinæ voluntatis, & gustu æternæ vitæ. Hunc spiritum Iacobus ait non ferri ad invidiam, dum ita interrogat: *Ad invidiamné fertur spiritus?* quasi dicat: Hocné vos docet cognitio voluntatis divinæ, quam a Domino Iesu accepistis, ut alii aliis invideatis? & ita, (quod antea in illis reprehenderat) invicem pugnetis & contendatis? minimè verò. Aliam majorem gratiam, nempe benevolentiam & charitatem, in hominibus excitat. Et tamen Fr: bene suum comprobavit peccatum originis.

Gal:5,24.

Quod denique Fr: ait, Verba hæc Iacobi ex Genesi, vel ex loco ad Galat: paulò antè examinato desumta, id nolo nunc examinare. Certè qui ita existimant, socordiam vel negligentiam suam nimis produnt, & non considerant, non horum, sed sequentium verborum causâ dici potuisse apud Iacobum scripturam non inaniter loqui.

Thesis Frantzii 53. est. *Huc alia spectant ad Rom: 8.6. Intelligentia carnis mors est, & Iacob: 1. 14, 15. Vnusquisque tentatur dum à propria cupiditate abstrahitur & inescatur, deinde cupiditas, posteaquam concepit, parit peccatum, peccatum verò peractum progignit mortem.* Hîc verò quid aliud respondeam, quàm me mirari supinam prorsus Frantzii negligentiam & oblivionem. Quid enim intelligentia carnis

com-

commune habet, cum peccato originis? Cùm intelligentia carnis etiam ante peccatum esse potuerit, & revera fuerit; (alioquin enim non peccassent primi parentes) & quæ in hominibus post lapsum inest, nullo modo probari possit inesse ob peccatum Adami, sed ex spontanea hominum voluntate tota pendeat; nec denique constet, istam intelligentiam carnis in omnibus hominibus inesse? Locus verò Iacobi, quid tandem huc pertinet. Idemné est propria cupiditas, quâ homines ad peccandum inescantur, cum peccato originis fictitio? Et non potiùs aliquid, quod in hominibus, in quibus inest, inest propriè eorum culpa & voluntate? Sic scilicet, suo more, suas demonstrat Frantzius opinationes.

Thesi 57. sic ait: *Deinde ex ipsius naturæ experientia convincuntur Photiniani hodierni. Siquidem ipsi negare non poterunt, hæreditariò aliquos similes morbos per omnem vitæ decursum adhærescere illis, qui ex morbidis parentibus, ac vitiosis humoribus corruptóque semine nascuntur.* Hoc verò ita calvum est, ut responsione vix dignum sit ulla. Alia enim est morborum, alia peccatorum ratio. Ad morbum propagandum interdum satis est, ex corrupto semine nasci: At ad peccatum, omnino voluntate hominis opus est, quantumvis quis ad id sit naturâ proclivis. Deinde verò, rara esse exempla ista propagationis morborum, nemo negare potest. Fit enim sæpenumero, ut ex parentibus morbidis sanissima nascatur proles: Hoc verò, quod interdum accidit, quid commune habet cum eo, quod semper & necessariò (quemadmodum in peccato originis necesse est) accidere asseverat Frãtzius?

Thesi 60. & 61. testimonio Ostorodi suam etiam confirmari sententiam ait Frantzius, cujus verba ex Institutionibus illius recitat. Sed totum illud frustra est. Iam enim antea confessus est, nos pro fabula quadam habere peccatum originis. Quomodo igitur illud prudentes scientes asseveremus? Certè satiùs esset dicere, Ostorodum memoriâ lapsum esse, quàm illius testimonio adversus nos uti. Sed asscribamus verba Ostorodi, ut appareat, quàm desperabundus vel incogitabundus omnia extrema captet Frantzius. Verba Ostorodi hæc sunt: *Etsi non concedimus, quòd propter primi hominis peccatum, natura humana sit corrupta: tamen libenter ferè concedimus, quod fermè in omnibus hominibus valdè magna sit concupiscentia & inclinatio ad peccandum, non quidem propter illud peccatũ, sed ideò, quod homines seipsos per sua propria peccata & malitiam corruperunt & vitiârunt, quam corruptionem ipsi postea in liberos suos per vim seminis hæreditariò propagant.* Primùm ait Ostorodus, hoc non in universum, sed ferme in omnibus fieri: At peccatum originis in omnibus est necessariò. Deinde ait, i-

stam propagationem per vim seminis accidere, ob peccata hominis propria & peccandi consuetudinem. Hoc iterum quid ad peccatum originis facere potest? Videat igitur Frantzius, quid ejusmodi emendicata suffragia illi prosint.

Sed ait thesi 62. *Verumenimverò, quàm absurdum hoc est, nolle fateri, quam concupiscentiam nostri parentes in nos propagârunt per vim seminis, eandem ab Adamo & Eva in posteros ipsorum similiter traductos fuisse?* At ego vicissim nihil absurdi hîc esse ajo. Parentes enim nostros, non omnes, sed aliquos, longa malè agendi consuetudine corruptos, tale quid in prolem interdum quasi transfundere, valdè est verisimile: At eum, qui innocens creatus erat, semel peccando, omnes in perpetuum peccato infecisse, rationi prorsus est contrarium, &, quod caput rei est, altum de eo in sacris literis silentium.

Quod verò addit Fr: in eadem thesi: *Et proferat unum exemplum unius hominis, qui fuerit à peccato originis immunis. Ipsi enim Ostorodo incumbit probatio, qui affirmat, in plerisque & non in omnibus fuisse talem concupiscentiam,* in eo jam supplices manus præbere videtur Fr. Cùm enim, quomodo peccatum illud suum confictum probet, non habeat, ab alio, qui id negat, probationem ejus petit. Quomodo verò ille, qui aliquid omnino neget, in uno homine illud demonstret? At dicit: Ostorodus fatetur in plærisque inesse talem concupiscentiam, hoc est, ad peccandum proclivitatem. At primum longè aliud est, proclivitas ad peccandum, & peccatum originis. Potest enim fieri, ut is, qui est ad peccandum proclivis, tamen non peccet: At qui peccato originis infectus est, is non potest non peccare. Deinde Ostorodus non affirmat quicquam, sed, responsione ad ea, quibus peccatum originis probare instituitur, absoluta, id, quod causam hominibus ad istud commentum sectandum præbere potuerit, etiam examinat, & quid de tota re statuendum sit, breviter indicat ita, ut respondentis personam nunquam deponat, actoris verò assumat.

Thesi 63. ait, *nos, qui affirmamus, imaginem Dei in homine ad dominatum tantùm super omnes creaturas terrestres pertinere, in eo nobis habere Apostolum manifestè contrarium, qui Ephes: 4. & Col: 3. in ea explicanda vel in primis ad sanctitatem & veram justitiam respicere jubet.* Hoc quàm sit verum, videat in superioribus responsionibus benevolus lector. Nunc hoc tantùm iterum monere juvat, nos imaginem Dei in homine, non omnem, sed eam, ad quam homo ab initio creatus fuit, ad dominatum super omnia creata referre, idq; verbis Mosis apertissimis, ubi mentio fit istius imaginis & similitudinis hominis cum Deo, comprobare, quibus ἐξηγητικῶς illa Dei imago de-

go describitur, quæ sic habent: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram; & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis, universæque terræ, omnique reptili, quod movetur in terra.* Deinde & hoc breviter monemus, Paulum, cùm imaginem Dei in justitia & sanctitate constituit, Col:3. (nam ad Ephes: 4. nulla est imaginis Dei mentio) non dicere, illam inprimis in ea consistere, quod affirmat Frantzius: nec constat ullo modo, vel inprimis in justitia & sanctitate imaginem Dei consistere. Gen: 1. 26.

Thesi 64. responsurus ad ea, quæ nos de imagine Dei, quæ adhuc post peccatum in hominibus insit, asserimus ex Gen: 9. 6. ait, *illud de umbra quadam verum esse* &c. Sed hoc nos non admittere sciat Frantzius. In promtu causa est, quòd nullo nec sacrarum literarum testimonio, nec ratione ex illis petita probetur. Quod verò de imagine Dei simpliciter dictum est, illud nos tamdiu de imagine Dei, non verò de imaginis umbra, accipiemus, donec contrarium ostendat Frantzius. Sed quomodo præterea umbra imaginis Dei in homine naturaliter inest, ut Frantzius, concedit, siquidem homo nihil prorsus justitiæ Dei, ut infrà loquitur Fr: agere possit, nisi, ut sentit Fr:, Spiritu Dei adjutus; Imago verò Dei in sanctitate & justitia consistat, & considerari possit & debeat absque ulla accessione ipsius sanctitatis & justitiæ? ut loci Gen: 9. 6. & locus Iacobi evidenter ostendunt.

Thesis 66. talis est. *Tertiò asserere nituntur Photiniani recentiores, hominem posse legi Dei perfectè satisfacere, & ad eam rem abutuntur* 1. *Reg:* 11. 4. 6. *quòd Cor Solomonis non fuerit perpetuum coram Domino sicut cor Davidis, &* 1. *Reg:* 15. 5. *Quòd David fecerit rectum in oculis Iehovæ, neque declinaverit ab ullo, eorum quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ, præterquam in re Vriæ Hetthæi. Item* 2. *Reg:* 23. 25. *de Iosia, quòd similis illi non fuerit, qui reversus sit ad Iehovam toto corde suo, & tota anima sua, & totis viribus suis, juxta universum legis Mosis.* Primùm dico, Fr. insidiosè nobiscum agere, quod quinám ita ex nostris & ubi scribat, non addiderit. Nam nec isto modo loquimur, nec istis argumentis uti solemus, nec ut utamur opus est. Si enim aliquando tale quod affirmamus, primùm semper id addimus, quod rem, quam affirmamus, probabilem esse, unicuique facilè persuadere potest, nempe hominem, Dei spiritu adjutum, vel Dei auxilio suffultum, posse legi Dei perfectè obedire? Deinde in perfectione gradus constituimus, ita ut non tantùm is dici possit perfectè Deo obedire, qui nullum peccatum unquam committit, sed etiam is, qui nullius peccati habitu implicatus est, & plærumque Deo obedit. Quales multos fuisse, & ea, quæ a Frantzio citantur, testimonia ex parte, & alia

alia perplurima comprobant. Itaque omnia illa, quæ adversus a se conficta argumenta affert Fr:, pro pugna cum sua ipsius umbra haberi debent. Qua de re & paulò antea diximus, & plura suo loco dicemus.

Reliqua, quæ adversus Pontificios & Flaccianos a Thesi 71. usque ad finem scripsit Fr:, missa facimus. Tantùm, hominum alioquin doctorum conatus mutuos in re vanissima defendenda, admiramur, & dolemus. Faxit Deus, ut illos ad veritatis enucleationem tandem convertant, quibus nunc ad errorem tam crassum, tam violenter defendendum, quasi abutuntur. Quanquam si verum dicendum est, multo magis sobriè ea de re sentiunt Pontificii. Flaccianorum verò sententia à Lutheranis verbis magis, quàm reipsa differre videtur.

REFUTATIO THESIUM D. WOLFGANGI FRANTZII, De Persona Christi.

Quæ est Disputatio ipsius tertia.

Hîc etiam, priusquam ad controversiam, quæ nobis est cum aliis Christiani nominis professoribus & Frantzio, deveniamus, non inutile futurum credimus, si in ea, quæ in thesibus suis prioribus affirmat passim Fr:, breviter quædam animadvertamus.

Quis sit sensus verborũ Ioh: 17. 3.

Thesi 3. ait: Christum Ioh: 17. 3. In cognitione Dei & Messiæ *vitæ æternæ fruitionem* collocare. Hoc si ita est, quid opus erat addere, In cognitione *patris, qui solus est verus Deus*, & Iesu Christi, *quem pater misit*, sitam esse æternam vitam? Num ad fruitionem vitæ æternæ quicquam facere potest, cognitio Dei, quatenus pater est, & verus Deus, vel Iesu Christi, quatenus missus est? Itaque Frantzius hoc etiam ita involvit, & verborũ potissima parte omissa obscurare voluit. Rectiùs autem fecisset Frantzius, si in verbis Domini Metonymiam agnovisset effecti, ut id dicatur esse vita æterna, quod est causa vitæ æternæ. Quomodo etiam dicitur: *Mandatum ejus (scilicet patris) est vita æterna*. & alibi, *Regnum Dei non est potus aut cibus, sed justitia, pax & gaudium in Spiritu S.* & in antithesi, *Hoc est judicium*, hoc est, causa judicii, *quòd lux in mundum venerit, homines autem magis dilexerint tenebras quàm lucem.*

Ioh: 12. 20.
Rom: 14. 17.
Ioh: 3. 19.

Thesi 4. *super fundamentis hujus mysterii* (de Christo scilicet) *Christum Ecclesiam suam sese ædificaturum promisisse asserit*. Sed Mat: 16. tantùm unius fundamenti fit mentio, non multorum: Et Fundamentum ibi dicitur esse, non Christus, sed Petrus, nempe secundarium. Quid igitur huc faciunt verba Matth: 16.? Hoc modo veritas non promovetur: Pontificiis verò in errore perseverandi magna præbetur occasio, dum id sibi negari vident, quod negari nullo modo debet, nec, ut negetur, ullo modo opus est.

Thesi 5. ait: *In novo inprimis instrumento Christum utpote exhibitum nobis describi, ut unam personam*, additis locis, Rom. 5. 15. 19. 1. Cor: 8. 6. 2. Cor: 11. 2. Eph: 4. 5. 1. Tim: 2. 5. Sed in hoc primùm magna latet fallacia. Tacitè enim sumit pro concesso Frantzius, ac si Christus aliter describatur vel describi possit, quàm ut una persona, quod tamen falsissimum, & non tantùm sacris literis, sed ipsi etiam sanæ rationi contrarium est, ut infrà demonstrabitur, & alibi demonstratum est a nobis. Deinde loca allegata nihil tale affirmant, unde aliquid de personæ unitate colligi possit, sed tantùm dicunt, vel quemadmodum unus homo causa fuit peccati & mortis, sic unum hominem causam esse justiciæ & vitæ æternæ: vel, quemadmodum est unus Deus: sic etiam unum esse Dominum; & Iesum esse solum & unicum sponsum ecclesiæ suæ; unum Dominum, ut una est fides, unum baptisma, & unum mediatorem Dei & hominum, ut unus est Deus. Porrò, si ut una persona describitur Iesus Christus, quomodo Deus verus erit & verus homo? potestné esse verus Deus absque persona sua? Iterumque verus homo potestné suâ carere personâ? Certè nihil minus. Personâ enim homo est, & persona Deus est. Itaque aut negandum est, Christũ esse verum Deum & verum hominem, aut confitendum, eum duas habere personas. Et frustra illud a patribus traditum (quod tamen Frantzius in Thesibus de Trinitate se non allaturum promiserat) affertur, quòd in Christo ἄλλος καὶ ἄλλος non proponatur. Nam si Deus naturâ, & homo non sunt ἄλλος καὶ ἄλλος, quid tandem erit ἄλλος καὶ ἄλλος? At ait Frantzius, modò Messias ut Deus, modò ut homo a sacris literis introducitur. Quid tum, si non ut naturâ sed dignitate & officio Deus introducatur? Potest enim is, qui homo naturâ est, Deus esse dignitate & officio: At is, qui naturâ Deus est, nunquam homo esse potest. De quo alibi suo loco.

Christus est persona humana.

Thesis 7. talis est: *Duas esse in Christo naturas, divinam & humanam invicto argumento demonstramus, quod in prima nostra de λόγῳ æterno disputatione fusissimè fuit corroboratum ex Ioh: 8. 58. Antequam*

quam Abraham fieret ego sum. Videat igitur cordatus lector, quid ad illud argumentum responderimus ibidem, & an invictum sit & corroboratum loco Ioh: 8. consideret. Non possum autem non indicare obscuritatem verborum Frantzii dum ait: Duas esse in Christo naturas demonstramus invicto argumento, quod in prima nostra de λόγῳ æterno disputatione fuit corroboratum ex loco Ioh: 8., cùm nec invictum id argumentum dici mereatur, quod corroborari oporteat, nec aliunde argumentum pro duabus in Christo naturis sumatur, & loco Ioh: 8. confirmetur, sed ipse Ioh: 8. Locus pro argumento duarum in Christo naturam afferatur, & rationibus deinde quibusdam a Frantzio corroboretur.

Thesis 8. est: *Huic autem astipulatur illud: & verbum caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam unigeniti* (textus habet, *quasi unigeniti*) *à Patre, plenum gratiæ & veritatis. Item illud* 1. *Tim:* 3. 16. *Deus conspicuus factus est in carne.* Egregia sanè duarum naturarum in Christo probatio. Quasi primùm constet: Verbum esse alium quempiam, præter vel ante Iesum Nazarenum & ejus personam, nempe illam personam secundam Trinitatis, quam vocant. Cùm tamen Iesus Christus Verbum vel potiùs Sermo appelletur, vel propterea, quòd, quemadmodum per sermonem hominis voluntas cognoscitur, sic per Christum Dei voluntas cognita est, quomodo etiam via & lux appellatur: vel quia sermonis, hoc est voluntatis divinæ sub novo fœdere patefactæ primus præco fuerit, quomodo etiam veritas & vita appellatur. Deinde quasi constet verba illa: *Caro factum est*, tantundem valere, atque homo factus est. Cùm tamen vox *carnis* non ipsum hominem, sed ejus infirmitatem significare soleat: & verbum ἐγένετο non minùs commodè per *fuit*, quàm per *factum est*, verti possit, & sensus sit: Sermonem, quem tam magnificis ab initio cap: Iohannes titulis descripserat, aliud nihil fuisse, quoad naturam, quàm carnem, hoc est hominem infirmitatibus ac morti subjectum. Verba illa: *& habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus*, nescio cur hîc addiderit Fr:. cùm nihil prorsus ad rem faciant. De solis enim Apostolis accipienda ea esse, nemo qui rem diligentiùs introspexerit, negaturus est. Inter illos enim Christus habitavit singulari modo, & illi gloriam ejus singularissimam contemplati sunt, tum in monte sacro, tum post resurrectionem, cum illo conversando, & tandem in ipsa ascensione, & hinc etiam est, quod D. Iohannes hoc ver: personas mutat, hoc est, ut antea tanquam de aliis in tertia persona locutus fuerat, sic nunc de se & suis sociis locuturus, primâ utitur.

Cur Christus sermo appelletur. Ioh. 1. 9. & 14. 6.

Locus alter ex 1. Tim: 3. quid huc pertinet? cùm non constet, eum de Christo intelligi debere aut posse: argumenta autem sint, quæ evincunt, de Deo Patre commodissimè eum intelligi posse & debere. Vt nunc nihil dicam de eo, quòd in quibusdam exemplaribus, minimè certè hac in re suspectis, vox illa *Deus* non reperiatur, & totum illud, quod ibi dicitur, ad mysterium pietatis referri possit, ut vulgata versio comprobat. Qua de re propediem fusè agemus, in refutatione thesium D. Gravveri, de Incarnatione & Persona Christi.

Quæ thesi 9. 10. 11. persequitur de proprietatibus naturarum ea fundamento naturarum subruto, sponte sua corruere necesse est.

Thesi 12. ait: *Quómodo verò uniantur hæ duæ naturæ in Christo, tanquam in ὑφισαμένῳ μοναδικῷ, cujus simile exemplum non extat, iterum de sacræ scripturæ indiciis sapiendum esse meminerimus*. Meminerit hoc Fr.: meminerint & alii, quod hîc fatetur, nullum simile exemplum extare hujus unionis hypostaticæ. Solent enim aliàs dicere: ita Christum constare divinâ & humanâ naturâ, ut homo constat anima & corpore. Quod Frantzius, dum dicit, nullum simile exemplum extare, ipsemet tacitè refutat. Libenter verò audimus, hujus opinionis probationem institui ex sacris literis. ex illis enim sapere revera cupimus. Sed videamus, quo successu id fiat.

Ait igitur thesi 13. *Cùm enim unus & idem sit, Ioh: 8. 58. qui fuit ante Abrahamum, & qui tunc nondùm ante annos* 50. *ex matre per nativitatem carnalem prodierat, cumq; verbum scribatur caro factum: Ioh:* 1. 14. *utique in hypostasi, duarum naturarum unionem factam esse sequitur, ita nimirum, quod λόγος carnem in Deum seu Deitatem evexit, eamque divinæ naturæ verè participem, Filii Dei plenè capacem & infinita majestate Deitatis glorificatam, & Dominam omnium in cœlo & in terra fecit, Heb: 2. 16. Act: 2. 36. Ioh:* 14. 9, 10. Illum qui ex Maria natus est, fuisse ante Abrahamum, nunquam probatum est, nec probari potest. Verbum carnem factum esse, nusquam scriptum est: & licet scriptum esset, nunquam tamen probabitur, verbum illud alium quem significare, præter Iesum Nazarenum, ex Maria virgine natum. Quomodo igitur aliquid ex his locis certi concludi potest? Videat Frantzius miserabilem suæ causæ statum, dum ex tam frivolis conjecturis suam de duabus naturis in Christo sententiam stabilire cogatur? τὸ ῥητὸν promiserat: jam ad consequentias profugit. Hinc igitur apparet, sententiam illam non esse tanti momenti, quanti eam faciunt adversarii, nempe salutem sine ea sartam tectam esse non posse. Omnia enim sine quibus salus æterna cõsistere nequit, expressè in s. literis scripta esse de-

Omnia ad salutem necessaria, in s. literis expressa sunt.

se debere, nemo sanæ mentis negaverit. Iam verò tacitè fatetur Fr:, nullum extare testimonium, quod affirmet, in Christo esse duas naturas, siquidem deductionibus opus est. Quæ tamen quales sint, jam indicavimus, nempe falsissimæ, & falsissima verborum tum interpretatione tum explicatione nixæ. Quæ de carne Christi evecta & Domina omnium effecta disserit ampliùs Frantzius, ea sunt locutiones insolentes, exoticæ, barbaræ, & sacris literis ignotæ. Quantò verò rectiùs dicitur, quòd Iesum ipsum, qui idem λόγος, propter muneris præstantiam, & caro, quoad naturam fuit, non λόγος, sed Deus Pater evexit, & Dominũ omnium effecit, cujus rei plena sunt sacrarũ literarum volumina? Hebr: 2. 16. dicitur, *Iesum non Angelos recipere, sed semen Abrahæ.* Iesus autem non est λόγος ille Frantzii, sed is, qui ex virgine Maria nat⁹ est. Is dicitur non recipere angelos, hoc est, non esse servator illorũ, sed seminis Abrahæ, hoc est, hominũ fidelium mortaliũ, ut alibi docebimus fusissimè in ref: thesium D. Gravveri de Incarnatione filii Dei. Hoc verò quid ad carnis evectionem & Dominæ effectionẽ? Act: 2. 36. dicitur, *Certò ergo cognoscat omnis domus Israel, quia Dominum & Christum eum Deus fecit, hunc Iesum, quem vos crucifixistis.* Vbi hîc mentio λόγου, qui carnem evexerit, & Dominam omnium effecerit? Nonné mentio fit apertissima Dei, idque cum articulo in Græco, &, distincti a Iesu, ita ut Deus ille dicatur Iesum crucifixũ, non carnem, Dominũ & Christum fecisse. Ioh: 14. 9. dicitur: *Qui me vidit, vidit Patrem, & quomodo tu dicis, ostende nobis Patrem. Non credis, quia ego in Patre, & Pater in me est. Verba, quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor. Sed Pater in me manens, ipse facit opera.* Vbi hîc mentio λόγου, ubi carnis evectæ & Dominæ effectæ? De Iesu Nazareno omnia hæc dicuntur, Is tantæ fuit in docendo sapientiæ, tantæ in miraculis edendis potentiæ, ut, qui illum docentem audiebat, & miracula facientem videbat, ipsum Deum & audiret & videret. Talibus scilicet argumentis opus est ad demonstrandum, quo fundamento nitatur ista de naturis Christi commentitiis opinatio.

Quæ thesi 14. 15. 17. & sequentibus disserit, ea meræ sunt assertiones, nullo nec s. literarum testimonio, nec ratione denique, sed, ut ipse fatetur thesi 22., Conciliorum & Patrum auctoritate, suffultæ. At neque concilia neque patres fundamentum sunt religionis nostræ: & promisso non stat Frantzius, qui in thesibus de Trinitate promiserat, se nos non auctoritate patrum & conciliorum pressurum, sed sola Evangelii voce & doctrina nos eruditurum. Præterea tota vis istarum thesium omnium eò directa est, ut doceatur, quòd Dominus Iesus,

qui,

qui, ex mente adversariorum, est persona divina, homo verus esse possit, etiamsi persona humana non sit, quod est illud egregium scilicet commentum patrum & conciliorum, quod alicui persuaderi potuisse, valdè mirum esset, nisi homines vivi capti & dementati essent a Sathana & ejus assecla antichristo. Falsitas autem illius suprà a nobis demonstrata est.

Thesi 23: ait. *Ita facta est unio, quòd nunc in Christo inhabitat πᾶν πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς, Col: 2. 9. hoc est, quòd corpus Christi factum est subjectum, templum & habitaculum non hyperphysicorum aliquorum donorum, non partis alicujus Deitatis, sed plenitudinis divinitatis, hoc est, totius, totius, totius divinitatis, cum omnibus omnibus, omnibus proprietatibus divinis ejusdem Deitatis.* Primùm in loco Col: 2. 9. non est vox *nunc*, quasi scilicet antea non habitârit in Christo omnis plenitudo Deitatis corporaliter, cùm tamen Christus esset. Egregiè scilicet tenet artificium petendi principium Frantzius. Deinde vocem *Christi*, ad personam illius sophisticè pertrahit Frantzius, quam pro doctrina ipsius accipi posse, ipsemet non diffitebitur ibid: v: *6*. Eph: 4. 20. Heb: 13. 8, 9. Accipienda autem ita esse hoc loco antithesis philosophiæ & Legis, quæ scilicet doctrinæ & ipsæ sunt, apertè docet. Tum voce Christi, alium quempiam intelligit Fr:, quàm eum, qui ex virgine Maria natus est. cùm tamen nemo Christus sit aut esse possit, præter & ante eum, quem Maria virgo peperit. Hunc enim Deus spiritu suo genuit, & spiritu suo sancto unxit præter omnes ejus coæquales. Illud denique totius, totius, totius, omnibus, omnibus, omnibus, quàm puerile sit, antea etiam a nobis annotatum est. Sensus loci Paulini est: Non esse petendum nec ex philosophia nec ex lege, rationem cultus divini, sed ex Evangelio. Quia in hoc contineatur perpetuò, universa voluntas divina, perfectè & ipsa, non ex parte, nec in umbris, ut in philosophia & in lege. Locus Col: 2. 9. explicatur.

Thesis 24. initium tale est: *Quapropter divinitas filii Dei in hoc corpore suo per arctissimum intimumque & ineffabilem complexum habitat, & extra illud nuspiam est, neque futura est unquam Col: 2. 9* & præter hunc locum addidit *Ioh: 2. 19*. Quomodo huc locus Col: 2. 9. pertineat, jam indicatum est. Locus verò Ioh: 2. 19. *Destruite hoc templum, & ego in triduo erigam illud*, quid quæso vel per similitudinem huc facit? Nam nec ulla ibi divinitatis Filii Dei mentio fit, nec eam in hoc corpore habitare dicitur, & extra illud nuspiam Sed tantùm templi Christi, quod est corpus ipsius, fit mentio, & de eo prædicatur, quòd illud Christus, postea quam solutum fuerit, excitaturus sit. Sed

recte habet. Quomodo enim rei, quæ extra veritatem posita est, argumenta dentur, cum veritate & ratione consentanea?

Thesi 27. docere nititur, *quòd duæ in Christo naturæ maneant salvæ per omnia post unionem hypostaticam*. Thesi 28. usque ad 36. *quòd penitissima sit immeatio seu arctissima communicatio duarum naturarum in Christo*. Thesi 36. usque ad 51. *quòd omnino realis sit communicatio idiomatum duarum naturarum in Christo*. Thesi 52. usque ad 58. *Quot sint genera communicationis idiomatum* : Sed hæc omnia frustra fieri, siquidem nullæ sint in Christo naturæ a Frantzio confictæ, vel ipse Fr: fatebitur. Annotandum verò inprimis hoc est, quòd in omnibus hisce thesibus ne unicum quidem adducatur sacrum testimonium, ut scilicet hinc cognoscas, hominum commenta a Fr: proponi & defendi: imo ipse Fr: thesi 29. fatetur, se cum suis id piè sentire & credere, & idem etiam orthodoxam & catholicam Ecclesiam profiteri. Sed, mi Frantzi, non quid quis sentiat & credat, curandum est. aliàs enim ad omnia ecclesiæ placita, quæ jam rejecit cum sua ecclesia Frantzius, refugiendum erit: Nec terrendi sunt homines Ecclesiæ orthodoxæ & Catholicæ larvâ, si non doceatur, Ecclesiam Apostolicam, quæ sola est orthodoxa & Catholica, ita sensisse & professam esse. Iterum etiam, magnifici sui promissi oblitum esse Frantzium, conquerimur & ingeminamus. Maximè verò dolemus, homines tam audacter tam magnas nugas urgere, & omnem in eis salutem reponere, quæ nullo sacrarum literarum verbo comprobari possunt. Faxit Deus, ut horum tandem errorum optatum finem videamus.

Thesi 58. usque ad 65. de iis disserit, quæ pertineant ad statum humiliationis Christi, & thesi 58. agit de eo, *quòd inter conceptionem carnis & resurrectionem Christi intercedat, atque complectatur juxta textus augustanæ confessionis ductum, nativitatem ex virgine passionem, crucifixionem, mortem & sepulturam*. Hîc in genere dicimus: Quàm difficile est illis, qui a sacrarum literarum loquendi formulis recesserunt, aliquid rectè dicere. Quis primùm de conceptione carnis unquam aliquid audivit, ab Apostolis traditum in sacris literis? Iesum filium Dei altissimi, conceptum ex Spiritu sancto & natum ex virgine Maria, sacrarum literarum verba sunt & oracula plana & immota. Quid verò deinde nobis ductum textus Augustanæ confessionis opponit Frantzius, si, quod illa ait, sacræ literæ negent? Quid porrò ad statum humiliationis Christi facit nativitas Christi ex virgine, cùm hoc non Christi factum, sed Dei censendum sit? Quomodo ea humiliatio Christi appellari jure potest, nisi probetur, præcessisse aliquam

ejus præstantiam, quâ scilicet exutus fuerit. Quæ naturalia sunt, ad statum humiliationis, eo modo, quem sibi finxit Frantzius, referri ridiculum prorsus est. Passio, crucifixio & mors Christi, ad humiliationem Christi, referri quidem possunt, sed longè aliam, quàm ea est, quę a Frantzio fingitur. Christus scilicet semetipsum sponte sua afflictionibus & morti ferendæ exposuit, cùm esset omnium rerum Dominus. Sepultura denique non ad humiliationem pertinet, sed consequens ejus est, quod Deus ob certas causas extare voluit.

Thesis 59. est. *Hanc humiliationis vel exinanitionis Christi historiam brevibus verbis delineatam, exhibet nobis Apostolus Phil: 2. 6. 7. 9. Christus cùm esset in forma Dei, non duxit rapinam æqualem esse Deo, sed seipsum* (Frantzius habet *ipse sese*) *exinanivit, forma servi sumpta in similitudine* (*in similitudinem* habet Fr:,) *hominum factus, & habitu inventus ut homo, humiliavit* (Frantzius habet *exinanivit*) *seipsum, factus obediens* (addidit de suo Fr: *patri*) *usque ad mortem, mortem autem crucis.* Hoc quid ad nativitatem ex virgine? quid ad conceptionem carnis? cùm hîc, de Christi jam nati & in mundo versantis operibus & affectu sit sermo, quem etiam Apostolus nos imitari jubet, dum ait. v: 5. *Idem affectus sit in vobis, qui & in Iesu Christo.* Qualis verò affectus in Christo fuerit, qui etiam in nobis esse debeat, explicat, dum ait: *Qui cùm in Dei forma esset* &c. Quod etiam Calvinus & Piscator uterque Trinitarius bene observârunt. De afflictionibus & morte Christi istorum verborum partem intelligendam esse, confitemur omnes: Sed ea talia esse dicimus, quæ certo tempore sponte sua susceperis, qui ex virgine natus fuerat, qui non antea, quàm nasceretur, in Dei forma & Deo æqualis fuit: sed postquam natus, & mirâ illâ sapientiâ & potentiâ donatus fuit, quâ omnia occultissima novit, & quâ tunc, cùm in terris mortalis degeret, omnibus ferè rebus creatis imperavit, quæque ita in eo residebat, ut eam cum aliis etiam communicare posset, ob quam denique divino honore ab hominibus passim afficiebatur, quique rursus seipsum exinanivit, formam servi sumsit in similitudine hominum factus, & habitu inventus ut homo, exinanivit seipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, non tunc cùm conceptus & natus fuit, sed tunc cùm semetipsum capiendum, ligandum, cædendum, conspuendum & crucifigendum tradidit.

Quid sit in forma Dei, & Deo æqualem esse, & seipsum exinanire.

Thesis 60. hunc errorem continet, quòd, quæ Christo toti, quantus quantus est, adscribenda sunt, carni Christi, suo more & modo loquendi, Frantzius adscribit.

Thesi verò 61. quàm ridiculum se præbet Frantzius, dum sic ait:

Nec opus est hoc in loco pluribus exaggerare humilitatem & tenuitatem matris, quanquam ex regia stirpe oriundæ, loci natalis obscuritatem, ut etiam contumelias ex suspicionibus, quasi non ex virgine prodiisset, à malevolis sparsas longo tempore, quas multi hæretici posterioribus seculis reassumserunt, victus item parandi difficultatem, quia juxta Iustinum, vomeres & aratra parare solebat, unde scriptura eum fabrum cognominat. Marci 6.3. iniquissima hominum de ipsius operibus habita judicia. Math: 11.19. *&* 12.24. *Ioh:* 8.48. Thesi verò 62. addit: *Verè siquidem Bernhardus scriptum reliquit: multum laborasse Christum in redemtione, nec in ipsa mundi fabrica tantam fatigationem suscepisse. Nam, inquit, in creatione, dixit, & facta sunt, mandavit & creata sunt: in redemtione verò in dictis sustinuit contradictores, in factis observatores, in tormentis illusores, in morte exprobratores.* ô errores! Quid enim ad Christi humiliationem facere potest, matris humilitas vel tenuitas? cùm hoc inter Christi facta censeri nequeat, a Deo autem factum sit, non ut Christi humiliatio hoc modo delineetur, sed quia sic Deo, res suas a parvis principiis ad incrementa magna producenti, visum fuerit. Contumeliæ verò sparsæ in D. Iesum, quasi non ex virgine prodiisset, ne nominari quidem hoc in loco debebant. Nam si Christum eas passum esse Frantzius affirmet, tunc temporis, cùm adhuc in terris mortalis degeret, næ novus ille nobis Evangelista est, qui scilicet id revelatum habeat sibi, quod omnes sacri scriptores constantissimè reticent: revelatum scilicet tunc passim fuisse vulgo hominum, Iesum ex virgine natum esse, & multos id credere noluisse: Si verò id post Christi exaltationem accidisse dicat, jam hoc ad statum humiliationis, a Fr: confictum, referri non poterit. Is enim, ex mente etiam illius, sepulturâ terminatur. Victus parandi difficultas, non ad humiliationem Christi, quæ nobis in illo imitanda proponitur, sed ad conditionem, cum qua natus fuerat, pertinet. Iniquissima hominum de ipsius operibus habita judicia, ad hominum malitiam, cuius Christus causa nulla fuit, referri debent. Illud verò Bernhardi quàm crassum est? presertim, quòd id pro concesso ab eo sumitur, Iesum esse creatorem cæli & terræ, quod nec Bernhardus, nec Frantzius, nec quisquam alius probare unquam poterit. Reliqua non persequar. Satis enim est fabularum.

A thesi 67. usque ad 88. ea persequitur, quæ ex ipsius mente pertinent ad statum exaltationis Christi. ubi, quod dicamus, aliud nihil est, quàm hoc ipsum, nempe humiliationem & exaltationem veram, satis manifestè ostendere, Iesum Christum nullo modò Deum illum unum fuisse vel naturam divinam habuisse. Deus enim, ut

humiliari sic etiam exaltari non potest. Libet autem illud mirari, quod, ut thesi 69. Fr: ait, Augustana confessio ad exaltationem Christi referat, descensum Christi ad inferos. Quasi scilicet Christus, postquam mortuus fuit, mortuus non fuerit, sed aliquid fecerit, idque maximi momenti. ô fabulam anilem! Descensus enim Christi ad inferos, aliud nihil significat, quàm statum Christi post mortem, qui idem scilicet fuerit cum statu aliorum mortuorum, & necessarium quoddam consequens mortis censendus est. Vnde etiam dicitur, Deum non deseruisse animam Christi in inferno. Quod dicere, & pro singulari Dei erga Christum favore commemorare, opus non fuisset, si Christus tunc, cùm in infernum descendit, vixit, & divinam suam virtutem exeruit. Resuscitatio porrò mortuorum, quæ facta est Christo ex mortuis resurgente, non Christo, sed Deo, qui Christum excitavit, attribuenda est. Illud etiam nihil est, quod thesi 71. dicitur, ideo, ad cruciatuum novorum perpessionem, descensum ad inferos non accommodari, quòd Christus in cruce exclamavit: *Consummatum est.* Nam descensus ad inferos non est actio Iesu Christi aut verus cruciatus, sed tantùm conditio consequens mortis perpessionem. Christus autem, cùm dixit: *Consummatum est*, ea tantùm intellexit, quæ ab ipso fieri poterant & debebant, in quorum numero nullo modo est, descensus ad inferos.

Descensus Christi ad inferos quid?

Psal: 16. 10.

Thesis 72. est *De resurrectione duplicia loca sunt inspicienda & expendenda, nimirum Ioh: 2. 19. Destruite templum hoc, & ego triduo illud resuscitabo. Item cap: 10. 18. Ego habeo potestatem ponendi animam, & resumendi eam. Eph: 1. 17. 20. Deus Domini nostri Iesu Christi, pater ille gloriæ suscitavit eum à mortuis. Nimirum propria verbi virtus (à qua tamen actione nec anima Christi fuit exclusa) carnem extremò usu potentiæ sibi communicatæ exinanitam tum resuscitavit: & quia ea virtus est communis toti Trinitati, idcircò à patre quoque excitatum indigitat scriptura. Simul tamen clarissimum corpus accepisse Christum colligimus ex illo Phil: 3. 21. cui (sed pro proportione aliqua) similia erunt corpora nostra. Et huc refer illud Luc: 24. 31. Ioh. 10. 26.* Cur verò duplicia primum loca inspicienda? Num quia diversum diversa dicunt? At hoc, est literas sacras committere invicem, ut nostra obtineat opinatio. Certum autem esto, Deum Abrahami, Isaaci & Iacobi Deum, qui pater est, excitasse ex mortuis Iesum filium suum, ob quam causam etiam ista augusta περιφράσει sub novo fœdere describitur: *Is qui Iesum ex mortuis resuscitavit.* Iesum verò Christum seipsum ex mortuis resuscitasse, pro uno ἀδυνάτων habendum est, quod nec ratio per-

Quis autor resurrectionis Christi. Act: 3. 15. & 5. 30. Gal: 1. 1. Rom: 4. 24. & 8. 11.

V. Skyn. p. 298.

tio permittit, nec sacræ literæ usquam affirmant. Quid enim? nonné manifestam hoc contradictionem implicat: Christus semetipsum ex mortuis resuscitavit? Simul enim & mortuum fuisse & non mortuum Christum, in eo affirmatur. Si resuscitavit seipsum Christus, fecit aliquid. Resuscitatio enim actio est, & ita mortuus non fuit. Si mortuus fuit, nihil facere, atque adeo nec resuscitare quidem potuit. Nec quicquam hîc juvat commentum duarum naturarum, quantumvis eæ tandem concedantur, quæ tamen nullæ sunt. Certum enim est, actiones vel passiones esse personarum, non naturarum, quales in Christo fingunt adversarii. Natura autem humana in Christo non est persona, ex ipsorum mente. Iam enim duæ essent in Christo personæ & quatuor in Trinitate. Itaque nec mori potuit, sed necesse est, personam mortuam fuisse. persona autem secundùm adversarios est, secunda Trinitatis persona, quæ naturam humanam assumsit. Ergo, illa quoque ut mortua sit, necesse est. Iam si hæc mortua fuit, quomodo seipsam resuscitare potuit? Doceant igitur adversarii aut naturam absque persona mori posse, aut personam mortuam esse concedant, & sic dicere amplius desistant, Christus seipsum resuscitavit.

Quod ad sacrarum literarum testimonia attinet, primùm ita agendum censeo, ut, dum contrarium aliquid affirmare videntur, semper loca clariora, idque numero plura, iis, quæ & obscuriora & numero pauciora sunt, opponantur, & hæc ex illis, non verò vice versa, illa ex his intelligantur. (*Ratio conciliãdi scripturas.*) Quis verò nescit, loca sacrarum literarum, quæ affirmant, Deum resuscitasse ex mortuis Christum, esse & clarissima & numero plurima: Hæc verò, quæ Christo eandem actionem tribuere videntur, non esse nisi figurata, eaque paucissima. Vix enim, præter hæc duo a Fr: allegata, datur tertium: At illorum centuria fortassis dari posset. Deinde verò nego, ullum locum esse qui id apertè dicat, Iesum semetipsum ex mortuis resuscitasse. Nam quod ad primum locum Ioh: 2. attinet, quin is sit totus allegoricus, quis dubitat? In locis verò figuratis sæpè id tribui alicui, quod alii propriè tribui debet, nemo pariter ignorat, & maximè in hoc resurrectionis negotio. Tribuitur enim fidelibus, si animas suas Christi causâ perdant, quòd eas sint inventuri, servaturi, & vivificaturi, quod multò plus est, quàm corpus erigere. (Mat: 10. 39. Mar: 8. 35. Luc: 17. 33.) Et tamen nemo nescit, Deum futurum & Iesum Christum, qui fideles suos sit servaturus & vivificaturus. Itaque potuit Christus sibi etiam tribuere eam erectionem, quæ Dei propria erat, idque multò magis, quòd necessitas ita requirebat Christum respondere. Interrogatus enim ab adversariis suis, quod signum faceret, ut sibi crederent, si dixisset simpliciter, se resuscitatum iri, vel

Deum se resuscitaturū, verum quidem dixisset, sed ad interrogationem non ita directè respondisset, in qua de signo, quod ipsemet faceret, sermo erat. Cui rursus sufficienter satisfecit, dum dixit, se, posteaquam ab illis templum solutum fuisset, illud erecturum. In qua quidem oratione, Christus de sua ex mortuis resurrectione locutus est, ex mente sua, sed tamen ita, ut nemo tunc illud intelligeret, ut ex mox sequentibus apparet. Iam si in locutionibus, ubi propriè & manifestè de resurrectione, & de aliis hominibus, Christo multò inferioribus, sermo est, dici potest, eos, qui tamen mortui sunt, id facturos, quod Deus solus facere potest: quid mirum, idem etiam fieri in locis, ubi impropriè & obscurè, de resurrectione & de Iesu Christo adhuc vivente, sermo est. De loco Ioh. 2.19.

Locus verò alter Ioh: 10. itidem figuratus esse censendus est, ex parte sui posteriore. Quomodo enim is, qui, propriè loquendo, animam suam ponit, hoc est, moritur, & ita nullus est, potest aliquid agere, quale est, recipere animam. Hoc loquendi modo dicitur etiam de aliis fidelibus, eis datam esse potestatem, ut fiant Dei filii. Cùm tamen nimis certum & manifestum sit, non esse penes homines fideles, ut fiant Dei filii, eo modo, de quo ibi sermo est. Nam proculdubio ibi, Filium Dei fieri, aliud nihil est, quàm ex mortuis resurgere, & immortalem fieri. De illis enim ibi id prædicatur, qui Christum receperunt, in eum crediderunt, & non ex sanguinibus, nec ex voluntate viri, nec ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt. Qui verò Christum receperunt, in nomen ejus crediderunt, & ex Deo nati sunt, ii jam perfectissimo modo, qui in homines mortales in hoc seculo cadit, filii Dei sunt. Quo sensu etiam a Paulo dicitur, omnem creaturam expectare revelationem filiorum Dei. Apparet igitur, verba esse, quæ Fr: de virtute verbi, quâ caro resuscitata sit, disserit: & frivolum planè illud esse, quòd ideo id Patri tribuatur, quia virtus illa verbi sit communis toti Trinitati. Nam nec verbum tale, nec Trinitatem, nec virtutem communem Trinitati cum aliquo esse, unquam probari potest. De loco Ioh. 10.18. Ioh. 1. 12. Rom. 8.19.

Christum verò tunc, cùm resuscitatus fuit a Patre suo, simul accepisse corpus clarissimum, nusquam legitur, nec ulla ratione demonstrari potest: imò contrarium patet ex eo, quòd post resurrectionem vestigia clavorum in manibus & pedibus & latere: item quòd carnem & ossa habuerit, quòd comederit & biberit. Hæc enim omnia de corpore clarissimo dici nō posse, quis est qui dubitet? Ex loco verò ad Phil: 3. id colligi posse, nimis a re alienum est. Nihil enim aliud ibi dicitur, quàm nos expectare Servatorem de cælo, qui corpora nostra humilia sit transformaturus, ut conformia fiant

ant corpori suo glorioso: Quando verò Christi corpus gloriosum sit factum, id ibi non exprimitur. Id porrò, quod metuit Fr:, nempe nostra corpora, pro proportione aliqua similia futura corpori Christi glorioso, inane est. Certum enim est, nostra corpora, quoad naturam, prorsus similia futura Christi corpori. Id quod Paulus etiam innuit, dum hîc ait, corpus nostrum σύμμορφον futurum Christi corpori, & alibi ait, nos gestaturos imaginem cælestis, quemadmodum nunc gestamus imaginem terreni. Illud denique quod scriptum est Luc: 24. 31. nihil ad id, quod in quæstione est, comprobandum pertinet. Potest enim corpus physicum ἄφαντον fieri, si ita divina velit voluntas, quemadmodum etiam oculi hominum possunt teneri, ne aliquem, quem probè nôrunt, cognoscant: Et est hoc unum ex miraculis, quæ vel a Deo vel a Iesu Christo facta sunt. Locus Ioh:20. (non 10: ut habet Fr:) multò minus ad rem facit. Nihil enim ibi nec miraculosum denique apparet, nedum impossibile, quale somniat Fr. Quòd enim Christus apparuit januis clausis, & stetit in medio discipulorum, id non modum quo intraverit, sed tempus, quando id factum sit, tantummodo declarare dici potest. Et si quis modum etiam indicari his verbis velit, nihil tamen ejus, quod credit Fr:, excerpi inde poterit. Potuit enim tunc, cùm clausæ essent januæ, Christus intrare, vel aliquo aperiente, vel porta seipsa aperiente, quod Petro etiam Apostolo Domini accidisse legimus. En quot & quanti errores in hac una thesi lateant, quæ tamen non scrupulosè nec rigidè, sed simpliciter & benignè examinata est.

1. Cor:15.49

Act:12.10.

Thesi 73. ait, *Christi corpus suo robore propriaque potentia ascendiße in cælum.* Sed id suo more comprobare negligit. Itaque pro magno errore censendum est, cui scilicet repugnant sacræ literæ. Hæ enim sic habent: *Dexterâ Dei exaltatus Christus, & promissione spiritus accepta effudit, quod videtis & auditis.* Quanquam & illa verba, quibus simpliciter affirmatur, eum sursum latum in cælum vel elevatum fuisse, præsertim quod Lucas addit, *Et nubes suscepit eum ab oculis illorum*, satis manifestè docent, id totum a Deo factum esse. Præterea is idem Iesum in cælos extulit, qui eum in cælis collocavit. Atqui Pater Iesum in cælis collocavit. Pater igitur est, qui Iesum in cælos exaltavit. Falsum autem est, quòd ait Fr:, Christum *rursum* in cælum receptum esse, quasi scilicet antea ibi fuerit. cùm nec secundùm Frantzium, is, qui tunc receptus fuit, antea in cælo fuerit. Nam quoad divinam naturam nunquam descenderat: secundùm humanam verò descendere non potuerat. Quomodo igitur rursum recipi potuit? Nostra est sententia, Iesum filium hominis, postquam natus fuit, in

Act:2.33. Christus ascendit in cælum patris potentiâ. Act:1.9.

Eph:1.17,20

cælum ascendisse, ut ibi voluntatem hominibus patefaciendam disceret immediatè a Patre suo, & inde descendisse, ut eandem hominibus patefaceret & confirmaret: Rursus eodem ascendisse, ubi erat antea, ut voluntatem eandem perficeret. Quam nos ex sacris literis colligimus, Frantzio autem pensitandam relinquimus. Ioh:6.26.

Thesi 74. ait, *Christum ab ascensione commutaße visibilem conversationem cum invisibili præsentia.* Quod rectè quidem dicitur, si rectè intelligatur. Nempe Iesum Christum adesse sua benignitate, favore & gratia omnibus suis fidelibus, etiamsi ipse in cælo maneat, quoad suam essentiam, ut etiam ipse Deus ubique esse dici potest, quatenus omnibus suo favore adest. Sed hoc fortasse parum esse dicet Fr:, siquidem crassam illam Vbiquitariorum sententiam tutari voluerit. Cujus tamen tempus est, ut aliquando pudeat Lutheranos, quemadmodum Calvinianos prædestinationis imaginariæ, quos errores Deus inter istos homines extare voluit, ut agnoscerent, correctione suas adhuc egere confessiones.

Thesi 75. *Distinguit inter cælum, in quod ingreßus est Christus, & inter id, in quod omnes beati perveniunt:* sed frustra. Nam si in solio Christi sedebunt fideles, & cohæredes ejus futuri sunt, quomodo non in eodem cælo futuri sunt, in quo Christus est? Imperitè autem id dicitur, quòd beati *perveniant* in cælum, quasi scilicet singuli post mortem statim perveniant ad beatitatem. Cùm tamen nimis decantatum sit, ultimo die Christum resuscitaturum suos, & redditurum unicuique secundum opera sua. Pontificia hæc est fabula, quam purgatorium peperit: & hoc rursus studium pecuniæ colligendæ, quam immeritò fovent alii, qui Pontificem Romanum pro antichristo habent. Id, quod Luc: 16. legitur, parabola est, ideoque nihil ex ea certi, de articulo (ut loquuntur) fidei, statui potest, nisi id aliunde manifestè pateat. Apoc:3.21. Rom:8.17.

Thesis 81. & seq:, ubi de collocatione Christi ad dexteram Patris disserit, non caret tamen erroribus. Nulla enim fit mentio in S. literis exaltationis carnis, sed Christi totius, ita ut & λόγος, qui Christus est, sit exaltatus. Iesum Christum, ait Apostolus, Deus superexaltavit & donavit illi nomen (quod est) super omne nomen. vide Ephes: 1.20. Phil: 2.9.

In Thesi 82. affirmatur, dexteram Dei esse omnem majestatem & potentiam Dei. Sed id nulla ratione probatur, Dexteram Dei, majestatem & potentiam Dei significare, nullum est dubium: sed an *omnem*, hoc planè dubium est. Christus enim ex virgine natus, sedit

ad dexteram Dei: at is non potest esse omnium creator, quod ad *omnem* majestatem & potentiam Dei pertinet.

Thesis 83. talis est: *Etsi autē in conceptione caro exaltatur ad majestatem cælestem, & transscendit omnes cælos, & ab illo tempore est in cælo, Ioh:3.13.: tamen parum usa fuit hoc majestatis dono, ut pati posset.* In hac plura sunt ferè errata, quàm verba. Exaltatio carnis in conceptione ad majestatem cælestem, somnium est. Transcensio carnis super omnes cælos (in conceptione scilicet) tantùm non blasphemia est. Eandem fuisse a conceptione Christi in cælo, nugæ sunt. At Ioh: 3.13. dicitur, *Filius hominis, qui in cælo est.* Primùm hîc nō de carne, sed de filio hominis, sermo est, qui est λόγος ille. Deinde non dicitur, filiū hominis fuisse in cælo a conceptione. Denique verbum Græcū, quod plærique per verba, *qui est*, interpretantur, nō minùs cōmodè per, *qui erat*, explicari posse, viri doctissimi, & hac in re minimè suspecti, hoc est, Trinitarii, perspexerunt. Hoc verò, quòd caro parum usa sit hoc majestatis dono, ut pati posset, quid est nisi merum commentū? Ergo potest aliquis habere majestatem cælestem, & illa non, vel parum uti? vel opusné est ad id, ut quis pati postea posset, non uti præsenti majestate & gloria?

Thesis 84. talis est. *Etiamsi etiam in resurrectione declaratur Filius Dei, Rom:1.4. & intrat in gloriam suam, Luc:24.44. tamen demum in ascensione plenissimè incipit manifestatio & usurpatio æternæ immensæ & infinitæ potestatis.* Respondeo. Christus in resurrectione prædestinatus vel constitutus fuit Dei filius, non declaratus. Est enim vox Græca ὁρίζω, quæ nunquam propriè declarare vel patefacere significat. Nec etiam ipsa res patitur, ut dicatur, Iesum fuisse declaratum filium Dei in resurrectione. Hoc enim tacitè præsupponit, eum antea fuisse reipsa perfectum Dei filium, nondum tamen omnibus notum & manifestatum. Hoc verò quomodo verum esse potest, siquidem Iesus Christus, post resurrectionem etiam nondum naturâ immortalis & potentiâ divinâ fuit præditus, sine quibus rebus filius Dei perfectè esse non potuit. Aut igitur dicendum est, si resurrectio accipiatur pro tota Christi exaltatione, quod sæpe in sacris literis occurrere novimus, Christum per resurrectionem, constitutum, hoc est, reipsa effectum esse Dei filium, qui scilicet antea perfectè is non erat: vel si resurrectio pro sola resurrectione absque exaltatione, quæ eam consecuta est accipiatur, Christum prædestinatum esse Dei filium, hoc est, certissimo modo designatum ad istam perfectā filiationem. Quia scilicet inter Christi resurrectionem & exaltationem aliquid temporis intercessit, quod inter aliorum fidelium resurrectionem & glorificationem non intercedet.

De loco Rom.1.4.

Ioh:6.44. Phil:3.11.

Quid verò in mentem venit Fr: dum ait, Christum in resurrectione *intrare* in gloriam suam? Ait quidem Lucas cap: 24. 44. *Ita oportuit Christum pati & intrare in gloriam suam*, sed tempus, quando intrârit in gloriam suam, non exprimit. Sensus autem ipse communis, præter innumera sacrarum literarum testimonia, docet, tunc demum Christum in gloriam suam intrasse, cùm immortalis effectus fuit, & hæres omnium constitutus, & omnem potestatem in cælo & in terra, dono patris sui, consecutus est. In ascensione igitur incipit non manifestatio tantùm & usurpatio potentiæ Christi, sed ipsa Christi potentia, nempe perfecta, quam antea reipsa nunquam habuit, & quâ antea uti nullo modo potuit. Quæ quidem Christi potentia æterna est, a parte post, ut loquuntur, hoc est, æternùm durabit, quatenus nemo Christum illâ privare poterit: ipse verò Christus, postquam ei subiecta fuerint omnia, tradet eam patri suo, & ipse filius subjectus erit ei, qui omnia illi subjecit, ut Deus sit omnia in omnibus, ut Apostolus loquitur. Immensa etiam & infinita est, quatenus nihil est, ad regnum Christi quoquo modo pertinens, in quod absolutè ea non extendatur, vel quod ad salutem administrandam & perficiendam (cujus causâ Christus est dictus) pertinet: Sed tamen non simpliciter. Habet enim Christus Deum & caput, & nonnulla sunt, quæ ad Christi regnum ordinariè non pertinent.

De loco Luc. 24.44.

1. Cor: 15. 24, 27.

Eph. 1. 17. 1 Cor: 11. 3.

Thesi 85. *discrimen infinitum esse*, ait, *inter ascensionem Christi & beatorum in cælum*, idque sic thesi 86. explicat: *Beati in cælum quidem perveniunt, sed non fiunt sublimiores cælo, nec collocantur ad dexteram patris in cælestibus, ut ipsis omnia subjiciantur. Heb:* 1. *Sancti item recipiuntur in cælum. Sed Christus occupat cælum, ut ibi regnet & omnia impleat Act:* 3. 21. *Eph:* 4. 10. Paulus ait, Deum nos unâ cum Christo sedere fecisse in supercælestibus in Christo Iesu Eph: 2. 6. Quomodo igitur non erunt sublimiores cælo beati? Cæterùm aliud est differere, qualis nunc sit Christus, & aliud, qualis in omnem æternitatem futurus sit, cùm scilicet regnum suum patri tradet, & ipse etiam subjectus futurus est. Quando de beatis dicitur, quòd Christo sint futuri similes, & ejus cohæredes, non tam ejus, qualis nunc est Christus, quàm, qualis in æternum futurus est, ratio habetur. Similes erunt beati Christo, qualis nunc est, in immortalitate, & eadem immortalitate in eodem loco fruentur, in quo nunc ea fruitur Iesus Christus: Quod verò attinet ad potentiam, & gubernationem, ea in Christo non erunt ita æterna, ut immortalitas, teste Paulo. Itaque satis est, dicere, beatos sessuros in throno Christi, quemadmodum ille consedit in throno patris sui. Sanctos recipi in cælum: Christum verò occupasse

Apoc. 3. 21.

cælum, idem sunt. Nam Christus non virtute sua, sed dexterâ Dei exaltatus est in cælum. Quanquam verba Act:3 non suadent illum Frantzii sensum, Christus cælum occupavit. Sic enim habent: ὃν δεῖ οὐρανὸν μὲν δέξασθαι, quæ verba possunt ita verti, quem, scilicet Christum, necesse est in cælum ascendere, vel a cælo capi, ita ut non dicatur, necesse esse, ut Christus occupet cælum, sed necesse esse, ut cælum recipiat Christum. In quo cælo regnabunt beati unâ cum Christo, eo modo, quo Christus regnabit in omnem æternitatem. Omnia implere actio est ad salutis administrationem & perfectionem pertinens. Itaque non est opus, ut illam ii perficiant, qui beati futuri sunt, & quando nullus ei rei locus amplius futurus est. Ita Frantzius verum falso miscens, seipsum & alios irretit.

Thesi 88. & seq: usque ad 99. persequitur controversiam cum hodiernis Iudæis, negantibus Messiam jam exhibitum esse, & ait, eos duo disputare cum Christianis, 1. quòd Messias non sit Deus. 2. quòd jam nondum venerit. De primo, Messiam scilicet Deum esse, ait Fr: se idem respondere Iudæis, quod nobis retribuit in 1. disputatione. Relegandus est igitur lector benevolus ad illam disputationem primam, ut inde discat, scilicet, Messiam esse Deum, nempe illum unum Israelis. Sed frustra hujuscemodi puerilibus argumentorum modis conversioni Iudæorum studetur: Quin potiùs cedendum est Iudæis, negantibus Iesum esse Deum unum Israelis, & ostendendum in eoque acquiescendum, Iesum esse illius unius Dei Israelis proprium & unigenitum filium, & Dominum ac Deum nostrum, talemque effectum ab illo uno Deo. Alioquin desperanda est Iudæorum proborum & cordatorum conversio. Hoc enim est, quod jure eis suspectam reddere potest Christi religionem, tam monstrosa scilicet, de Deo opinatio, quam scripta veteris Testamenti, cujus illi sunt filii, omnino ignorant. Cæterùm quomodo probet Fr: Messiam jam exhibitum esse, equidem perspicere nequeo: & ingenuè fateor, me, nisi alias, Dei beneficio, rationes haberem, quibus mihi persuadetur firmissimè, Iesum esse Messiam, facilimè inventurum non pauca, quibus ista argumenta Frantzii repellerem. Sed nolo nunc istud exponere. Dolendum tamen est, tantos viros in re tanti momenti tractanda tam frigidè procedere, & Iudæis miseris tantùm non illudere, quos argumentis firmissimis erroris convincere tenebantur. Videamus jam tandem controversias, quas nobis movet Frantzius.

Act:3.25.

Thesi 99. ait, nos negare duas in Christo naturas.

Thesi 100. Ostorodum adducit duo affirmantem 1. *Quòd de divina Christi natura, ne unicum quidem verbum ex sacra scriptura demonstra-*

demonstrari possit. 2. *Quòd scriptura omnia Christo data esse asserat, & quidem demum post passionem, & maxima ex parte post obedientiam Deo in passione præstitam Phil: 2. 9. Heb: 2. 9.* Fatemur, nos ista partim negare, partim affirmare. Audiamus Frantzium ad hæc respondentem.

Sic igitur rem aggreditur thesi 101. *Verùm enim verò, quod ad primam eorum objectionem attinet, repetimus solidissimum pro divina natura in Christo stabilimentum ex Ioh: 8. 58. Antequam Abraham fieret, ego sum.* In multis ecclesiarum nostrarum libris, validissimis rationibus demonstratum est, verba illa ex Græco, vi Grammatices, aliter legi posse & debere, nempe hoc modo: *Amen dico vobis priusquam Abraham fiat, ego sum.* Hoc si ita est, qua spe tantum tribuit Frantzius huic loco? Certè nisi contrarium demonstretur, nempe verba illa aliter legi non posse, quàm vulgò leguntur, frustra est, quicquid dicit Frantzius, qui si usquam, Certè in hoc loco tractando & urgendo valdè se pueriliter gerit. Totus enim in eo est, ut explicationem, quam nos versionis nostræ afferimus, exagitet, & falsam esse demonstret. Quod tamen hactenus eum non præstitisse, jam in 1. disputatione demonstratum est, & nunc fortasse iterum demonstrabitur: Et si quàm rectissimè illud præstitisset, nihil tamen id causam ejus juvaret. Non enim, quia nostræ versionis nova explicatio falsa esset, sequeretur, ipsam versionem falsam esse. Stante autem versione, quam nostri hujus loci ostenderunt, planè corruit id, quicquid de duabus naturis super hunc locum extruxit Frantzius. Equidem nihil dubito, quin locus ille Ioh: 8., quem nunc pro invicto Achille habent Trinitarii, propediem ita planus futurus sit, ut omnes agnoscant, nihil pro Christi divina natura asserenda afferri posse infirmius. Nam ut hîc paucis rem totam explicemus, de qua etiam disp: 1. aliquid diximus, quis non videt in colloquio illo, quod Christus cum Iudæis Ioh: 8. habuisse legitur, hinc ortam fuisse de Abrahamo contentionem, quod cùm Christus dixisset: *Amen amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum.* v: 51. Iudæi, occasionem carpendi Christum captantes, sic ei responderint: *Nunc cognovimus, quia dæmonium habes. Abraham mortuus est & prophetæ: & tu dicis, si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in æternum. Num tu major es patre nostro Abraham, qui mortuus est & prophetæ mortui sunt. Quem teipsum tu facis?* Hæc responsio verò, quid aliud est, quàm cavillus? Nec enim Christus verba sua ad secula præterita referri volebat, sed ad præsentia spectabat, quibus, ut Petrus ait, non est aliud nomen sub cælo datum in hominibus, in quo opor-

Explicatio loci Ioh: 8. 58.

Act: 4. 12.

teat.

teat nos servari, præter nomen Iesu. Ad hunc cavillum quid respondet Dominus? *Si ego*, ait, *glorifico meipsum, gloria mea nihil est. Est pater meus, glorificans me, quem vos dicitis, quia Deus vester est. Et non cognovistis eum, ego autem novi eum. Et si dixero, quia non novi eum, ero similis vobis, mendax. Sed novi eum, & sermonem ejus servo. Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum, & vidit & gavisus est.* Duo Christus agit. Primùm docet, se semetipsum non facere aliquid, hoc est, se nihil sibi arrogare. hoc enim frustra futurum: sed se totum illud, quod sibi tribuat, Deo acceptum referre, Deo, inquam, illi, quem tunc profitebantur quidem Iudæi, interim tamen eum non nôrant, quia scilicet Iesu Christi doctrinam, in qua perfecta Dei cognitio continebatur, & ipsum Iesum, cognitionis illius præconem, rejiciebant. Deinde ad id, quod Abrahamum objecerant, quasi scilicet Christus non sit ipso maior, Dominus respondet, nihil in eo absurdi fore, si se Abrahamo majorem prædicaret. Abrahamum enim cupivisse videre diem Messiæ, & vidisse & gavisum esse, tacitè hac ratione innuens, Abrahamum minorem se fuisse. Abrahamum autem exultasse, ut videret diem Domini, & eum vidisse & gavisum esse, si verba ita, ut vulgò fit, legantur, Christi auctoritate & rei verisimilitudine & sensu generali potiùs nitebatur, quàm aliquo argumento vel testimonio. Nihil enim tale expressè usquam de Abrahamo legitur. Quare credimus hæc verba ita etiam posse converti: *Abrahamus pater vester exultasset, ut videret diem meum, & si vidisset, gavisus fuisset*, ut sensus sit: quòd tantopere & toties jactatis patrem vestrum Abrahamum, id inprimus vos refutare & pudefacere posset, si non omnem pudorem prostituissetis. Nec enim talis esset Abrahamus, si nunc viveret, quales vos estis. Vos, quibus contigit videre diem meum, de me calumniis & vi opprimendo cogitatis: At Abrahamus, quanto cum desiderio cupiisset videre hæc tempora, &, si ipsi id contigisset, quantâ lætitiâ perfusus fuisset? ita ut Christus hoc in loco simili modo respondere censendus sit, quo supra v:40., ubi cum Iudæi dicerent: *Pater noster Abraham est*. Christus respondit. *Si filii essetis Abrahæ, opera Abrahami faceretis. Nunc autem quæritis me interficere hominem, qui illam veritatem locutus sum vobis, quam audivi à Deo. Hoc Abraham non fecit*, ut vulgò legitur, sed parum aptè. Rectius autem, si sic convertantur verba: *Hoc Abraham non fecisset*, quod etiam Wolfgangus Musculus & Henricus Bullingerus observârunt. Notum enim est omnibus, sacrarum literarum studiosis, Hebræos, uno præterito pro omnibus omnium modorum præteritis uti; & duabus copulis, duobus verbis additis, idem præstare, ac si

Regula Hebraica.

priori

priori verbo vel solam, vel post ipsam copulam, particulam conditionalem vel similem addidissent, posterius verò sine ulla copula aut simpliciter aut cum asseverante particula enunciassent. Exempla habes Ier: 18.7.8.9.10. ubi secundùm Hebraicum textum sic legimus: *Repente loquar adversus gentem & adversus regnum, ut evellam & confringam & perdam, & convertetur gens illa à malo suo, quod locutus sum contra illam, & pœnitebit me super malo, quod cogitavi facere ei. Et repente loquar super gentem & super regnum ut ædificem & plantem, & faciet malum in oculis meis, ut non audiat vocem meam, & pœnitebit me super bono, quod dixi, ut benefacerem ei.* Vbi nemo est, qui non videat, hæc verba ita esse resolvenda, ut ab omnibus fere interpretibus conversa sunt: Ego loquar adversus gentem, &c. Si verò convertatur, pœnitebit me, &c. Idem etiam de loco Ioh: 6.36. intelligendum est: *Sed dixi vobis, quia & vidistis me & non creditis.* hoc est, etiamsi me videritis, tamen non creditis. Sed locus est insignis apud Iacob: cap: 1. 23, 24. qui sic habet: *Si quis auditor verbi est, & non factor, hic similis est viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo. Consideravit enim seipsum, & abiit, & statim oblitus est, qualis fuerit,* pro eo, quod nos diceremus: nam etiamsi seipsum consideret, tamen quamprimùm abierit, obliviscitur, qualis fuerit. Vbi tria diversa tempora uno tantùm præterito expressa sunt. Et hunc sensum verborum Iohannis, quem nunc innuimus, ad rem accommodatiorem esse, nemo diffitebitur, qui paullò altiùs rem expenderit. Hoc enim Christus jure dicere poterat, etiamsi nullum de eo extaret testimonium: At illud non ita rectè, præsertim apud eos, apud quos nulla tunc erat Christi autoritas, quique facillimè occasionem inde arripere poterant, Christum, tanquam falsa de Abrahamo dicentem, mendacii coarguendi. Quanquam nihil iterum dubitandum est, Christum ita locutum fuisse studio, ut & hoc & illo modo verba ipsius intelligi possent, ut homines improbi, verba non considerantes, haberent, quod speciosè carperent. Hic enim Christi mos fuit, homines improbos suis sermonibus quasi intricare, ut ex multis sacrarum literarum testimoniis, maximè verò ex eo, quod cap: 6. apud eundem Iohannem, de manducatione carnis & bibitione sanguinis sui, scriptum est, ad oculum apparet. Ad hanc tam insignem Christi orationem, quid tandem responderunt Iudæi? Hoc: *Quinquaginta annos nondum habes, & Abrahamum vidisti.* Quid hîc candoris, quid rationis? Dixeratné Christus, se Abrahamum vidisse, vel aliquid tale, unde id jure colligi posset? Nihil minùs. Diversa enim sunt, quòd Abrahamus Christum viderit (quanquam ne hoc quidem Christus dixerat) &, quòd Christus Abrahamum viderit.

derit. Poterat enim Abrahamus Christum vel diem Christi videre in spiritu, quod Prophetarum, qualis etiam appellatur Abraham, est proprium: & tamen Christus non tantùm poterat Abrahamum non videre, sed poterat etiam Christus nondum existere. Itaque ipsissima perversitas apparet in his ipsorum verbis. Quo ita demonstrato, non opus est, Christum ita introducere loquentem, quasi cum insanis & perditis contendere verbis & certare velit. Quod ii faciunt, qui verba Christi sequentia ita accipiunt, ac si dixisset: Quin imò Abrahamum vidi, Nam priusquam Abraham fieret vel nasceretur, ego fui. hoc enim est Christum Iudæorum similem, id est, nihil respondentem facere: Sed omnino statuendum est, Christum, quia videbat, eos esse deploratos & omnia in pessimam partem rapere, adeoque Christum in verbis ipsius irretire velle, aliò orationem suam convertisse, &, loco directæ responsionis, cui jam locus nullus erat, id dixisse, quo instans exitium illis denunciaret, nisi seriò resipiscerent. Id autem his verbis inclusit: *Amen amen dico vobis priusquam Abraham fiat, ego sum.* Quæ verba nullo modo eum sensum ferunt, ego fui, antequam Abraham nasceretur. Primùm enim, calumniatores secutus id dixisset D. Iesus, quod ad negotium nihil planè fecisset. Mentiebantur enim Iudæi, cùm dicerent D. Iesum vidisse Abrahamum. Deinde vox Græca, quæ per *fieret* ab aliis conversa est, per *fiat* converti potest & debet, ob hanc causam. Quia ἀόριστα semper sequuntur tempus eorum verborum, quibuscum junguntur. Quia verò hìc cum verbis præsentis temporis conjuncta est vox γενέσθαι, (præcedit enim λέγω, & sequitur εἰμί) hinc concluditur, non per præteritum, sed per præsens, quod ad futurum respicit, convertendam eam esse. Quod etiam in locis similibus ab omnibus interpretibus observatum est, Ioh: 13. 19. & 14. 29. Tum vox γενέσθαι non necessariò significat nativitatem, sed tantùm factionem, ut sic loquar. Tam autem id fieri dicitur, quod rei jam existenti accidit, vel in ea, secundùm prædictionem, impletur, quàm id, quod nascitur. Denique si de nativitate Abrahami sermo esset, dicendum omnino fuisset, Amen dico vobis, priusquam Abraham fieret, *ego fui.* Hunc solœcismum quidam excusare volentes, dicunt, Christum ita maluisse loqui, ut suam æternitatem tacitè indicaret, quæ scilicet his verbis, *ego sum*, ab ipso Deo etiam in Exodo indicata fuerit. Sed primùm falsum est, Deum ita de se dixisse. Omnes enim jam sciunt, Deum dixisse, *Ero, qui ero, dices, misit me:* & jam etiam Trinitarii nonnulli docuerunt, his verbis non essentiam Dei, sed immutabilitatem voluntatis ejus significari, qui quod

Exo. 3. 14.

De verbis Mosis, Ero qui ero.

Brentius ut supra dis. p. 81.

quod semel promiserit, perpetuò præstet. Sed esto, Deum dixisse de seipso, *Sum qui sum*, & hoc etiam ad essentiæ ejus æternitatem describendam pertinere, quis non videt, primùm differre has locutiones, *Sum qui sum*, &, *Ego sum*? Prior enim perfecta est, & sine ulla additione sensum suũ habet: At hæc posterior omnino elliptica, & nisi suppleatur, manca est & mutila. Deinde quis itidem non videt, futilissimam esse illam conjecturam, quia Deus essentiæ suæ æternitatem descripturus, dixerit, *Ego sum qui sum*, hinc consequi, eum, qui de se dicit, *Ego sum*, hac ratione æternitatem suam indicare. Cùm in promtu sit alia causa, nempe Iesum Christum his verbis docere voluisse, se esse lucem mundi, id quod ex eodem capite unicuique constare potest. Sic enim supra v: 12. cœperat de se dicere: *Ego sum lux mundi*, &c. Hoc cùm impugnarent Iudæi, ait Dominus v: 24. *Si non credideritis, quòd ego sum*, scilicet lux mundi, *moriemini in peccatis vestris*, & iterum v: 28. *Cùm exaltaveritis filium hominis, tunc cognoscetis, quòd ego sum.* Quia igitur ellipsi Christus usus est in eodem capite antea bis, eâdem etiam illum tertiò usum fuisse, sub finem hujus colloquii, dici posse, quis sanæ mentis dubitet? Certum igitur esto, Christum non id dixisse, quod eum dicentem faciunt Trinitarii omnes: sed, quia argumentis & directis responsionibus nihil profici videbat, argutè Iudæis minatum esse, Deum gratiam suam, quam tunc illis offerebat, ab eis ablaturum, & ad alias gentes translaturum, quod est, Abrahamum futurum, nisi crederent tempestivè id, ad quod eos antea hortatus fuerat, nempe se esse lucem mundi, & servatorem ipsorum. Sic enim videmus, Christum & apertè & tacitè plærumque minatum fuisse Iudæis, quotiescunque, freti carnali quadam prærogativa, ipsum spernebant, ut parabola Matth: 21. 33. docet, & id quod Lucæ 4. scriptum est v: 23, 24, 25, 26, 27. Quibus verbis eadem comminatio tacitè continetur, quæ hoc in loco. Ideoque etiam idem effectus consecutus est, quem hîc consecutum esse Iohannes scribit. Vt enim hîc tulerunt lapides, ut jacerent in eum: sic etiam apud Lucam additur v: 28. *& repleti sunt omnes irâ in Synagoga, audientes hæc, & surgentes ejecerunt illum extra civitatem, & duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum. Ipse autem transiens per medium illorum, ibat.* Non poterant scilicet ferre homines, religionis specie & ortus nobilitate inflati, quòd quis diceret, ad alios homines ab eis transferendam esse Dei gratiam, quod & hîc & apud Lucam dicebatur. Quemadmodum etiam legimus, quòd Paulo satis modestè auscultarint, recensenti quomodo ad Christum

Quis sensus verborum Ego sum &c.

ſtum adductus fuerit, donec iſta verba diceret: *Mittam te ad gentes.*
Act. 22. 22. 23. 24. Quamprimùm enim hæc effatus eſt, ait Lucas: *Audiebant autem eum uſque ad hoc verbum, & levaverunt vocem ſuum dicentes: Tolle de terra hujuscemodi. Non enim fas eſt eum vivere.* quibus poſtea addiderunt, ut ibidem Lucas teſtatur, vociferationes, projectiones veſtimentorum & pulveris jactionem in aërem, adeo ut tribunus plebis Paulum flagellis explorare juſſerit, ut ſciret, cur ita ei acclamarent. Hæc ita paulò fuſiùs differere libuit de hoc loco, quem ſolum Frantzius ad naturam Chriſti divinam, quæ ſcilicet nulla eſt, demonſtrandum ſufficere, non minus pueriliter quàm audacter affirmat, ut appareat, quàm fragili & lubrico fundamento opinio iſta nitatur.

Iam quæ theſi 103. 104. ſcribit, quòd de hac explicatione noſtra glorjemur, id ſanè licere nobis putamus, dummodo in Deo ſit gloriatio noſtra, cui totum hoc aſſcribimus. Et cur non gloriemur, quòd locum illum, cujus inepta explicatio tum ipſum Frantzium, tum alios ferè innumeros in errore tam craſſo detinet & confirmat, ita intelligamus, ut nihil in eo ſit, quod adverſariorum ſententiam aſſerere poſſit?

Quòd verò nos omnes theſi 105. relegat ad diſputationem ſuam primam, nos etiam eò lectorem remittimus. Hoc iterum atque iterum monentes, Frantzium malè in defenſione cauſæ ſuæ procedere, dum ſatis habet, quòd, noſtram iſtius loci explanationem falſam eſſe, demonſtrare conatur. Nam etiamſi id obtineret, nondum tamen res confecta eſſet. poſſet enim falſa eſſe explicatio & noſtra & ipſorum: Sed an verſio noſtra falſa ſit, hoc demonſtrandum erat. Quàm verò graviter fallatur Frantzius, qui noſtram explicationem loci iſtius, erroris convincere conatur, demonſtratum eſt in reſponſione ad 1. diſputationem. Et cùm nihil hîc novi dicat Frantzius, quid opus eſt actum agere?

Theſis 113. eſt: *Quòd autem in ſecundo objecto à nobis aliquoties poſtulat Oſtorodus locis allegatis hactenus, ut ipſi expreßum exhibeamus textum, quòd ſuam poteſtatem Chriſtus à ſeipſo & non ab alio habeat. Reſpondemus, id non opus eße, quanquam ejusmodi dictis non deſtituimur, ſiquidem ſufficit, quòd eidem inſolubilem dedimus probationem ex dicto Ioh: 8. 58. Antequam Abraham fieret, ego ſum, quòd præter humanam in Chriſto, ſit etiam divina natura.* Dolendum eſt, Frantzium ita ſe miſerè gerere, ut in re tanti momenti; & in qua tantopere urgetur a nobis, locos, quibus doceatur, Chriſtum habere ſuam poteſtatem a ſeipſo & non ab alio, producere recuſet; & ſolo hoc loco Ioh: 8. contentus, ſperare audeat, ſe rem feliciter confeciſſe, cùm tamen loco illo, vix

lo vix aliquid infirmius esse possit, ut a nostris luculentissimè in diversis scriptis, & a me modò demonstratum est; Et ut ut locus ille firmus sit, non tamen protinus ex eo, quòd Christus ante Abrahamum fuerit, consequi constet, eum vel divinam naturam, qualem ei Fr: tribuit, habere, vel suam potestatem a seipso & non ab alio habere. Nonné enim Ariani credunt, Iesum fuisse non tantùm ante Abrahamum, sed etiam ante omnia secula: & tamen a Deo Patre creatum fuisse asserunt? Quod dum faciunt, & naturam divinam ei adimunt, & negant, eum habere potestatem suam a seipso. Nam qui non erat aliquando, quomodo is naturam divinam, qualem statuit Frantzius, & a seipso potestatem habere potuit?

Ariisententia de Christo.

Thesi 115. ait, *se in disputatione 1. de SS. Trinitate per invicta documenta expedivisse, Christum etiam ab æterno extitisse*, & addit, *quæ & ipsa, quod pro certo scimus, solidè & sufficienter Photiniani non evertent.* Gloriationis satis: sed an justæ, videbit lector intelligens, dum leget responsionem nostram. Equidem ita sentio, nostros cœtus jam solidissimè & sufficientissimè respondisse ad omnia, quæ viri hoc seculo acutissimi & doctissimi in his & aliis regionibus adversus nos in lucem ediderunt, ita ut jam nihil præter convicia, calumnias & minas, ipsis restare videatur. Itaque ea, quæ Frantzius affert, a nobis non posse solidè & sufficienter everti, puto nimis audacter dictum esse: & firma stant omnia Ostorodi verba, quæ a Frantzio citata sunt ex ipsius institutione Germanica.

Thesis 119. est. *Præterea quod Ostorodus & Eniedinus concludunt: si Christus juxta illud Ioh: 5. 19, 20. & juxta alia sacra dicta, accepit, dono accepit, omnem potestatem & gloriam, tum illam non à seipso habere potuit. Respondeo, & jubeo; ut juxta invicta & infallibilia demonstrata hactenusque conclusa distinguat, & res tota erit in vado, nimirum quædam competere secundùm divinam, quædam verò secundum humanam naturam Christo originaliter.* Satis pro imperio. Cui tamen libenter pareremus, si id, quod jubet Frantzius, fieri posset. Quomodo verò id fieri a nobis potest, quibus non tantùm persuasum est, naturas in Christo duas demonstrari non posse, sed qui etiam rationes evidentissimas in promtu habemus, quibus contrarium facillimè probari potest? Præterea vanissimum esse omnino effugium illud ad duas in Christo naturas, per id demonstratur, quòd non tantùm a Deo, sed a patre omnia habere Christus dicatur. Hoc enim omnino tollit divinam in Christo naturam, cujus respectu omnia habeat a semetipso. Nam si Christus a seipso aliquid vel omnia habere potuit, quid opus est, patri ea tribuere? vel quomodo possibile est, ut pa-

Modus tollendi duas in Christo naturas.

ut patri ea tribui possint? Quia verò certum est, sacras literas dissolvi non posse, quæ omnia, quæ Christus habet, *patris* beneficio ei contigisse affirmant, hinc unusquisque videre potest, nullam esse talem causam, a qua profecta fuerint ea omnia, quæ Christus habet, qualem fingunt adversarii, divinam scilicet in Christo existentem personam. Cui addendum & illud est, quòd Christus, si divinam naturam habuisset, nullo modo dicere potuisset, se a semetipso nihil posse. Quod enim quis potest respectu alterius naturæ, ejusque potissimę, id, se non posse, simpliciter dici nequit, ut v. g. id, quod homo potest respectu animæ, de homine simpliciter negari non potest, etiamsi id respectu corporis non possit.

Quæ thesi 120. addit de regula quadam patrum & Orthodoxorum Theologorum, ea nec tenemur admittere, vel ex ipsius Fr: consilio & judicio. Promisit enim ab initio Fr. se solis sacrarum literarum oraculis veritatem suæ confessionis asserturum: nec etiam quicquam solidi in ea regula continetur, ut pote quæ nullum aliud fundamentum, quàm autores suos, habeat.

Thesi 122. ait. *Denique ad illud, quod Ostorodus pugnat cum Eniedino, maximam potentiæ divinæ partem demum post passionem in compensationem præstitæ summæ obedientiæ datum fuisse. Respondemus, quòd testetur scriptura, Christo datam esse omnem potestatem etiam ante passionem, sicut Christus ipse duodennis manifestat gloriam suam in nuptiis Canæ Ioh:2. & idem ante passionem dicit, Matth:* 11. 27. *Omnia mihi tradita sunt à patre.* Sed hæ instantiæ Frantzii nullæ sunt. Nonne enim Christus manifestare potuit gloriam suam, dum ex aqua vinum fecit: & tamen esse mortalis & morti obnoxius, & ita maximam potentiæ & gloriæ suæ divinæ partem demum post ascensionem accipere? Christum verò duodennem gloriam suam in nuptiis Canæ manifestasse, miror, quomodo Frantzio ita imprudenter exciderit, cujus eruditio aliàs satis mihi cognita est. Verba etiam Christi Matth: 11. nihil huc faciunt. Nam omnia illa, de quibus isto in loco sermo est, non de omnibus, quæ Christo tradita nunc sunt, sed quæ tunc tradita ei erant & tradi poterant, intelligi posse & debere, loci circumstantiæ manifestè domonstrant, nempe de scientia rerum ad salutem pertinentium. Priùs enim dixerat Christus, Patrem suum cælasse illa sapientes & prudentes, & revelasse infantibus: Postea verò subjungit hæc verba: *Et nemo cognoscit filium nisi pater, nec patrem quis cognoscit, nisi filius, & cui voluerit Filius revelare. venite ad me omnes.* &c. Denique si vocem *omnia* universaliter aliquis rigidus accipere omnino velit, agnoscendum erit, Christi verba de prædestinatione

De loco Matt: 11. 27.

donatio-

donationis omnium intelligi debere. Quo sensu etiam alibi dicitur: Christo fuisse datam potestatem omnis carnis, & gloriam, cùm tamen neutrum horum reipsâ datum ei esset, sed utrumque tantum destinatum. Christus enim ad dexteram Dei collocatus, omnem potestatem servandi homines demum reipsa accepit, & tunc demum reipsa gloriam a patre suo accepit: tunc verò cum diceret, gloriam sibi datam esse, eandem etiam petebat, quod cum vera ejus possessione prorsus pugnat. Ioh. 17. 2. & 22.

Thesis 123. est. *Sic etiam Joannes Baptista apud Ioh: Evangelistam cap: 3. 35. in sua concione de Christo ante passionem dißerit: Deus non dedit ei* (Iohannes habet, *dat*, omissa vocula, *ei*) *Spiritum ad mensuram. pater diligit filium, & omnia dedit in manum* (textus habet *in manu*) *ejus.* Sed ad hunc locum eadem est responsio, quæ ad locum Matth: 11. Eadem enim utrobique materia.

Thesis 124. est. *Item Phil: 2. docet Apostolus, eodem ipso tempore fuisse Christum in forma Dei, quâ fuit humilis & exinanitus.* At diversa sunt, in forma Dei esse, & omnem potestatem habere sibi datam. Potest enim is dici esse in forma Dei, qui non secus ac ipse Deus quibusdam rebus imperat, eamque potestatem imperandi in se manentem habet, & quem homines non secus atque ipsum Deum adorant. Talis verò, rursus potest carere potestate in angelos, potestate dandi Spiritum S. & vitam æternam, quæ est maxima pars potentiæ Christi divinæ. Hac autem Christum ante resurrectionem præditum non fuisse, disertè testantur sacræ literæ, & ratio sana comprobat.

Thesi 126. ait, *Quod autem Christum sua humilitate obedientia & passione meruisse exaltationem & glorificationem humanitatis iidem contendunt, in eo viam sternere tentant alteri suæ hæresi, quam etiam maximo ausu & magnis voluminibus in Ecclesiam invehere conantur, nimirum: Iesum Christum ideo perhiberi servatorem, quia salutis æternæ viam nobis nuntiaverit, confirmaverit, & in sua ipsius persona tum vitæ exemplo, tum ex mortuis resurgendo, manifestè ostenderit, vitamque æternam nobis ei fidem habentibus ipse daturus sit. Divinæ autem justiciæ, per quam peccatores damnari mereremur, pro peccatis nostris neque illum satis fecisse; neque ut satis fieret opus fuisse, quæ sunt formalia verba Fausti Socini in principio libri ipsius de Servatore: in quo meritum Christi ex intimo fundamento destruere allaborat, & nisi caveatur, plurimos decipiet non egregiè fundatos in religione.* Primùm ineptè loquitur Frantzius, nos contendere, Christum sua humilitate obedientia & passione meruisse exaltationem & glorificationem humanitatis. Non enim ita loquimur unquam, ut pote qui præ-

ter humanam naturam aliam in Christo non agnoscamus: sed dicimus, Iesum ipsum esse exaltatum & glorificatum propter obedientiam suam usque ad mortem crucis. Deinde cavillo vel potiùs calumniâ utitur, dum ait, nos contendere Christum meruisse suâ obedientiâ exaltationem. Potest enim aliquis ob obedientiam exaltari a Deo, & tamen ista obedientia non erit meritum. Quemadmodum omnes pii ob obedientiam suam divina benignitate exaltabuntur, qui tamen nihil mereri possunt, imò si omnia faciant, quæ præcepta sunt, tenentur dicere *Servi sumus inutiles, quia quod debuimus facere, fecimus.* Et ut nostram hac de re sciat sententiam Fr: & alii omnes, dicimus, Nullum omnino dari meritum, quemadmodum nec ipsa vox Meriti in toto sacro codice usquam reperitur, nec quicquam ei æquipollens: & quod ad Christum attinet, non ob aliam causam dicitur Phil: 2. eum ideo exaltatum esse, quòd usque ad mortem obediens fuerit, quàm quòd sine ista obedientia exaltatus non fuerit. Meritum autem in eo nullum fuisse, hinc apparet, quòd Apostolus ibidem mox addit: *Et donavit* (ἐχαρίσατο) *ei nomen, quod (est) supra omne nomen.* Nihil autem merito propriè accepto cum donatione commune est. Ridiculum igitur est, quod tertio loco affirmat Frantzius, nos in eo viam sternere alteri hæresi nostræ, cùm de merito nihil unquam scripserimus aut cogitemus. Quanquam præterea perspicere id nondum possumus, quomodo is, qui dicit, Christum meruisse obedientiâ suâ exaltationem, in hanc, quam nobis affingit hæresin, incidere possit. Pontificii enim non verentur scribere, Christum meritum esse sibi vel humanitati suâ obedientiâ exaltationem: & tamen iidem ab ea, quam nos de Christo Servatore profitemur sententia, non minùs abhorrent quàm Lutherani. Hæresin verò id appellare, quod erroris nullius convinci potest, nec hactenus convictum est, hominum est liberè omnia pronunciantium, & ideo talium, qui facilè labi, imò etiam peccare in Deum & proximum possunt. Itaq; ne id faciat Fr:, amicè eum rogamus. Extat jam ab annis viginti liber iste, versatur manibus ferè omnium Theologorum, a nemine hactenus, quod sciamus, refutatus est, & tamen damnatur. Quâ conscientiâ & quo jure viderint illi, qui hoc faciunt. Sibrandi refutatio, anno post hanc refutationem scriptam tertio, demum ad manus meas pervenit, quę qualis sit, credo jam cordatis cōstare. Fatemur, in Socini libro non quidē meritū Christi ex intimo fundamento destrui. quod enim nullum est, quomodo destrui potest? sed ex intimo fundamento demonstrari, falsò salutem humani generis merito alicui Christi asscribi, & alias causas, ob quas Christus Servator noster sit, evidentissimè

Cur ob obedientiam Christus dicatur exaltatus.
Luc: 17. 11.

sime ostendi. Quod denique vaticinatur Fr: plurimos, non egregiè fundatos in religione, deceptum iri, nisi caveatur, id nos omen libenter accipimus, non quòd deceptum iri quenquam credamus, sed, quòd veram salutis viam hac ratione apertum iri persuasissimum habeamus. Et quantumvis nescio quomodo caveatur, tamen brevi futurum speramus, ut hæc sacrosancta veritas in cathedris & Academiis publicè prædicetur, & tanquam sol meridianus jubare suo & radiis suis omnes circa hanc materiam tenebras & nubeculas sit discussura.

Thesis 127. est: *Sic enim Christus magis pro se passus esset, quàm pro hominibus: Sic non citra magnam absurditatem diceretur noster Servator, si illa vera esset Photinianorum opinio.* Quomodo hoc utrumque consequatur, nec ostendit Fr:, nec ullo modo ostendi potest. Si enim constantissimè affirmatur, Iesum passum esse pro nobis & pro peccatis nostris, quomodo non magis pro hominibus, quàm pro se, imò propriè pro hominibus, & non pro se passus est? & proinde quomodo non verè Servator hominum dicendus est? Non diffitemur nos, nec negari quidem potest, Christum Dei decreto ita ferente, ideo etiam passum fuisse, ut gloriam & potestatem suam divinam, quâ nos servare potest, consequeretur: Sed hæc non fuit principalis causa mortis Christi, sed quodammodo accidentaria, quatenus scilicet Deus prospexit, consultum hoc fore saluti nostræ, si Christus, non absq; morte interveniente, potestatem suam consequeretur, quam tamen absque morte, præsertim tam truculenta, consequi eum potuisse, nemo non intelligit. Christ. pro nobis propriè passus.

Quæ deinde addit in hac thesi Frantzius, ea non est opus recensere. Nam secum ipse & cum umbra sua pugnat, & nobis id affingendo, quod vult, seipsum refutatorem nostri constituit, qualem cupit. Duo tamen ineptè & ridiculè dicuntur. Vnum est, quòd Deus donârit Christo majestatis usurpationem. Quasi scilicet antea Christus majestatem habuerit, quâ usus non sit, vel parum usus, ut suprà locutus erat Frantzius. Cùm ipsam gloriam Christo datam esse testentur f. literæ, quam scilicet antea omnino non habuit. Alterum est, quòd ait, istam usurpationem majestatis gratuitam Christo etiam contigisse in ipsa unione. Nam nec ista unio probata unquam est, nec probari potest; nec etiamsi probata esset, sustineri hoc in loco posset, in quo disertissimè affirmatur, Deum Iesum Christum exaltasse, & donasse ei nomen ab eo demum tempore, quo Christus Deo obediens fuit usque ad mortem.

Thesis 128. est. *At particulæ illæ, ideo, idcirco, quapropter, propterea, &c.*

ea, &c. non semper indicant, illud, quod præcessit, esse causam efficientem vel promerentem consequentis. Id quod vel ex uno exemplo liquet, Joh: 12.39. Propterea non poterant credere, quia dixit Esaias, &c. Ubi certè prædictio prophetica nequaquam potest constitui causa efficiens seu procreans incredulitatis Judæorum. Iterum dico, Frantzium cum umbra sua pugnare. Nusquam enim dicimus, voces illas, *ideo, idcirco*, &c. semper indicare illud, quod præcedit, esse causam efficientem absolutè, vel promerentem consequentis: sed tantùm dicimus, voces tales indicare, illud, quod præcedit, causam esse aliquam consequentis, & in hoc loco Phil: 2. & aliis ei similibus, causam sine qua non (ut scholæ loquuntur) esse consequentis. Nec necesse est, semper hoc fieri, ad efficiendum, quod volumus: sed satis est, sæpe id fieri. Et nihil proficit Frantzius, dum exemplum unum affert, in quo vox *propterea* non indicet causam efficientem consequentis. Si enim constet id, quod nos affirmamus, quod Frantzium etiam tacitè confiteri ex eo apparet, dum ait, quòd non semper significent causam efficientem consequentis, jam res salva est, & apparet, jure dici posse, ideo Jesum a Deo fuisse exaltatum, quia obediens usque ad mortem crucis fuerit, quatenus scilicet sine illa obedientia exaltatus a Deo non fuit, nec exaltari debuit, Dei voluntate sic ferente. Idem etiam dicendum est de loco Hebr: 2. ubi dicitur, Christum propter passionem mortis coronatum fuisse gloria & honore. Nempe non sine interveniente passione mortis Christum coronatum esse. Et frustra Frantzius cum Ostorodo contendit de versione, & sua nobis, de exaltatione carnis Christi, & modo, quo passio Christi ad exaltationem ejus pertineat, mysteria pandit. Jam enim satis superque nobis cognitum est, ea omnia esse ipsissimos errores. Quod verò promittit, ea, quæ ab Ostorodo, præter hæc pauca a se adducta, afferuntur, *sine difficultate etiam a tyronibus solvi posse, modo hæc præmissa diligenter & accuratè teneantur*, hoc est vana spe seipsum & alios lactare. Quod ut quibusdam in more est, ita valdè etiam illis perniciosum. Refutanda erant ista reliqua solidè, quandoquidem in hanc arenam descensum est, & non ita sicco pede transeunda, quod proditionis causæ suæ cujusdam species est.

Voci Ideo, Quapropter usitata significatio.

A thesi 130. usque ad finem, persequitur Frantzius controversiam, quam de persona Christi habere se ait cum Calvinianis & Pontificiis. Ad quæ non est quod respondeamus, præter hoc unum: Dolere nobis ex animo, quòd tantùm possit animi perturbatio, ut, qui vel tantillum in re, quæ fidem in Christum non tollit, ideoque salutem nec adimere aut conferre per se potest, dissident, ita odiis invicem certent, ut alius alium & nomine verorum Christianorum & cælesti

commu-

communione propter hoc ipsum indignum judicet. Deum oramus, ut, qui hactenus viros multos, scientiâ rerum divinarum & pietate instructissimos, ad instaurandum regnum Christi emisit, tandem tales etiam viros catervatim emittat, qui prudentia cælesti præditi, res in Christiana republica ita administrare possint, ut sola charitate omnia transigantur, & omnes, qui ad unum ovile Christi pertinent, congregentur, & unanimiter Deum collaudent. Illud etiam non possumus dissimulare, quàm perperam fiat, quòd Lutherani propterea, quòd rectiùs de Christi persona sentire ipsis videantur Pontificii, quàm Calviniani, Calvinianos cane pejus & angue oderint, & non minùs fraternitatem cum illis fovere detrectent, quàm cum Pontificiis. Cùm tamen iidem Lutherani Pontificiam Ecclesiam pro Antichristi regno & jure quidem habeant. Hæc scilicet est efficacia zeli absque scientia: Hic fructus istius simulatæ concordiæ inter Christianos, ob eandem de rebus quibusdam levibus sententiam, venditare sese pro ecclesia, a qua illi arcentur, qui ipsam religionis Christi animam tenent, & eidem ex animo parere student. Quam DEUS tandem omnibus revelabit, &, quid ex Christi instituto faciendum, brevi docebit.

PRÆFATIUNCULA
IN DISPUTATIONEM W. FRANTZII IV.
De Justificatione.

THESI 63. Frantzius de me conqueritur, *quòd Academiæ Witebergensi ex magna protervia dedicârim Catechesin nostrarum Ecclesiarum.* Hanc accusationem purgare volo apud omnes homines pios & cordatos, quorum judicium hîc appello. Gravis ista vox *proterviæ*, gravior cum additione *magna*. Librum dedicari Academiæ ab aliquo, per se nullum vitium, nullum scelus esse, hactenus persuasum habeo. Ergo aut persona dedicantis, aut qualitas eorum ad quos dedicatio spectat, aut denique dedicati libelli absurditas tanti vitii & criminis causa est. Si personam dedicantis spectes, non est, cur Frantzius ita tumultuetur. Nam quivis vir honestus, & literarum ac inprimis Theologiæ amans, credo comparere potest, non tantùm in facie Academiæ, sed etiam Regum & Principum quorumvis: Imò quid usitatius est, quàm, homines etiam vulgares, scripta sua dedicare

Ratio redditur dedicationis Catechismi nostri Academ. VVitteberg.

Viris magnis? Sed præterea non meo, sed universæ nostræ Ecclesiæ nomine libellum istum Academiæ dedicavi, in qua tot sunt Viri illustres & nobiles, iique variâ rerum divinarum & humanarum scientiâ ita conspicui, ut nihil habeat Fr: quo sese jactet præ illis. qua re exaggeranda, modestiæ causâ, supersedeo. Iam si qualitates eorum, ad quos dedicatio spectat, considerentur, novimus omnes, quantum debeatur observantiæ Academiæ; novimus Academicos & Viros nobilissimos esse & doctissimos: sed tamen, nisi Viros pariter nobilissimos, suique observantissimos spernere videri velint, Wittebergenses Academici, non est quòd tantopere indignentur. Si modò hoc non est Frantzii solius judicium. Restat igitur, ut libellus in causa sit, ut proterviæ magnæ reus censeatur is, qui ipsum dedicare Academiæ Wittebergensi ausus sit. At libellus Theologicus est, Academia Theologorum, & talium, qui palmam sibi inter omnes alios vendicant, plena. Si materia dicatur absurda, horrenda, execranda, verba hæc tantùm sunt, & hac de re adhuc sub judice lis est. Certè omnia, quæ in eo dicta sunt, sola sacræ scripturæ auctoritate nituntur, & si autoritas ejus salva fuerit, salva erunt omnia, quæ ibi dicuntur. Cur igitur, tam audaci pronunciato pungere me voluit Frantzius? In promtu fortassis causa est, φιλαυτία, magna scientiæ opinio, quæ nec superiorem nec parem ferre potest. Magistrum se credit esse Frantzius universi orbis Christiani: itaque ferre non potest, ut ab aliquo moneatur aut doceatur. Ex nulla verò protervia, sed benè præmeditato consilio tum nostrorum in Polonia cætuum, tum etiam virorum quorundam prudentium, in Germania degentium, qui idem nobiscum sentiunt, dedicatio illa Catechesios profecta est. Quod si fortasse apud Fr: parum valet, speramus apud alios, quorum causâ hæc scribimus, aliquid valiturum. Interim Frantzio mitiorem de nobis sensum, & omnibus, quàm rectissimam de justificatione nostri coram Deo mentem & sententiam, optamus.

REFUTATIO THESIUM D. WOLFGANGI FRANTZII, De Iustificatione.

Quæ est Disputatio ipsius quarta.

THESI 2. talem titulum præfecit: *Quòd eodem pacto justificati fuerint veteres ab initio mundi usque ad Christum, quo justificantur Christiani à Christo nato ad ultimum usque diem.* Hæc

verba sobriam requirunt interpretationem: alioquin falsissima in illis continetur sententia. Certum est, omnes ab initio mundi homines justificatos fuisse fide, quemadmodum etiam hodie omnes eâdem justificantur & justificabuntur, & sic eodem pacto omnes justificantur: Sed rursus, si alia quædam, ad hanc fidem pertinentia, & qualitates ejus, respicias, planè diverso modo justificati fuerunt illi, qui ante Christum vixerunt, ab eo, quo Christiani justificantur. Nam primùm justificatio per fidem nunquam fuit hominibus proposita ante Christum, vel fæderi inclusa; nec unquam promissum fuit hominem fide justificatum iri: Sed nudè tantùm hominibus præcepta, pro ratione temporis, diversa a Deo tradita fuere, quibus obedirent, nulla etiam promissione aperta primitus addita justificationis alicujus. Hinc Paulus ait: Iustitiam ex fide *revelatam esse* in Evangelio: & alibi ait: fidem *venisse* nempe sub Evangelio. Nec quicquam his obstat, quòd ex Habacuc propheta afferuntur illa verba a Paulo, *Iustus ex fide vivet.* Nam quæ propheta dixerat, ea non poterant haberi pro regula omnibus sequenda, cùm, omnibus illud notum fuisse, non constet. Fædera autem tantùm ad omnes pertinent, & cum omnibus pacta sunt; nec quid Deus in universum facturum se promisisset, propheta anunciavit, sed quid Deus facturus esset ex mera gratia, spiritu Prophetico prævidit. Deinde etiamsi fide homines olim etiam justificati fuerint, quemadmodum testatur autor Epistolæ ad Hebr: cap: 11.: tamen ista fides, in rebus magni momenti, nihil commune habet, cum ea, quâ nunc homines sub N. F. justificantur. Primùm enim fides illa Deum solum respiciebat: At nunc requiritur fides in Deum & Christum, sive, quod idem reipsa est, fides in Deum per Christum, de qua altum in V. T. silentium. Credebant quidem fortassis aliqui, Christum venturum: sed præterquam quòd hoc a nemine requirebatur necessariò, longè illa diversa sunt: Credere aliquem venturum, & credere in aliquem. adeo ut in eum, qui nondum est, nullo modo propriè loquendo, credi possit: eundem verò aliquando præsentem futurum, verè credi possit. Deinde Fides illa observatione præceptorum, quæ vel ante legem vel sub lege proponebantur contenta erat: At fides, quæ est sub N. F., præter ea, quæ olim a fidelibus requirebantur, requirit etiam observationem eorum, quæ partim ad legem sunt addita, de quo Matth: 5. 6, 7. & alibi, partim tanquam nova prorsus a Christo præcepta, qualia sunt: Abnegatio suiipsius, Portatio crucis suæ, & imitatio Christi, quorum nullum ne vestigium in lege extat, de quo postea.

Iustificatio quatenus eadē, & quatenꝰ diversa.

v. [illegible] p. 361.

Rom. 1. 17. Gal. 3. 23. Hab. 2. 4.

... 368.

De testimonio Habacuc.

v. [illegible] p. 377.

Quod verò in ipsa thesi ait Frantzius, *nos existimare in veteri*

Instrumento tantummodo legem viguisse, & in Christi nativitate tandem cæpisse Evangelium, Si loco vocum *nativitatis Christi* tempus, quo munus ipsius cæpit, reponas, nos id cõstantissimè affirmamus, &, infinitis ferè rationibus probari posse, certo certiùs persuasum habemus: Imò miramur, homines in tanta Evangelii luce tam graviter caligare & cæcutire, ut diversum sentire pergant. Quid enim notius, gratiam pro gratia nobis datam esse, ita ut lex per Mosen data sit, Gratia verò & veritas per Iesum Christum facta? Si gratia & veritas per Christum facta est, Christus verò, antequam nasceretur, reipsa non fuit, quomodo Gratia & Veritas, quæ est ipsum Evangelium, antea esse potuit? Necesse est autem, hoc in loco bene observare, quid per vocem *Evangelii* intelligamus, quanquam neminem esse credo, qui hoc non intelligat. Evangelium igitur, est istud bonum nuncium salutis æternæ & immortalitatis. Hoc quia sub lege vel in lege nemini fuit revelatum, quomodo Evangelium propriè tunc extitisse jure dici potest? Sed Frantzius diversum planè probandum suscipit, quem audiamus.

Evangeliũ a Christo cœpit. Ioh: 1.16,17.

Thesi igitur 3. ait. *Evangelium enim mox in Paradiso constitutionis suæ primordia sumsit, ex ipsa promissione de semine contrituro caput serpentis, ita ut Moses & prophetæ omnes postea in scripturis suis non tantùm παραινέσεις Ethicas plurimas subinde urserint, sed etiam vel præcipuè super idem Evangelium primarium egregias explanationes retulerint, quas post suum in carnem adventum, seu post suam patefactionem, & post suam resurrectionem discipulis enuclearit Christus apud Lucam cap:* 24. 44. 46. Evangelium mox in paradiso constitutionis suæ primordia sumsisse, verba sunt Frantzii nulla sacrarum literarum autoritate, nulla ratione confirmata. Si dicat verba illa: *semen mulieris conteret caput serpentis*, posse ad Christum & ad victoriam, quam de Satana reportavit, intelligi, quod solum est, quod ab omnibus urgetur, & quod ex his verbis elici potest, respondeo, nihil id ad propositum facere. Non enim quæritur, quid nunc, posteaquam Christus revelatus est, & ea peracta, quæ ad salutem nostram pertinent, possit de verbis aliquibus per quandam allusionem dici, sed quo sensu verba illa tunc, cum prolata sunt, prolata fuerint investigandum est. Multa enim dicta extant in sacris literis, de rebus aliis prolata, quæ postea sub novo Fædere ad Christum, & ad ea, quæ ad Fædus novum pertinent, referri possunt. Habere autem illa pro vaticiniis & promissis, eorum est, qui non habent, unde apertè suas probent opiniones. Et certè, si Evangelii primordia cæpissent in paradiso, vix credibile videtur, fieri potuisse, ut aliquis sacrorum scriptorum novi

Sensus verborum. Gen 3. 15.

Fæderis

Fœderis semel saltem illud vaticinium non allegasset, quod tamen nusquam factum esse, ipsa luce clarius est. Quid sit, *Mosen & Prophetas omnes in scripturis suis παραινέσεις Ethicas plurimas subinde ursisse*, equidem non intelligo, & quomodo ad rem pertineat, non percipio. *Eundem* porrò *Mosen & Prophetas omnes vel præcipuè super idem Evangelium primarium egregias explanationes retulisse*, nonne fabula est in cerebro Frantzii orta? Ostendisset enim aliquid tale in universo codice Frantzius proculdubio, si quid extaret. *Has* denique *explanationes, Christum post suum in carnem adventum, seu post suam patefactionem & post suam resurrectionem, discipulis enucleasse apud Lucam*, ipsissimæ sunt nugæ. Nugæ sunt, Christi in carnem adventus. Quomodo enim is in carnem venire potuit, qui antea, quàm caro esset, nullus fuit? Quomodo verò Christus enucleavit istas explicationes Mosis & prophetarum, cùm nullæ explicationes Mosis & prophetarum, super illud primarium Evangelium Frantzii, in sacro codice extent? Non explicationes Mosis & prophetarum Christus enucleavit, sed locorum de se testantium in Mose & prophetis, utpote obscurorum, attulit explicationem: & tamen Frantzius ista omnia ita affirmat, ac si in vado res esset.

Thesis 4. talis est: *Similiter lex moralis cæpit in ipsa creatione primi hominis Adami, non demum in monte Sinai, sed in Sinai tantùm repetitur, siquidem homo conditus ad imaginem Dei, fuit in omni justitia & sanctitate, hoc est, in tali statu, in quo perfectè secundùm legem moralem Deo obedire, & proximum incontaminatè diligere poterat. Ephes. 4.24.* Primùm hoc simile falsum est. Deinde etiamsi verissimum esset, nihil ad rem faceret. Falsum est primò, quia Apostolus apertè affirmat, concupiscentiam se non cognovisse, peccatum esse, nisi lex dixisset, non concupisces. Deinde, quia etiamsi homini innatum sit discrimen pravi & recti: tamen illud longè diversum est ab ea lege, quam Deus in monte Sinai tradidit. Multò enim plura lex Mosis docet, quàm lex naturæ, eaque talia, quæ nullo modo ii, qui solam naturam ducem sequuntur, assequi per se possunt. Qualis est inter alia non pauca, unum Deum colere. Quicquid igitur homines de Dei voluntate, quæ in lege comprehensa est, ante legem cognitam habuerunt, id partim quidem ex lege naturæ, partim verò, idque potissimum ex revelatione divina, quâ nunquam homines a creatione caruerunt, cognitum habuerunt. Sed esto, legem moralem cæpisse in ipsa creatione. Num sequitur, Evangelium etiam cæpisse in ipso paradiso? Quæ ratio consequentiæ? Cùm, ex mente Frantzii, illud naturaliter homini inditum fuerit, hoc verò a voluntate Dei liberrima pendeat; illud aliter fieri

Lex quando cæpit.

Lex Mosis præstat cognitioni Dei ante legem.

Differunt Lex & Evangelium.

non

non potuerit, hoc verò contingenter (ex mente Frantzii) factum sit. Sentit enim, si Adamus non peccasset, non opus fuisse illa promissione seminis contrituri caput serpentis. Quæ de imagine hominis scribit, merum & vanissimum commentum esse, suprà in responsione ad disputationem secundam docuimus apertissimè, & quomodo huc nihil nec per somnium faciat locus ad Ephesios, ad oculum, nî fallor, ostendimus.

Thesis 5. est. *Ergo quia Evangelium unum & idem semper fuit ab initio seu a lapsu usque, tum utique etiam sequitur, eo ipso modo nos justificari, quo justificati fuerunt veteres, & non aliter justificatos fuiße veteres, quàm quo pacto nos justificamur.* Quales præmissæ, talis conclusio, hoc est, omnia incerta & falsa. Sed præterea quæ ratio consequentiæ? Unum & idem Evangelium semper fuit ab initio, ergo omnes eodem modo justificamur. Nonnè enim alius modus justificationis sub primordiis, alius sub perfectione Evangelii proponi potérat? Quemadmodum videmus, post factam promissionem de Messia, in lege alium tamen justificationis modum ostensum fuisse a primordiis promissionis, quàm ille est, qui post exhibitam promissionem ostensus est. Nam lege durante, cùm jam Christus esset promissus, modus justificationis propositus fuit per opera, cui postea successit modus justificationis per fidem, ut ex Epistolis ad Rom: & Gal: videre est.

Diversi modi justificationis diversis temporibus propositi.

Thesis 6. est: *Sic enim Apostoli, in synodo decidunt Act: 15. 11. Et Apostolus Gentilium clarissimè suffragatur ad Rom: 3. 21. ubi de justitia Dei per Christum Iesum dicit, eam comprobatam esse testimonio legis & prophetarum.* Verba act: 15. sunt: *per gratiam Domini Iesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi.* Sed jam docuimus in libris nostris publicè editis, & qui in manu Frantzii sunt, verba, *quemadmodum & illi*, non ad patres proximè nominatos, sed ad gentes referri. De his enim sermonem instituerat Petrus, & de his dixerat v: 8. *Qui novit corda Deus testimonium perhibuit illis*, scilicet gentilibus, *dato illis* (gentibus) *Spiritu sancto, sicut & nobis*, scilicet Iudæis, *& nihil discrevit inter nos & illos*, scilicet gentes, *fide purificans corda eorum*, scilicet gentium. Quos Gentes v: 10. discipulos appellat. Nec quicquam refert, quòd in Græco, *quemadmodum & illi*, sit genus masculinum, vox verò gentium neutrius generis. Solet enim hæc vox Gentium in sacris literis cum pronominibus diversi generis jungi, ut Matth: 28. 19. Et præterea possunt illa verba, *ut & illi* referri ad vocem *discipulorum*, quæ ejusdem est, cum pronomine *illi*, generis. Verba verò Pauli Rom: 3. *Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est, testimonio con-*

De loco Act. 15.

nio confirmatæ a lege & prophetis, quid Fr: juvare possunt? Primùm omisit Frantzius illa, *justitia Dei sine lege manifestata est*, quæ apertè indicant, in lege illam justificationem non fuisse propositam aut promissam. Quomodo enim *sine lege* esset manifestata, si lex eam proposuisset aut promisisset? Quod verò testificationem habuerit illa justitia a lege & prophetis, id ita intelligendum est, ut verum maneat, eam absque lege fuisse manifestatam, nempe indicia quædam extitisse istius justitiæ Dei, quæ est per fidem, in lege & prophetis, eiusque non tanquam præsentis, sed tanquam futuræ tantùm. Nam & de eo testimonium aliquis perhibet, quod tanquam rem futuram prænunciat. Hinc lex umbra appellatur bonorum futurorum, quorum imaginem Evangelium exhibet. Præterea aliud est dicere, in lege & prophetis aliquid indicari, & ita de eo testimoniũ perhiberi: & aliud est illud promitti. De multis testatur lex & prophetæ, quæ tamen nemini promittit. Porrò idemné sunt lex & prophetæ cum omnibus seculis, quæ ab initio mundi fuerunt, ut hinc concludere liceat, quod concludendum est Frantzio, nempe ab initio mũdi omnes fuisse justificatos eodem modo, quo nunc nos justificamur? Imò hinc colligere licet, ante latam legem & prophetas, qui scilicet post legem extiterunt, nullam fuisse non tantùm promissionem, sed nec testificationem apertam istius rei, non tantùm ut præsentis, sed nec etiam ut futuræ.

Quomodo lex testetur de justitia Evangelii.

Heb: 10. 1.

Thesis 7. est. *Sic Evangelii dati Abrahamo expressè meminit Apostolus, Galat: 3. 8. his verbis: Prævidens autem scriptura, quòd ex fide justificet gentes Deus, ante evangelizavit Abrahamo: Benedicentur in te omnes gentes.* At hoc est in verbis ludere. Vox enim εὐαγγελίζειν interdum significat simplicem qualiscunq; rei lætæ annunciationem: interdum κατ' ἐξοχὴν singularem gratiæ Evangelicę prædicationem. In loco citato sumitur in priori significatione, ut etiam alibi: ob quam causam etiam interpretes plærique per vocem *prænunciavit*, vocem illam προευαγγελίζειν converterunt. Quamvis enim non negetur, in illis verbis, quæ tunc Abrahamo dicta fuerunt, contineri promissionem de Messia: tamen firmiter statuendum est, illud nobis non aliunde constare, quàm quòd Apostolus hoc nobis ita explicârit, æternùm alioqui ea in re caligaturis. Nec ullo modo probari potest, Abrahamum ipsum hoc ita intellexisse, ut nos hodie illud intelligimus: sed planè credibile est, cum ista verba de se & suo semine carnali intellexisse, in quo & per quod Deus esset universum populum suum beaturus.

Vsus vocis Evangelisandi. Act: 10. 36. & 11. 20. & 13. 32.

Sensus promissionis factæ Abrahamo.

Thesis 8. est: *Etsi autem unicam tantùm differentiam præbet temporis circumstantia, quòd veteres per Mediatorem venturum, nos per exhibitum justificamur & salvamur, tamen Christus Iesus heri & hodie & idem est in secula.* Hebr:13.8. (textus habet, *heri & hodie, idem (est) & in secula*). Oracula Frantzii nos audire oportet, qui tamen nihil absque probationibus se dicturum liberalissimè promiserat. Quæ verò scriptura affirmat, Veteres per mediatorem venturum justificatos fuisse? Certè non debuit Frantzius ista in publicum proferre, quæ probare nunquam poterit. Credimus nos, Iesum Christum, qui nos servabit, eundem etiam servaturum omnes, qui ab initio mundi fideles Deo fuerunt. Dedit enim ei Deus potestatem omnis carnis, & is judex est constitutus vivorum & mortuorum: sed hoc longè estaliud ab eo, quod sentit Frantzius, quasi scilicet veteres crediderint in Iesum venturum, & ea fide justificati fuerint, quod inter crassos errores recenseri jure debet. Verba Hebr: 13. primùm non de Christi persona, quod propositum Frantzii requirit, Sed per Metonymiam causæ, de Christi doctrina intelligi possunt & debent. opponuntur enim ibi falsis doctrinis, dum dicitur, *Iesus Christus heri & hodie idem (est) & in secula. Doctrinis variis & perigrinis ne circumferimini.* Deinde etiamsi de persona Christi intelligi possent, nihil ad rem facerent. Aliud enim est heri & hodie esse, aliud per eundem Christum, per quem nos justificamur, veteres fuisse justificatos. Verbum enim *heri*, tempus, respectu ejus, de quo prædicatur, præteritum quidem significat, sed non valdè remotum, ut sensus sit: Christi doctrina, quæ non ita pridem cæpit, eadem est nunc & eadem futura est semper. Itaque aliis doctrinis non circumferimini. Exemplũ vide Exod:4.10.

Quomodo Christus omnes servaturus sit. Ioh:17.2. Act:10.42. Quid sit Heri & hodie.

Thesis 9. est. *Quapropter in expositione hujus articuli, semper utriusque Testamenti (potiùs cum Augustino instrumenti vocandi) testimonia de Iustificatione conjungemus; ut vel hinc clariùs pateat, nequaquam nos credere in Deum, quem non noverint patres nostri* Deut:13.6. Primùm an testimonia semper conjungi possint, postea videbimus. Etiamsi verò conjungantur, quid hinc efficiet Fr:, cùm ea in V. T. possint tantùm haberi pro rei futuræ promissione & quadam adumbratione, & ita nihil commune habeant cum illis, quæ in N.F. continentur? Non sequitur autem, quo nos tacitè quidem perstringit Fr:, sed admodum insulsè, si statuatur diversus, suo modo, Iustificationis modus sub novo Fædere, ab eo qui erat sub veteri, nos credere in Deum, quem non noverunt patres nostri. Non facit enim diversæ voluntatis divinæ revelatio Deum alium. Cùm Deus possit, pro sapientia sua infinita, modò hac, modò illa ratione homines servare. Sed

præterea

præterea quid locus Deut:13 ad nos Christianos pertinet? Quasi scilicet veteres illi, patres nostri fuerint, cùm tamen nimis certum sit, ea verba de solis Iudæis accipienda esse. Neque illud denuo reticebo, parum esse, conjungi testimonia utriusque Testamenti, nisi etiam talia addantur, quæ ad omnia retrò secula usque ad conditionem mundi respiciant. Sub voce enim *veteri*, omnes, ab Adamo usque, homines Frantzius ut intelligat, necesse est.

Thesis 10. est. *Iustificari hominem peccatorem coram Deo, significat secundùm phrasin forensem vel judicialem, coram judicio Dei propter meritum mediatoris vera fide apprehensum absolvi a peccato & damnatione, pronunciari justum, & acceptari ad vitam æternam.* Ejice ex hac thesi, verba illa sacris literis ignota, *propter meritum mediatoris vera fide apprehensum*, & suppone hæc: ipsius mera benignitate, sub novo Fœdere, per fidem in Christum, vel Christi, & vera erit. Nam ad nostram justificationem aliud nihil requiritur, præter hæc duo. 1. Dei miseratio & clementia. 2. nostra in Deum per Christum fides. Hinc toties gratiæ Dei & fidei nostræ justificatio attribuitur, & hæc duo ita conjunguntur, ut, alterum sine altero effectum illum non producturum, unicuique constare possit. Causa principalis justificationis est Dei gratia: causa adjuvans, sine qua Deus neminem justificare constituit, est fides in Christum vel Christi, ut disertè Paulus ait. Ad justificatione nostram quid requiratur. Rom: 3. 22, 24.

Thesis 11. est. *Causa efficiens summa justificationis hominum veteris atque novi Instrumenti est Deus, hoc est, tota SS. Trinitas, Gen:15.6. Credidit (Abraham) Deo, & imputatum est ei (à Deo utique cui credidit) ad justitiam, Rom:3.30.: Siquidem unus est Deus, qui justificat circumcisionem ex fide & præputium per fidem.* Risum & dolorem simul excitavit Frautzius ista sua magistrali explicatione vocis *Deus*, hoc est, tota SS. Trinitas. Sed faciat, quod sibi libet, donec Deus istam monstrosam de essentia sua opinionem, hominibus clariùs & ampliùs detegat. Hîc illud meminisse debebat, quod paullò antè dixerat, se non credere in Deum, quem non noverint patres sui. Certè enim talem Deum, SS. Trinitatem, nunquam noverunt patres illi Iudæorum: & hodie idololatras eos Iudæi appellant, qui talem Deum confinxerunt. Quod certè non facerent, si patres ipsorum talem Deum novissent. Causa efficiens principalis justificationis nostræ est Deus ille unus, pater Domini nostri Iesu Christi, & præter eum nemo alius, ut disertissimè sacræ literæ non uno in loco comprobant. Deinde ad hæc, quæ hîc & in sequentibus affirmat Frantzius, benè intelligenda, notandum est id, quod ad titulum thesis 2. annotavimus. Nempe secundùm quid tantùm id verum esse, non autem simpliciter. (nam durante lege, per o- Quis sit causa efficiens summa justificationis.

pera justificatio proponebatur,) nec in iis rebus, quas Fr: credit, convenire justificationem utriusque Faderis, potissimùm verò in eo, quòd affirmat, omnes ab initio mundi per fidem in Christum fuisse justificatos.

Thesis 12. est. *Inde Effectus, seu Justificatio hominis dicitur justitia Dei, sed in significatione non activâ, qua Deus est justus, & injustos punit, sed passivâ, quâ ex misericordia nos justos facit*, &c. Justificatio nostri non qualiscunque, sed quæ est per fidem, justitia Dei appellatur, quia Deus in ea, justitiâ suâ, hoc est, æquitate & rectitudine, quæ naturale Dei est attributum, utatur quàm apertissimè. Quâ Deus non ita manifestè utebatur, dum lex durabat. In lege enim requirebat Deus perfectam & perpetuam præceptorum suorũ observationem, quod erat jus suum persequi, quanquam in hoc etiam nulla inerat injustitia.

Justificatio cur justitia Dei appellata.

Thesis 13. est. *Causa instrumentalis Justificationis, respectu Dei conferentis justitiam intrinseca est, quòd justificamur per semen mulieris &c. per redemptionem seu ἀπολύτρωσιν factam per Iesum Christum.* Sed hoc tantùm verum est de novo Fædere. Nam de veteri non habet, quo probet suam opinionem Frantzius, præter illud: *semen mulieris conteret caput serpentis*, quod quanti sit valoris, jam antèvidimus. Loca, quæ adducit Frantzius, quibus probat Iesum esse causam instrumentalem justificationis nostræ sub N. F., non est quod examinemus: imò vix opus erat ea adducere, quasi scilicet sit aliquis, qui diversum sentiat inter Christianos.

Thesi 14. ait. *Sed quòd Deus justificârit Abrahamum per mediatorem, patet ex collatione textuum sacrorum, Gen: 12. 3. & 15. 6. Rom: 4. 2. ubi credenti de semine ipsius multiplicando, simul etiam de benedicendis in eo utique per Christum, omnibus gentibus terræ, (quia utriusque loci eadem fuit sententia, integrè in explicationibus computanda), imputata justitia à Deo fuiße scribitur, & justificatus dicitur, hoc pacto & non ex operibus.* Loci inter se collati aliud nihil ostendunt, quàm Abrahamum fide sua justificatum fuisse: Sed quod per mediatorem, eumque Iesum Christum, justificatus sit, de hoc altum silentium. Fides enim Abrahami, cujus causâ fuit justificatus, considerari potest absq; Christo & mediatore. Aliam igitur inveniat probationem Frantzius ejus, quòd Abrahamus per mediatorem, eumque Iesum Christum, justificatus sit.

Thesis 15. est. *Et quia inde Rom: 4. 11. Abraham dicitur pater omnium credentium tam gentilium (in præputio) quàm Iudæorum (circumcisorum) vel hinc satis iterum apparet, sub V. T. neminem unquam ex operibus suis fuiße justificatum, sed omnes in mediatore fide præviso & apprehenso*

apprehenso per Deum justificatos fuiße gratis. Neminem ex operibus justificatum fuisse jure colligi potest ex eo, quòd Abrahamus pater omnium credentium appelletur: At non hoc in quæstione est, nec quisquam est, qui hoc neget: sed quæritur, an per fidem in Christum Abraham justificatus fuerit, quâ sola nos hodie justificamur. Præterea non constabat tunc temporis, omnes per fidem justificandos esse, ut nunc constat. Erat enim in lege, quæ aliquot post Abrahamum natum seculis data fuit, propositus modus justificationis per opera, quem omnes tenebantur observare. At justificatio in Abrahami erat aliquid singulare, quod tunc nemo sibi arrogare poterat. Nam non exemplis sed legibus vivendum est. Omnes verò in mediatore fide præviso & apprehenso, *per Deum* (ut Fr: loquitur) justificatos fuisse gratis, id nullo modo ex eo colligi potest, quòd Abraham pater est omnium credentium. Nam nec Abrahamum ipsum per Mediatorem justificatum fuisse constat, qui pater fuit omnium credentium. Mediatorem autem fuisse fide prævisum & apprehensum, phrases sunt exoticæ & sacris literis ignotæ. Quanquam etiam *per Deum* in mediatore aliquem *justificari*, ut ait Frantzius, planè ineptè dictum censeri debet.

Thesi 16. ait. *Inde effectus dicitur justificatio per Christum Gal: 2. 17.* Sed ad Gal: 2. de justificatione tantùm, quæ sub novum fœdus cadit, sermo est, Quid igitur ad rem Frantzii pertinet?

Thesi 17. ait: *Causa instrumentalis respectu Dei conferentis justitiam, extrinseca sunt verbum Evangelii & Sacramenta Rom: 1. 16. 17.* Sed loc⁹ hic nihil de sacramētis Fr. habet. Cur igitur tam audax est Fr: ut aliquid, quod non probet, affirmet? Crediditné neminem examinaturum has ipsius assertiones? Si dicat, se thesi 18. id præstitisse, in qua locum Tit: 3. 6, 7. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis* (vel potiùs renovationem) *Spiritus S. quem effudit in nos abundè per Iesum Christum*, interrogabo iterum: Quid hoc ad *Sacramenta?* Nam lavacrum regenerationis tantùm unum sacramentum Frantzii (idque ex ipsius tantùm mente) indicat. Vnde porrò constat Frantzio, per lavacrum regenerationis, sacramentum Baptismi intelligi? Est igitur aquæ baptismus, regeneratio: & omnes baptisati sunt regenerati & servabuntur? ô inveteratam in pronunciando quidvis licentiam! Quanto verò rectiùs per lavacrum regenerationis ipsa regeneratio intelligitur, cujus explicatio est, renovatio Spiritus S., quæ rursus nihil aliud est, quàm mentis & actionum nostrarum talis illustratio & reformatio, ut nihil aliud, quàm id, quod

Quid sit lavacrum regenerationis.

Christus præcepit, cogitare & facere velimus, & cogitemus etiam atque faciamus.

Thesi 19. ait: *Quòd autem eadem media scilicet verbum Evangelii in V. T. viguerint, vel unum illud Rom:3.21.22. testatur, ubi iustitiam Dei per Iesum Christum dicit Apostolus comprobatam esse testimonio legis & Prophetarum.* At primùm aliud est justitia Dei, nempe per fidem, quàm Evangelium. Nam datur justitia Dei per fidem, etiam extra Evangelium, ut exemplum Abrahami & locus ex Habacuc ostendunt. Deinde Apostolus apertè dicit, ut suprà indicavimus, iustitiam illam de qua loquitur, *sine lege*, tunc esse *manifestatam*. Si *manifestata* est tunc, ergo antea non fuit manifestata. Si *sine lege*, ergo non erat in lege inclusa. Quomodo verò testimonio legis & prophetarum confirmata fuerit, paullo antè indicatum fuit; ubi etiam ostensum est, quod hîc repeto, nihil hoc ad rem facere. Probandum enim erat, ab initio mundi, fuisse testimonio comprobatum illud Evangelium Frantzii, seu istam justitiam Dei per fidem.

Iustitia Dei per fidem differt ab Evangelio.

Thesi 20. ait. *De sacramentis (sed servatâ differentiâ necessariâ, de qua suo loco) minor est obscuritas, quia scriptura vetus sub sacramentis etiam Christum docuit, ut sub agno paschali, item quando veteres ex spirituali sequente petra Christo bibisse dicit* 1. *Cor:* 10. 4. Ergo fatetur Frantzius, obscuritatem esse de verbo Evangelii, quòd in V. T. viguerit, siquidem minor est de sacramentis. Cur igitur alibi dicit, datum fuisse Evangelium Adamo, Abrahamo & aliis? Sacramenta verò, quis virorum sanctorum unquam appellavit ea, quæ sub V. T. fiebant, divina opera? Sed hoc levius est. Docendum erat, sacramenta esse causam instrumentalem extrinsecam justificationis: affertur autem pro ratione, quia scriptura vetus sub sacramentis Christum docuit. Ergo, quia docuit Christum vetus scriptura sub sacramentis, sacramenta sunt causa instrumentalis justificationis. Nonnè hæ sunt scopæ dissolutæ, quas ita digito ostendere, satis est, eas refellere? De eo quòd sub agno paschali & sub petra spirituali, Scriptura vetus Christum docuerit, non est quod hîc dicatur amplius, cùm id nihil planè ad rem faciat.

Thesis 21. est: *Causa instrumentalis respectu hominis accipientis justitiam, est fides seu fiducia in Christum pro nobis passum & resuscitatum, quæ fides per spiritum sanctum ex verbo & sacramentis exoritur Rom:* 10, 17. *Fides ex auditu est, auditus verò per verbum. Et ibidem: Corde creditur ad justitiam v:*10. *Similia sunt Rom:*3.22. *Gal:*2.16. *Phil:* 3. *Inde dicitur justitia fidei Rom:* 4. 9. De eo, quòd homo justitiam accipiat, nihil legitur in sacris literis, & si id explicetur ex mente adversariorum,

riorum, ridicula erit fabula. Fides verò non est, accuratè loquendo, causa instrumentalis, sed causa quædam efficiens, non quidem principalis, sed sine qua non, justificationis nostræ. Hinc enim dicitur, nos fide justificari. Fides verò illa sub N. F., non est, quod somniat Frantzius, applicatio meriti Christi, sed fiducia in Deo per Christum collocata, cujus natura est, sub spe vitæ æternæ a Christo propositæ eidem obedire. Fidem porrò ex auditu verbi exoriri, ut egregiè probavit Fr:, cur ex sacramentis etiam exoriri, non demonstravit? Quia illud scilicet verissimum est, hoc autem prorsus erroneum.

Fides qualis causa justificationis Rom: 3. 18. Quid Fides sit sub N. F.

Thesis 22. est: *Ac ut iterum V. T. eandem cum nostra justificationem fuisse constet, etiam Gen: 15. 6. Rom: 4. 3. Credidit Abraham, quin ut altiùs surgamus, etiam Noah factus est hæres justitiæ fidei Hebr: 11. 1. ejus nimirum quæ describitur Rom: 3. 21. 22. Imò & Abel ibidem, & per optimam in victamque consequentiam Adam, quia in toto 11. cap: ad Hebr: eadem est fides, quam sancti alii atque alii, aliis atque aliis operibus ibidem declarârunt?* Iam ad hoc totum suprà bis responsum est, & ostensum, duplicem hîc latere errorem. Alter est, quòd nunc quidem sciamus, Abrahamum & alios omnes, quorum autor Epistolæ ad Hebræos meminit, fide justificatos esse: at tunc cùm plærique illi in vivis essent, istum modum justificationis per fidem propositum cuiquam fuisse, nemo probare potest. Alius enim modus, nempe per opera, in lege propositus erat. Hunc autem, non alium, quem Deus in mente sua reservabat, homines tenebantur sequi. Alter est, quòd longè diversa fuerit fides illa, quâ olim fideles justificabantur, ab ea, quâ nos hodie justificamur sub Evangelio. Hodie enim salus nulla est absque fide in Christum, cui fidei tunc nullius locus erat aut esse poterat, & quæ tunc a nemine requirebatur. Vide supra in responsione ad thesis 2. titulum. Illam opinionem in victamque consequentiam, quòd etiam Adam fide justificatus fuerit, quia nudè tantùm asseritur, donamus Frantzio: Quia verò autor epistolæ illius, Adami non meminit, nec alibi etiam, in universa sacra scriptura, iustitiæ vel fidei illius mentio extat, præstat acquiescere in illis, quos autor ille commemorat.

Iustitia per fidem ante N. T. non fuit proposita

Fides V. F. differt a fide Christi.

Thesis 23. est: *Causa formalis justificationis est, quòd ex misericordia & gratia in verbo & sacramentis Deus propter Christum verè credentibus remittit seu non imputat peccata & aufert æternam damnationem, donatque & imputat innocentiam & justitiam Christi, quâ satis fecit legi. Gen: 15. 6. Esa: 53. 6. Ioh: 3. 16. Eph: 2. 8. 2. Cor: 5. 21. Rom: 4. 23. 24. 25. Eph: 1. 7.* Errores hîc plures uno sunt. Vnus est, quòd sacramenta sua semper Frantzius cum verbo Dei consuit, & tantùm non

perido-

per idololatriam id eis tribuit, quod nulli ritui externo tribui potest aut debet. Quod eo intolerabilius est, quòd nullum testimonium afferat, quo id probatum faciat: & quòd, si per quid aliud, per hoc homines ab omni pietatis studio avocari possint, si audiant ad sacraméta alligatam esse justificationem. Partim enim habent illa sacramenta Lutherani ab infantia, se insciis: partim quandocunque volunt, frui illis possunt, absque ullo labore & molestia. Quis verò non mallet sacramentis uti, quàm piè vivere, si tantundem valeret usus sacracramentorum ad justificationem, quàm pia vita? Alter error est, quòd ait, Deum propter Christum peccata hominibus remittere. Hoc enim nusquam scriptum est. Per Christum vel in Christo Deum nobis remittere peccata legimus, quia scilicet is tantum bonum nobis primus revelaverit, & (ut alia omittam) illud idem tandem nobis daturus sit. Voluit fortasse hac locutione, *propter Christum*, Frantzius meritum istud Christi fictitium asserere: Sed illud frustra est. Iam enim veritas divina mentibus hominum affulsit. Tertius est, Deum imputare credentibus innocentiam & justitiam Christi. Exponat locum vel unum Frantzius, ubi hoc scriptum sit, & vicerit. Non innocentiam, non justitiam Christi Deus imputat credentibus: Sed fidem illorum imputat illis pro justitia, ut scriptura loquitur. hoc est, etiamsi fides credentium non mereatur vitam æternam, tamen Deus ita in ea acquiescit, ac si vitam æternam mereatur. Quemadmodum etiam Abrahamo imputata est non justitia aliena, sed fides *ejus* ad justitiam, ut clarè Apostolus loquitur Rom: 4. 3. 9. Loca a Fr: allegata nihil eorum, quæ in thesi pronunciare ausus est, continent aut probant. In nullo enim omnium habentur hæc tria, quòd Deus in verbo & sacramentis; quod propter Christum remittat peccata; quòd denique imputet alicui innocentiam seu justitiam Christi: Sed vel tantùm dicitur, Deum ex gratia homines servare, vel imputare aliquid ad iusticiam, vel velle, ut omnis credens servetur, vel ut nos (credentes) efficiamur justitia Dei in Christo, vel nobis imputari aliquid, vel nos habere redemtionem in sanguine Christi, remissionem peccatorum. Quæ omnia ita sunt plana, ut non opus sit illa probare. Probet, si velit, aliâ operâ Fr: ista tria, quæ annotavimus, & rectè segeret. Quartus error est. Quod Christus legi satis fecerit. Quem digito tantùm indicasse sat est. deinceps enim absurditas istius erroris demonstrabitur.

Iustificatio ad Sacramenta non est alligata.

Deus per non propter Christum peccata remittit.

Quid Deus homini imputet.

Quæ de fine justificationis disserit thesi 24. & 25. ea, licet talia sint, ut in eis errari nequeat ab eo, qui vel summis labris Christianam religionem degustavit: tamen nihil sine errore dicere potuit Frantzius. Nam

us. Nam in exponenda prima causa gloriæ Dei, addit hæc verba, *ut simul justitia zelusque adversus peccata toti mundo innotescat*, & ad ea fortassis comprobanda affert locum Psal: 51.6. Rom: 3.4. *Ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm judicaris.* tacitè scilicet primùm id sumens, quod, in controversia versari, non ignorat, Dei justitiam esse aliquam, quæ cogat eum peccata punire, quod tamen & absurdum censeri debet, & certè nullo sacrarum literarum testimonio comprobari potest. Deinde etiam affirmans, quòd gloria Dei in eo consistat, dum peccata punit. Quod tamen, quomodo probaturus sit, non inveniet Fr. Nam si in eo gloria Dei propriè & per se sita est, quomodo gloriā illam Deus non expetit, cujus est cupidissimus? Atqui tardum Deum esse ad iram, hoc est ad puniendum, scriptura dicit. Itaque tardus etiam esset ad gloriam suam amplificandam quod est absurdum. Verba Psalmi, Rom: 3.4. iterata, adeò ineptè huc sunt allata, ut, qui textum Pauli inspexerit, miraturus sit Frantzii in tractandis sacris literis negligentiam. Adducta enim sunt ab Apostolo, ad demonstrandum Deum esse veracem, hoc est, promissorum suorum tenacem, & hoc est, Deum justificari in suis sermonibus, hoc est, promissis, & eum vincere cùm judicatur.

Thesis 26. est. *Effecta Iustificationis nostræ sunt pax conscientiæ, & lætitia in Deo, inhabitatio spiritus S., regeneratio seu renovatio seu sanctificatio, dilectio Dei, invocatio, gratiarum actio, confessio nominis divini, obedientia, patientia, spes, charitas, humilitas, castitas, veracitas, & omnis generis bona opera, Rom.5. Iustificati fide* (apud Paulū est, *ex fide*) *pacē habemus apud Deū.* Et hîc Fr. falsa veris miscet. Fatemur, pacem conscientiæ & lætitiam in Deo, esse effectum justificationis. nam huc pertinent verba Pauli a Fr. citata: Reliqua verò omnia ita appellari posse, nullus sacrarum literarum locus docet, ideoque etiam nullus a Frantzio asscriptus est. Inhabitatio autem Spiritus S., illius scilicet, qui est arrhabo hæreditatis nostræ, non effectum justificationis est, sed promissio facta illis, qui in Christum credunt. Regeneratio porrò seu renovatio & reliqua bona opera tantùm abest, ut sint effecta justificationis, ut absque illis justificatio nullo modo reipsa exsistere possit. Neminem enim Deus justificat, nisi omnibus illis virtutibus ornatissimum. Offertur quidem justificatio hominibus etiam absque his operibus: sed reipsa justificatio nostri nulla esse potest sine his omnibus operibus.

Quæ sint effecta justificationis.

V. Skyn… p. 375.

Thesi 27. ait. *Sic Noah hæres justitiæ fidei factus studebat bonis operibus, & sic Abraham sola fide justificatus jubetur ambulare coram Deo,* &c. Quasi verò fides vel justificatio fidei esse possit absque bo-

nis operibus; & jam constitutam fidem & justificationem demum consequantur bona opera. Cùm tamen studium bonorum operum & ambulatio coram Deo causa fuerint(licet non primaria) justificationis tam Noæ quàm Abrahami, & omnium aliorum, qui justificati fide dicuntur. Studium enim bonorum operum & ambulatio coram Deo, est anima & complementum illius, per quam justificamur, fidei, ut ea de re peregregiè loquitur Iacob: cap:2. 22.

Thesi 28. commentum humanum iterat Frantzius, *legem moralem aliquantisper obscuratam, iterum promulgatam & declaratam fuisse in Sinai & in aliis locis deserti.* de quo suprà aliquid diximus. Quomodo verò ad hanc thesin sequentia verba pertineant, consideret mecum benevolus lector. Huc *illud Gal: 4.4,5,6. Quando venit plenitudo temporis,* &c. Nihil enim hîc de operibus, quæ sunt præstanda justificatis (ut Fr: suo more loquitur, nam secundùm veritatem dicendum erat, quæ sint præstanda illis, qui justificari vel pro justificatis haberi velint) Apostolus loquitur, sed quid illis, qui opera bona præstant, Deus largiatur, nempe Spiritum S., docet. Ita vix aliqua fuit thesis Fr:, in qua non hallucinatus graviter fuerit.

Thesi 29. & seqq: usque ad 41. exponit doctrinam Pontificiorum de Iustificatione, quæ, ut nos examinemus, opus non est, cùm, licet magis sobria videantur esse iis, quæ Evangelici, quos vocant, docent, tamen quia, (ut alios circa hanc rem errores taceam) fidem absque operibus consistere posse sentiunt, in eodem ferè luto cum aliis hærent, vel saltem verbis tantùm vera, in hoc articulo, dicunt, reipsâ verò graviter errant.

Thesi 41. & seq: usque ad 65. recenset nostram de justificatione doctrinam. Ad quæ hæc paucissima annotare opus fuit. Primùm 49. thesi ait: *nos ulteriùs subjicere de lege per Christum implenda vel impleta, nullum extare verbum in sacris, imò contrarium extare, quòd nimirum homines ipsi possint Deum diligere ex toto corde, tota anima.* In qua thesi duplex est cavillus, si non calumnia. Nam non negamus, Christum legem implere debuisse: sed negamus, eum illam implevisse ita, ut nostri loco Deo satisfaceret aut obediret. Deinde non ita dicimus, hominem posse Deum diligere ex toto corde, ut aliquid nobis tribuamus, & Christo detrahamus: Sed dicimus ex eo, quòd teneamur Deum diligere ex toto corde, consequi, Christum loco nostri legem non implevisse. Ex eo verò, quòd teneamur Deum diligere ex toto corde, hoc porrò consequi, nos etiam id præstare posse. Nam Deus impossibilia nemini præcipit. Quid verò sit, Deum diligere ex toto corde, ita explicamus: Nullo peccati habitu implicatum

implicatum esse, & eò aspirare ut ne unum quidem peccati actum committamus, quod utrumque possibile, licet difficile sit, esse nemo Christianus negabit, & alibi suprà a nobis demonstratum est, & infrà suo loco iterum demonstrabitur.

Thesi 55. nos sic affirmantes facit: *Redemtor & liberator noster Christus dicitur, quia cùm per malam conversationem venundati perhibeamur sub peccatum, ipse redemit nos, non à Patre, sed ut Gal:1.4. Eph: 5. &c. loquitur Spiritus S., illudque redimere declarat, à mala conversatione & ab iniquitatibus, dum nimirum verbo à prava vita ad sanctam nosmet convertit.* Primùm quia Frantzius nos reprehendit, quòd dicamus, Christum nos redemisse non a Patre, sed ab ira, &c. statuendum est, illum approbare, si quis dicat, Christum nos a Patre redemisse. Quæ verò scriptura ita loquitur? aut quæ ita loqui potest, cùm Pater is ipse sit, qui nos per Christum redemerit? Deinde dico, hîc iterum cavillum esse vel calumniam. Nam etiamsi ob hanc etiam caussam non diffiteamur, Iesum esse nostrum Servatorem, quia nos a peccatis retrahat: tamen hanc nec solam nec principalem esse unquam affirmamus. Causæ enim, ob quas Iesum pro Servatore habemus, sunt disertissimè expressæ in initio libri F. Socini de Servatore, & asscriptæ a Fr: in 126. thesi disputationis secundæ. Vnde apparet malevolentia Fr:, qui, cùm diversum nos sentire optimè persuasum haberet, sic tamen nos apud alios traducere ausus sit. Causa verò maxima, ob quam Iesus est Servator noster, est, quòd ipse Christus, ut voluntatem ita & potestatem habeat reipsa nos servandi, hoc est, dandi nobis æternam vitam. Quæ verò in hac thesi adducit Fr: ea dicuntur a nobis non tanquam actoribus sed respondentibus. Exculpere conantur adversarii Christi meritum & satisfactionem ex voce *redimendi*. Hoc ut repellamus, exempla adducimus, in quibus redemti dicimur per Christum, & tamen nullus ibi locus est ullius satisfactionis, ut cùm dicimur redemti a vana conversatione, a seculo malo, ex injustitia, &c. Qui modus respondendi est longè validissimus & planè invictus. Adversarii igitur (nam quod Frantzius hîc semel commisit, id centies Paræus, Theologiæ etiam in Academia Heidelbergensi Doctor, in suis super Epistolam ad Rom: commentariis commisit) ut, quod dicant, habeant, tales nos fingunt, quales ipsimet volunt. Idem sentiendum est de thesi sequenti 56. de Redemtore & Mediatore Mose. Nam, non ut doceamus, quomodo Christus sit Servator & Mediator, sed quomodo non sit, hæc a nobis adducuntur. Scimus enim modum, quo Christus servator & mediator noster est, vel nihil vel parum commune habere cum eo modo, quo Moses servator & mediator fuit.

Luc: 1. 68. 2. Pet: 2. 1.

Inertia adversariorum insignis.

Thesis etiam 57. non caret isto vitio vel calumniæ vel cavilli. Nam loca illa, quando Christus pro nobis & peccatis nostris mortuus esse, & morte sua nos a peccatis mundare dicitur & alia, ita quidem jubemus interpretari, quòd nos Christus a peccatis per prædicationem suam liberaturus, inciderit in maximas afflictiones, & ita nostri causâ passus & mortuus sit: sed liberationem a peccatis non ita explicamus, quemadmodum eam thesi 55. explicavit Fr., de sola scilicet impietate, sed, idque potissimum, de reatu peccati, quæ est mors æterna. Nam quia nos Christus ab æterna morte liberabit, & ut nos liberare posset, mortuus est, jure dicitur, eum pro nobis & pro peccatis nostris mortuum esse, & sanguinem ipsius nos emundare a peccatis, hoc est, a pæna peccatorum. Captiosè etiam nobis affingitur, quòd dicamus, perinde Christum passum esse pro nobis, sicut quilibet bonus pastor ponit animam pro ovibus, vel sicut nos debemus animas ponere pro fratribus, vel sicut Paulus pro Ecclesia complebat afflictiones Christi. Nam & hîc nihil docemus, qui optimè sciamus, magnam & multiplicem esse dissimilitudinem inter pastorem, qui animam pro ovibus ponit, fratrem, qui pro fratre, Paulum denique, qui pro Ecclesia patiebatur, & inter Christum, qui pro nobis mortuus est: sed tantùm, quando adversarii ex voce *pro nobis*, meritum probare nituntur, nos excipimus, & hujus vocis non eam vim esse, exemplis adductis, ostendimus. Qua in re an bene procedamus, & an Frantzius etiam bene se gerat, dum nostra ita ad sensum alienum trahit, judicet eruditus lector.

In thesi 58. idem vitium est. Nec enim nos dicimus, Christum, agnum Dei, verè tollere, hoc est, removere prædicando peccata mundi, quanquã non negamus hoc etiam modo eũ peccata tollere: Sed dicimus, Christum peccata tollere, quatenus aufert reatum illorum, qui modus tollendi peccata omnium perfectissimus & verè Deo dignus est. Idem vitium est in 59. Nec enim nos dicimus, Christum ob hoc vel solum vel principale Deo obedivisse, ut nos ad se imitandum extimularet, sed constantissimè affirmamus, illum ideo Patri suo obedientem & pro nobis mortuum fuisse, ut potestatem divinam, interveniente morte sua, consecutus, salutem nostram administrare & tandem reipsa perficere posset, vel ut nos salutem, quam ille nobis annunciârat & confirmârat, amplecteremur & tandem reipsa consequeremur.

Cur Christus pro nobis passus dicatur.

Thesi 61. ait: *Nos hæc & alia, quæ ibi commemorat, blasphemissimè excogitasse*, &c. Verbis quantumvis barbaris nihil proficitur. Argumentis agendum est Frantzi, & docendum, nos ea excogitasse, &

exco-

excogitaſſe blaſphemiſſimè. Nam ſacris literis omnia probata eſſe volumus,

Theſi 62. iterum monet, nos non detrectare cognomen Photinianorum, referens verba Socini, qui ait, Photinum ipſiſſimam ſententiam noſtram & ſermone & ſcriptis acriter defendiſſe. Sed & nos iterum monemus, Frantzium nimis fallaciter concludere, eum, qui in aliquo articulo Chriſtianæ religionis, cum aliquo conſentiat, non detrectare ipſius cognomen, cùm homo Chriſtianus, licet cum aliquo, in omnibus Chriſtianæ religionis capitibus & articulis, prorſus idem ſentiat, planè tamen detrectet vel ſaltem detrectare debeat ipſius cognomen. Solus enim Chriſtus noſter eſt magiſter, nos omnes fratres ſumus & Chriſtiani.

Theſi 65. ubi cum Socino, Oſtorodo, & mecum diſputationem futuram ſibi ait, accedit ad reſponſiones ad noſtram ſententiam de merito Chriſti, & ad primam objectionem noſtram, quòd ſcilicet nulla meriti aut ſatisfactionis Chriſti mentio fiat in ſacris literis, tandem theſi 68. ita reſpondet, *non neceſſe ſcilicet eſſe ut totidem verbis expreſſum ſit illud dogma, & ſententiam ſcripturæ non ſemper uno verbo, ſed ſæpe multis ſive ſingulis ſive pluribus exprimi.* Sed primùm terminos mutat Fr.. Non enim de ſententia ſcripturæ, ſed de dogmate Fr: ſermo eſt, quod, an ſit ſententia ſcripturæ, controverſum eſt. Quanquam valdè etiam ineptè vel ſaltem obſcurè dictum eſt, ſententiam ſcripturæ non ſemper uno verbo ſed ſæpe multis ſive ſingulis ſive pluribus exprimi. Vbi enim exprimitur ſententia ſcripturæ? Si in ſcriptura, (ut neceſſe eſt) quid opus eſt iſta nugatione, ſententiam ſcripturę exprimi in ſcriptura? Sed hæc valeant. Ipſam rem videamus. Fatemur libenter, ad multa Chriſtianæ religionis dogmata ſtabilienda, ſatis eſſe, ſi, quoad ſenſum, extent in ſacris literis. Hac tamen duplici cautione addita, 1. quòd ex eo conſtare debeat, dogmata illa ex numero illorum eſſe, quæ ad ſalutem non ſint neceſſaria. Hæc enim in ſacris literis expreſsè ſcripta extare, nemo ſanæ mentis negabit. 2. etiamſi non verba ipſa in ſ. literis contineantur, neceſſe tamen eſſe alia illis æquipollentia extare, quod uterque Socinus nempe & Oſtorodus dicunt, ut cap: 26. 2. partis libri de Servatore, & verba Oſtorodi a Frantzio theſi 44. citata oſtendunt, quæ ſic habent: *Satisfactionis ne uno verbulo ſit mentio in ſacris literis, nec uſpiam alicujus rei, quæ perinde habeat,* quæ dum dirimit Frantzius, an non fallere velit, judicet cordatus lector. Doceat igitur Frantzius, extare verba iſta æquipollentia ſatisfactioni Chriſti, quemadmodum Socinus dicit, extare verba æquipollentia invocationi Chriſti, & res confecta erit, hoc eſt, conſtabit, doctrinam de ſatisfactione veram eſſe.

Quæ dogmata expreſſa eſſe oporteat in ſ. literis.

Thesis 70 est. *Quod ad rem ipsam seu quoad sententiam attinet, hoc sole meridiano clarius evadet ex pia & diligenti consideratione eorum, quæ in cap. 2. & 3. Gen: commemorantur, Christum Iesum pro protoplastis lapsis inter cessiße, satis factionem promisisse.* Hîc jam animos & aures arrigite, quicunque hæc lecturi estis Hîc enim omnes ingenii nervos intendit Frantzius, & nunc summa rei agitur. Primùm igitur dico, non ita procedere Frantzium, quemadmodum procedit Socinus, cujus se respondendi modum imitari ait. Non enim ex consequentiis obscuris, ait Socinus, pendere Christi invocationem, sed verba & phrases, æquipollẽtes invocationi, extare in sacris literis, disertissimè docet, quod longè aliud est ab eo, quod facit Fr:, qui, ex longissimè petitis consequentiis, dogma hoc suum asserere conatur, &, quia, ut id ita asserat, necesse habet, hoc ipso satis prodit eius falsitatem. Sed nec obscurissimis & longissimè petitis rationibus dogma istud Satisfactionis demonstrari ab acutissimo quovis posse persuasissimum nobis est. Nam, ut, quod Frantzi⁹ dicit, consideremus, quid ineptius, quid anilius dici potest, quàm Iesum Christum pro protoplastis lapsis intercessisse, satis factionem promisisse? Quis talia fando unquam audivit? Quæ scriptura hoc affirmat? Quæ scriptura hoc suadet? ex qua extorqueri tandem tam ridiculum & falsum dogma potest? Ergo si Christus pro protoplastis intercessit, tunc Christus fuit? Atqui hoc probatum nunquam est. Porrò si Christus pro protoplastis lapsis intercessit, quomodo Deus idem esse potuit, qui ille, apud quem intercessit? Si Christus Deus idem est, qui pater, quomodo intercedere potuit apud patrem? Si Deus idem est qui pater, quomodo non etiam offensus fuit ut pater? Si offensus fuit, &, vi iustitiæ naturalis, non potuit peccatum impunitum dimittere, intercessore & ipse opus habuit. Quis verò apud eum intercessit? Si remittere ipse potuit, renunciare etiam naturæ suæ potuit, quod de patre impossibile esse dicunt satis factionis assertores. Si remittere ipse potuit, qui idem Deus est, qui pater, cur non etiam pater remittere potuerit, & satis factionem tam rigidam non exigere? Taceo illud, quòd, quis nám apud Spiritum S.. qui tamen tertia illis persona, & idem Deus qui pater est, intercesserit, nunquam docent isti satis factionis defensores. Sed tempus me deficiet enumerantem hujus futilissimæ opinationis absurditates & repugnantias. Audiamus deductionem Fr.

Dogma satisfactionis nullâ consequentiâ probari potest.

Absurditates satisfactionis.

Thesis 71. est. *Ibi enim cap: 2. 17. habetur divina comminatio, in die qua comederis ex arbore scientiæ boni & mali, moriendo morieris, id quod ex sententia Photinianorum idem est, ac si dixisset Deus: animo & corpore in nihilum redigéris, & nihilum eris ac manebis in omnes omnium æterni-*

um æternitatum æternitates. Parturiunt montes. Ab ipsis primordiis movetur fundamentum religionis Frantzianæ. Audimus igitur, quid hactenus dicat Frantzius, sed, quid tum postea? quid malè sunt meriti, qui verba illa Gen: 2. sic explicant? Quid hoc ad propositum thesis 70., *Christum Iesum pro protoplastis lapsis intercessisse, satisfactionem promisisse?* Hoc enim Frantzio comprobandum esse urgemus, & non facilè obliviscemur.

Thesi 72. ait: *Nostri verò & rectè illud ipsum explicabunt, moriendo morieris, hoc est, per peccatum fraude diaboli tibi persuasum, mortis æternæ iam mancipium ita fies, ut à Deo ita abiectus corporalem & spiritualem, primam & secundam, temporalem & æternam mortem perpetuasque servitutes & horribiles vexationes dæmonum tanquam novorum dominorum perferre cogaris. In hoc igitur saltem convenimus cum Socino & Ostorodo & sociis eorum, comminatione hac Adamo prævaricaturo adimi omnem felicitatem temporalem & æternam; Etsi in modo dissentimus, de qua re suo tempore.* Respondeo. Non hîc sesquipedalibus & otiosis verbis in descriptione ejus, quid sit, morte morieris, opus est; non in quo Fr: nobiscum conveniat exponendum. hoc enim est, extra oleas vagari: Sed Christum Iesum pro protoplastis intercessisse, satisfactionem promisisse, hujus, hujus inquam probatio paranda erat. Idem de thesibus sequentibus statuendum, in quibus exponit Frantzius quædam alia etiam, in quibus nobiscum illo conveniat.

Thesi demum 76. ait, *hoc expendendum restare de causa & modo sublatæ pœnæ primi peccati, tum quoad protoplastas, tum quoad credulos posteros.* & thesi 77. ait, *nos contendere, factam esse illam ablationem simplici condonatione & decreto tunc temporis (intra mentem Dei) facto ex misericordia de Messia post aliquot secula elapsa creando, & omnibus axiomatibus dotando, qui nihil magni aliud agat, quàm ut in ultimo die & protoplastas & reliquos pios demortuos omnes ex pulvere terræ excitet, ne in æternum mortem sustinere cogantur.* Ita est homo Frantzius, ut si non aliquâ nocuisset, mortuus esset. Vnde hoc habet, nos contendere, tunc cùm Adam peccavit, Deum decretum fecisse de Messia &c. qui credimus, ante mundi conditionem nos in Christo esse electos, & Messiam a Deo prædestinatum fuisse, nulla habita ratione peccati Adami? Quæ verò ist hæc punctio est, Christum aliud nihil magni agere, quàm ut in ultimo die homines excitet & in æternum servet? Estné opus aliquo alio magno ad humanam salutem? Certè ex pulvere terræ excitari, & in æternum a morte liberari, ipsissima & perfectissima salus; & hoc præstare, perfectissimum

Ephes. 1. 4.
1. Pet. 1. 20.

Maximum Christi op.

mum

mum veræ divinitatis argumentum eſt, ut merito hujus imprudentiæ Frantzium pudere debeat.

Theſi 78. ſententiam ſuam, hoc eſt, errorum centonem explicat, dum dicit. *Nos verò aſſerimus, factam eſſe ablationem per talem condonationem, ubi reſpectus habebatur. 1. ad præſentem aliquem mediatorem 2. intercedentem & ſeſe offerentem ad ſatisfaciendum in certo tempore juſtitiæ & veritati iræ divinæ illius: Quacunque die comederis, morte morieris.* Quid hîc ſani, quid veri? Nihil. Et tamen ait ulteriùs Fr: *Aſſertionem hanc noſtram unico illo Aphoriſmo & protevangelio Gen: 3. 15. ſufficienter ſtabiliemus; adductis paucis cognatis oraculis ex V. & N. T. ſingulis tamen & omnibus, ut apparebit, ex illo primo derivatis.* Rem, magnam præſtabis Frantzi, ſi, quod promittis, efficies. Audiamus jam.

Theſis igitur 79. eſt: *Adfuiſſe tum in lapſu præſentem reipſa λόγον, alibi fortiſſimis rationibus evicimus, quando probavimus Chriſtum eſſe æternum Deum.* Si huic fundamento figmentum ſatisfactionis innititur, quid de eo tandem ſperandum ſit, unusquisque conſideret. Tam enim demonſtrari poteſt, Chriſtum eſſe æternum Deum, quàm nigrum eſſe album, & album nigrum, ut ex iis, quæ diſputatione 1. & 3. annotavimus, videre eſt, & multò magis & amplius ex iis, quæ a noſtris Eccleſiis in hac materia publicè ſcripta extant. Quibus etiam hoc addimus, vel potiùs nunc repetimus, quòd quidam, Pontificiorum non poſtremi, ſponte ſua hoc confitentur, dogma Trinitatis non poſſe ex ſolis ſacris literis probari, niſi accedat Eccleſiæ autoritas: & Arium, qui negabat, Ieſum eſſe æternum Deum, in Nicæna ſynodo non ſcripturis ſed autoritate eccleſiæ victum & damnatum fuiſſe, iidem Pontificii ex hiſtoriis teſtantur. Quæ ſi vera ſunt, videat Fr, quo jure dicat, ex ſcripturis probari poſſe, Chriſtum eſſe illum æternum Deum.

Theſis 80. eſt: *Et ſi non exoſa eſſet Photinianis æternitas Ieſu Chriſti, tum ſine dubio libenter & ipſi faterentur & pronunciarent Adamo poſt lapſum ſtatim adfuiſſe ſua nova & ſingulari gratia iſtum ipſum, pro eo, quod docent interveniſſe miſericordiam Dei de mittendo Chriſto.* Exoſum id eſſe non poteſt alicui, quod non eſt. Vanum eſt autem quod vaticinatur Fr:, nos, ſi crederemus Chriſti æternitatem, faſſuros & pronunciaturos, eum Adamo tunc poſt lapſum adfuturum fuiſſe ſua nova & ſingulari gratia. Poſſet enim aliquis credere, Ieſum eſſe ab æterno, & tamen fabulam hanc anilem, de ipſius pro Adamo peccatore interceſſione, prorſus deteſtari, cùm nihil ſit, quod cogat, ut ſecunda perſona Trinitatis (ex mente adverſariorum loquor) potiùs quàm

ûs quàm alia, ei qui peccaverat, gratiã novam & singularẽ exhiberet, eamq; talem, qualem fingunt adversarii. Non tunc demũ, cùm Adam peccavit, intervenisse misericordiam Dei de mittendo Christo, jam antè indicatum est, injuria nobis a Frantzio affingi. Vide thesin 77., & hac ratione etiam ad thesin sequentem responsum est.

Thesis 82. est. *Intercessiße λόγον in paradiso pro protoplastis, nemo dubitabit, qui & pœnam æternam remißam eße expendit, & in Christo Iesu vitam æternam restaurari concedit.* Hæccine est illa tam diu expectata probatio intercessionis Christi pro protoplastis in paradiso? Vnde verò constat primùm, æternam pœnam esse remissam Adamo tunc temporis? Nam si remissa fuit, non absque pœnitentia id factum esse certo certius est. Pœnitentiam verò tunc Adamum egisse, nec sacræ docent literæ, nec docere possunt, cùm ad hanc sequens vitæ correctio requiratur. Deinde esto, remissam tunc fuisse pœnam æternam, quomodo hinc consequetur, λόγον intercessisse pro protoplastis? Quasi scilicet unus tantùm hic sit modus remittendi offensas, propter alienam intercessionem, qui tamen indignus Deo & nullus planè est. Quis talia ferre potest oracula? Remissa sunt peccata, ergo propter intercessionem. Hoc denique quid ad rem facit: per Christum vita æterna restauratur. Ergo λόγος pro protoplastis intercessit. Primùm falsum est: Christum vitam æternam restaurare. Nam quod nunquam fuit vel amissum est, quomodo restaurari potuit? Non restauravit Christus, sed revelavit, vel ut Apostolus loquitur, illuminavit omnium primus id, quod antea ab omnibus seculis incognitum fuit, & in solo Deo latuit. Deinde verò, quid hoc huc pertinet, cùm illa patefactio vitæ æternæ ad novi tantùm fœderis tempora spectet? Num est quod cogat, eum, qui post lapsum Adami aliquot mille annis vitam æternam revelavit, fuisse tunc cùm Adamus peccasset? Videat igitur benevolus lector, quam probationem attulerit Fr: istius sui commenti, quòd Christus pro protoplastis intercesserit.

Non constat, Adamo pœnam esse remissam.

Christus vitam æternã non restauravit, sed revelavit. 2. Tim: 1. 10.

Thesi 83 ait: *Obtulisse λόγον seipsum ad delenda per carnem sibi uniendam peccata, ejusdem capitis verba, semen mulieris conteret caput serpentis, docent. Quid autem ea verba significent, ex ipsa sacra scriptura alia expreßè patebit.* & deinde thesi 84. docet, *conculcare serpentes, eße, destruere opera diaboli, loco Luc: 10. 19. Et Sathanam appellari serpentem, locis Apoc: 12. 9. & 20. 2.* Thesi porrò 85. docet *verba Luc: 10. propriè eße accipienda de ejectione dæmoniorum miraculosa.* Ad quæ respondeo, Fr: fugere ad carecta. Non enim docendum ei erat, Satanam esse serpentem illum, vel conculcare serpentes, esse, destruere

opera Diaboli: Sed, λόγον seipsum obtulisse ad delenda, per carnem sibi uniendam, peccata. Hoc urgemus, hîc instamus, & dicimus, Frantzium, vel victum in conscientia, cùm non haberet, quod directè responderet, aliquid obliquè dicere quàm tacere maluisse, vel sui planè oblitum esse. Hoc autem quia in virum tantæ eruditionis cadere vix potest, juvat illud prius sperare, & simul omnes admonere, ut considerent, quàm vanum sit illud Christi oblationis pro protoplastis commentum, quod tamen hodie omnes sequuntur: & quomodo etiam doctissimos alioquin & acutissimos deficere oporteat probationes in re falsa.

Thesi 86. ait. *Apostolos calcaße Diabolos convertendo homines à cultu dæmonum ad cultum veri Dei.* Atqui Apostoli illi non ad gentes sed ad Iudæos tantùm erant missi. Quomodo igitur eos a cultu dæmonum ad cultum veri Dei convertere potuerunt, cùm nulla tunc esset inter Iudæos idololatria?

Thesi demum 88. interrogat: *Quomodo autem semen aliquod mulieris potuit* VELLE *conterere caput serpentis, nisi intercesserit, & hoc in se lubens aliquis receperit?* At ego: non interrogatione sed probatione opus erat, Frantzi. Iterum accuso Frantzium, qui nihil constanter dicat. Hactenus de sola contritione serpentis egerat: nunc verò, ut quomodocunque causam suam juvet, addit illud suum VELLE, quod nusquam scriptum extat in sacris literis. Esto enim, per serpentem illum, Satanam; per semen mulieris, Christum intelligi vel adumbrari: Esto denique contritionem serpentis, esse abolitionē illius; num hinc sequitur, Christum voluisse conterere caput serpentis? ô audaciam vel inertiam! Sed præterea dico, esto, Christum tunc adfuisse, esto, eum voluisse conterere caput serpentis, num hinc sequetur, eum intercessisse? nisi fortasse nullus alius modus conterendi capitis serpentis sit, præter hunc Deo indignum, absurdum, impossibilem, ridiculum & blasphemum. Equidem doleo ex animo, tantos errores tanto animo a tantis viris dici & urgeri.

Contritio capitis serpentis non infert satisfactionem.

Thesis 89. est: *Promisiße Christum Patri suo satisfactionem, seu quòd morte sua sufficientissima expiare vellet peccata totius mũdi, quàm evidentissimè & quàm solidissimè comprobatur ex prædicta ibidem calcanei vulneratione seminis mulieris, & ex sacrificiis è vestigio tum a lapsu utique non nisi propter hoc solum adumbrandum, divinitus ordinatis ac celebratis ab eo tempore semper per sanctos patres & protopatriarchas, per Ecclesiam Adami, per Noahum, per Melchisedecum, & tandem in Hierarchiam Israeliticam invectis. ut, inquam, eßent typi hujus promißæ & in calcanei vulneratione præstandæ satisfactionis.* Incipio

jam cogitare, Frantzium, quia probationes eum deficiunt solidæ, verbis tantùm, audacter & parum prudenter prolatis, nobiscum pugnare, & nos superare vel opprimere velle; & tacitè alios docere, quomodo hæc ipsorum commenta defendi possint. Ausus est dicere, quàm evidentissimè & quàm solidissimè, promissionem Christi de satisfactione Patri præstanda, ex prædicta calcanei vulneratione seminis mulieris comprobari. Cùm tamen ipsum Fran: & omnes cordatos agnoscere & confiteri oporteat, etiamsi tandem ex his verbis, quod vult Fr:, colligi possit, id non nisi obscurissimè & vix probabiliter colligi. Nam quæ consequentia: Serpens vulnerabit calcaneum seminis mulieris, ergo Christus promisit, se Patri satisfacturum pro peccatis totius mundi. Si hæ non sunt scopæ dissolutæ, quid tandem eas esse dicemus? Iam illud quantum valet? A lapsu Adami sacrificia cæperunt, & deinde durârunt. Ergo Christus Patri suo promisit satisfactionem pro peccatis totius mundi. E vestigio tum a lapsu divinitus fuisse ordinata & instituta sacrificia, nonne commentum est? Adamum enim & Evam sacrificasse aliquid, nusquam legitur. Si de sacrificiis hoc intelligat Frantzius Abelis vel Caini, non e vestigio post lapsum nati illi fuere, nec nati statim sacrificaverunt. Hoc verò etiam divinitus ordinatum & institutum fuisse, planè incertum est. In eum id denique finem solum factum esse, ut satisfactio Christi adumbraretur, ipsissima falsitas est. Hem quid faciat inveterata opinio & erroris antiquitas! Nihil nunc de calcanei vulneratione seminis mulieris, nihil de causa sacrificiorum opus est dicere. Quia hæc omnia extra rem dicuntur. Hoc unum dicere non oberit: Ex ipsis tenebris & ipsa obscuritate lucem veritatis eruere velle Fr:, siquidem tantum tribuit huic testimonio, & satis ostendere, nihil esse clarum, nihil manifestum, quod sententiam hanc ipsius comprobare possit.

Quæ thesi 90. affirmat, *sacrificia*, &c. *non serò cæpisse, sed in exordio mundi viguisse*, ea fabulosa esse, & nihil ad rem facere, jam antè ostensum est. *Sacrificia figuras mortis Christi fuisse*, quod thesi 91. affirmat, si id de omnib⁹ intelligit, falsissimum est. Verissimum autem illud, quod ex Socino citat Frantzius, nempe figuram Christi mortis fuisse tantùm sacrificia, quæ publicè, hoc est ea, quæ pro universo populo, ipso etiam aliquando summo sacerdote non excluso, & statis quibusdam temporibus, fiebant.

Sed habet quod adhuc addat Fr: Ait enim thesi 92. *Fuisse ante Mosen solennia majora sacrificia in usu, inde firmiter concludimus, quia Heb: 5.1. Omnis pontifex (quales fuerunt præcipui patriarchæ) ex hominibus*

nibus pro peccato & pro seipso offert, &c. Mirabilis primùm loci allegatio, neglecta scilicet & confusa. Deinde multò mirabilior ejusdem usurpatio. Nam, qui de legalibus põtificibus loquitur, hunc ad alios, qui ante legem fuerunt, per insignem imprudentiam detorquet Fr:. Quæ verò scriptura appellat istos præcipuos patriarchas, pontifices? Num inde hoc colliget Frantzius, quia sacrificârint? At non omnis, qui sacrificat, sacerdos est, ne dum summus Pontifex, quantumvis omnis sacerdos & summus Pontifex sacrificet. Et quid tandem sacrificia illa, quæ interdum fiebant ab antiquis illis patribus, commune habebant cum illis, de quibus lex loquitur, & quæ præcipit. cùm hæc ex Dei voluntate fiebant, illa verò ab hominibus præstari poterant absque ullo Dei præscripto?

Ante legem nulla mentio pontificum.

Sed addit Fr: *Sed nec prætereundum, quòd etiam minora sacrificia Christi mortem repræsentârint, id quod colligitur ex illis, cùm Christus dicitur agnus occisus ab origine mundi, Apoc:13.8.* At ego: præterquam quòd stultum esset dicere, Christum fuisse mactatum ab origine mundi, jam pridem a nostris demonstratũ est, verba, *ab origine mundi*, non ad vocem *occisum*, sed ad verba, *scripti in libro vitæ*, referenda esse, ut idem Iohannes Apoc: 17. 8. testatur. Quomodo igitur ex loco perperam intellecto & ad sensum alienum & absurdum detorto aliquid certi extrui potest? de quo suprà jam dictum est.

V. Hoorn. 2, 326.

Thesis 93. est. *Victimis (aliquo suo certo modo & respectu) placatum fuiße Deum homini, patet ex victimarum attributis, quæ sunt offerri Iehovæ, offerri pro peccatis, mactari, sanguinem effundere, comburi, portare iniquitates hominum super se, seu caput, in terram inhabitabilem, expiare homines seu iniquitates hominum, placare Deum terræ & hominibus, ut nõ adducamus testimonia plura alia, ut cuivis satis obvia.* Et deinde ad marginem thesis 94., in qua idem nescio cur, quod in hac repetitur, additũ est: *Planissimæ rationis pro satisfactione & merito summa.* At ego dico, primùm, ad ista omnia & multò plura, quàm hîc affert Fr:, jam abundè responsum esse a F. Socino in lib: de Servatore, & ostensum, non eam vim fuisse sacrificiorum V.T., ut Deum placarent, ad quod respondendum erat Fr:, nec ita hæc asscribenda, quasi nova & planè antea incognita argumenta. 2. Terminos (quos vocant) Frantzius mutat, dum satisfactionem probaturus, de placatione disserit. Nam dato eo, quòd victimæ aliquo modo Deum placârint, quod tamen falsum est: dato etiam, quòd Christi mors multò magis sufficienter propriéque placârit Deum, ut affirmat Fr: thesi 95., num hinc sequetur, Christum Deo satisfecisse pro peccatis nostris? Nihilminus. Tantum enim abest, ut placatio satisfactionem inferat, ut eam

Sacrificia legalia Deum non placabant.

Placatio nõ infert satisfactionem.

planè excludat. Nec enim eum placare opus est, cui quo perfectè satisfaciam, habeo: sed, cùm aliquid deest in solutione, tunc placationi locus esse solet. Sed & hæc placatio falsissima est, ob hanc potissimùm causam: Quòd Deus Christum placamentum vel propitiatorium constituerit & ad homines miserit, hoc est, Deus in Christo toti mundo patefecit, se propitium esse illius peccatis, & placationis istius, hoc est, propitii erga homines animi, infallibile signum fuit Christi ad homines inimicos missio, & in mortem deinceps traditio. Vnde Paulus etiam disertè ait, quòd eum Deus propitiationem ante constituerit per fidem, in sanguine, hoc est per sanguinem ipsius.

Christ⁹ Deum non placavit: sed Deus se in Christo placatum ostēdit.

Rom. 3. 25.

Locus Esa:, de quo thesi 96. ait Fr:, nihil de placatione Dei per Christum habet. Potuit enim Christus ferre nostros languores, & dolores portare; potuit Deus in eum conjicere omnes iniquitates nostras; potuit Christus duci sicut agnus ad mactationem: nec tamen Deum ullo modo placare, ut fusissimè demonstratum est a nostris in non paucis publicè editis scriptis, ad quæ quamdiu nihil respondetur, quid opus est toties eadem dicere? Addidit etiam verba quædam Fr:, quæ pro propheticis haberi vult, ut scilicet suam sententiam juvet, quæ sunt: *quia posuerat seipsum sacrificium pro delicto anima ejus*. Sed tu lector scias, ea esse supposititia. Quanquam etiamsi essent prophetica, nihil tamen ad placationem probandam conferrent.

Thesibus sequentibus cramben recoquit Frantzius, & nuda tantùm allegatione quorundam locorum N. T., seipsum & alios moratur & decipit. Non loca alleganda erant Frantzi. Hoc enim inutile per se censendum est: Sed ex uno atque altero loco docendum erat, Iesum Christum pro peccatis totius mundi satisfecisse patri suo. Nam non de locis est nobis controversia, sed de sensu, quem vos illis locis affingitis Quanquam neque hîc errore carere potuit Frantzius. Ait enim 1. th: 97. Christum appellari oblationem & hostiam Eph:5. 1. Cùm tamen non Christus ibi, sed factum illius, quod seipsum pro nobis in mortem tradidit, hisce vocibus commendetur, quòd scilicet res fuerit Deo acceptissima, quales etiam olim erant oblationes & victimæ, de quo mox plura. Deinde verba, quòd Christus factus sit peccatum, explicat, id est, victima pro peccato. Cùm tamen nullo modo appareat, ea ita accipienda esse: Sed certum sit, eo modo Christum esse peccatum factum, quo homines justitia Dei facti sunt. Hæc enim ibi invicè opponuntur. Homines verò ita justitia Dei facti sunt, quòd non secus tractantur vel tractabuntur olim a Deo, ac si justi semper fuissent, cùm tamen tales revera non fuerint. Ergo etiam, Christum peccatum factum esse a Deo, aliud nihil est, quàm

Quomodò Christus sit factus peccatum.

Christum ita a Deo tractatum fuisse, ac si esset peccator, cùm tamen talis revera non fuerit.

Chirographum lex erat respectu Iudæorum tantùm

Thesi 98. *Chirographum è medio sublatum & cruci affixum, ait, adversum nos & nobis contrarium fuisse*, non animadvertens, Paulum ibi Col: 2. 14. non de omnibus hominibus, sed de solis Iudæis agere. His enim solis lex erat data, & hi soli sese ad eam observandam obligârant. quod mutatio personæ satis etiam manifestè indicat. Cùm enim antea in tertia locutus esset de omnibus, v:13. in prima persona de se & aliis Iudæis loquitur. Vnde etiam constat, ex hoc loco commentum satisfactionis, potiùs destrui, quàm probari, quemadmodum id disertè docuit Socinus.

Thesi 99. ait: *Et quod Patri suo, patri inquam, patri Christus sanguinem effuderit & solverit (id quod in dativo casu sibi ex scriptura demonstrari jubent adversarii) testatur Apostolus Eph:5.4.1. Cùm inquit: Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, oblationem & victimam Deo (ecce Deo tradidit sese victimam) in odorem bonæ fragrantiæ. Item Hebr.9. 14. Christus per Spiritum æternum seipsum obtulit inculpatum Deo (ecce iterum Deo se obtulit).* Sed ubinám legit Frantzius, quod in Dativo casu jubeamus nobis demonstrari Christum sanguinem suum patri effudisse? Non de casu Grammatico sed de re ipsa sermo est, dum dicimus, ad propriè acceptam redemtionem requiri, ut λύτρον alicui detur. Quia verò in redemtione, quæ per Christum facta est, nemini Christus, vel sanguis ejus, qui λύτρον est, datus sit, hinc apparere asserimus, vocem Redemtionis non propriè sed figuratè accipiendam esse, & liberationem simplicem tantùm significare. Hoc verò num probavit Fr: quod tam audacter ter, suo more, nescio quo, patri, patri, patri Christum sanguinem suum effudisse asserit? Nihil minus. Nihil nunc dico, quòd Frantzius, prolibitu suo, vocem Deus pro patre accipit, quod etiamsi apud nos verum sit, ei tamen, qui non tantùm patrem pro Deo habet, sed etiam filium & Spiritum sanctum, nescio quomodo licebit? Illud consideremus, an Paulus dicat, Christum sanguinem suum patri effudisse. Paulus ait: *Christus tradidit semetipsum pro nobis, oblationem & hostiam Deo, in odorem bonæ fragrantiæ:* At non dicit, Christum sanguinem suum effudisse Deo vel patri. Nam vox *tradidit* non cum voce Deo conjungenda est, ut vult Frantzius: sed per se stare censenda est, & significat, tradidit in mortem, ut etiam alibi. Verba verò sequentia, *oblationem & victimam Deo*, non dependent similiter a voce tradidit, sed novum sensum inchoant, & commendant istam traditionem Christi in mortem, quòd scilicet fuerit res Deo longè gratissima, quemad-

Christus & ejus sanguis nemini dat[us]

Eph: 5. 25.

Quomodo mors Christi appellatur victima

quemadmodum olim grata etiam Deo erant suo modo sacrificia. Locum similem vide Phil: 4, 18. ubi eâdem loquendi formâ, Paulus similiter opus, multò minus hoc Christi opere, commendat. Illud verò quàm turpiter assutum & infartum est, *Et solverit*. Quasi omnis is, qui sanguinem suum effundit, idque, ut vult Frantzius, alicui, eidem etiam solvat aliquid pro aliquo. Credo equidem, si Fr: non pudebit istarum rerum, fore qui hinc agniturus sit eorum fœditatem. Locus denique Heb: 9. quid huc pertinet, in quo de oblatione Christi sermo est, cùm jam a nostris abundè demonstratum sit, istam Christi oblationem, non ad Christi mortem, sed ad ejus in cælo præsentiam spectare? Vbi non nisi Deo se sistere & coram eo apparere potest, quod de morte Christi nusquam legitur.

Thesi 100. infert: *Itaque cum Matth: 20. 28. Christus dicit, se venisse, ut daret animam suam redemtionem pro multis, necessario subintelligendum est, quòd eam Deo pro nobis pretium dederit. Similiter quando Christus dicitur pro nobis esse mortuus, ibi istud nostri loco seu vice, non nostri causâ itidem necessariò interpretari, aut in his jam indicatis vocabulum, Deo, expungere cogimur*. Sed quia ostensum est vocem *Deo* nihil ad rem Fran: in loco utroque citato, facere, quid valet hoc, quod tam audacter necessariò subintelligendum esse contendit Fr:? Fateor equidem, me nunquam aliquem Frantzio similem in disputando vidisse, qui plæraque conjecturis agat & vanissimis ratiunculis, rarò verò aliquid in speciem solidum afferat. Sed en iterum argumentum.

Thesis 101. *Præterea & ex abundanti, sacrificia Vet. Ecclesiæ inde à lapsu fuisse figuras satisfactoriæ mortis Christi, etiam inde roboratur, quia tandem in Ecclesia omnia desierunt. Et huc pertinet, quod Dan: 9. 27. dicitur, quòd Christus cessare faciet sacrificium & oblationem. Et quod Heb: 7. Christi sacerdotium, post quod nimirum aliud nullum restaurabitur aut tolerabitur, quia hoc erat sufficientissimum ideoque satisfactorium plenissimum*. Quid verò hoc etiam insulsius & infirmius? De sacrificiis Vet. ecclesiæ inde a lapsu jam antea dictum est. Nûc, ut res breviter expediatur, vide, quid concedam Frantzio. Esto extitisse sacrificia jam inde a lapsu, eaque fuisse figuras mortis Christi, quod tamen utrumque falsum vel saltem incertum est, num ex eo, quod desierunt, sequitur, eas fuisse figuras Christi mortis satisfactoriæ? Nonné simpliciter ideo cessasse dici possunt, quia res ipsa vel figuratum apparuerit, etiamsi figuratum non fuerit aliquid satisfactorium? Omnis enim figura cessat, exorto figurato. Itaque ad ostendendum, eas jure cessasse, satis est dicere, eas fuisse figuras mortis Christi, qualiscunque

qualis cunque tandem ista mors fuerit. Christi verò mortem satisfactoriam fuisse aliundè ut probetur, necesse est, non ex figuris illius.

Absolutis jam argumentis & responsionibus suis, Frantzius ad quæstionem se confert talem thesi 102. *Vestram denique conscientiam appello Photiniani, utrum etiam Christo opus fuisset tanta potentia & maiestate, si tantummodo illa in terris peragere debuisset, quæ vos ipsi assignatis. Hæc enim omnia alius quidam magnus Propheta complere, & Deus ipse ex morte æterna pios eripere sine tali, ut à vobis fingitur blasphemè, creato alio Deo inferiore potuisset.* Ad hanc libenti animo pauca respondemus. Si omnia ea, quæ Christo paragenda erant, ea tantùm essent, quæ in terris peregit, non opus ei fuisset tanta potentia & maiestate: At quia ea, quæ Christo peragenda erant, & quorum causâ missus a Deo fuerat, multò absque omni comparatione majora illis fuerunt & sunt, quæ Christus in terris peregit, ideo dicimus, tanta ei opus fuisse potestate & maiestate, quantam ei a Deo datam esse scimus & gaudemus. Quomodo enim Christus nos perpetuùm defendere & servare potuisset, nisi talis & tantus esset effectus, qualis & quantus nunc est? Atque ita alterum de Magno propheta futilissimum esse apparet. Non enim quid Deus facere potuerit per alium, sed quid facere ante mundi conditionem decreverit, hîc spectandum nobis est. Deum verò ipsum nos sine Christo servare potuisse quis dubitet? Sed non iterum, quid Deus potuerit, sed quid voluerit, &, ut autor epistolæ ad Hebr: loquitur aliquoties, quid eum *decuerit* facere, semper in divinis expendendum est. Consultum voluit Deus ille unus tum gloriæ suæ, tum consolationi hominum, dum non per se, sed per alium, eumque a se exaltatum, servatos eos voluit. Summa enim Dei potentia, summa sapientia, summa denique bonitas in eo exeritur, quòd per eum, qui homo ipse aliquando fuerat patibilis (ut sic loquar) & mortalis, omnes hominum fidelium infinitas myriades servare possit, nôrit, & velit. Quibus rebus de Deo cognitis, gloria Dei elucescit maximè. Consolatio verò humano generi & inprimis fidentibus, bone Deus, quanta ex eo proficiscitur, quòd sciant, eum esse suum Servatorem, quem non pudeat fratres se suos appellare, & qui omnia ea, quæ ipsis nunc experienda sunt mala, ipse etiam olim expertus sit, ideoque miseris succurrere nôrit? Habet igitur, quod quærebat Fr:. Faxit Deus, ut in Deum & in seipsum injurius esse desinat, negando Iesum Nazarenum, & neminem alium ante vel extra illum, salutis nostræ esse finem & principium, fidei ducem & consummatorem. Quod verò nos *blasphemè id fingere* dicit, optamus, ut Deus ei clementer remittat.

Cur Christum divinam potentiam habere necesse sit.

Hebr. 2. 10. & 7. 22.

Cur Deus per alium nos servare voluerit.

Thesis

Thesis 103. est. *Stat igitur immota sententia, Christum oblatum Patri victimam, cujus morte iratus ipse toti placatus sit generi humano, siquidem hoc sufficientissimum erat sacrificium præstitum ab eo, qui Deus simul erat & homo. Ideo 1. Ioh:1. Spiritus ipse S. absque dubio huc respiciens, verba eadem vult nos considerare, cùm inquit: Sanguis Iesu Christi filii Dei (ecce filii Dei, hoc est personæ quæ Deus simul est & homo) emundat nos ab omni iniquitate, (ab omnibus peccatis* habet Fr:). Hæc thesis, quia nihil planè probat, tanto animo a nobis falsitatis multiplicis accusatur, quanto a Frantzio prolata est. Falsum est, Christum Patri oblatum esse victimam, eo sensu, quo id Frantzius accipit. Nam, secundùm veritatem, Christus hodie etiam offert seipsum Deo pro nobis victimam, ut testatur epist: ad Hebr. Falsum est, Deum iratum fuisse humano generi, cùm Christum misit. Erat enim in Christo, mundum sibi reconcilians. Falsum proinde etiam est, eum fuisse placatum ab aliquo. Falsissimum est, Christum esse Deum & hominem. Stultum est, dicere huc respexisse Iohannem in verbis citatis, quæ nihil cum sacrificio Frantzii commune habere, inde apparet, quòd ibi de tali mundatione per sanguinem Christi facta sermo sit, quæ adhuc durat, ait enim, *emundat nos*. Stultissimum verò, ex voce Filii Dei, talem personam constituere, quæ Deus simul sit & homo, qualis dari nulla potest. Quemadmodum enim Deus sine persona sua esse nequit, sic nec homo. Alioquin homo verus non futurus. Homo enim personâ homo est. Datâ autem personâ divinâ & humanâ, duo erunt Christi, & plures tribus personæ in Deitate. 2. Cor: 5.19.

Thesi 104. & seqq: usque ad 114. respondet Frantzius Sommero neganti, verba Gen: 3. de Christo æterno filio accipienda esse, quia verò nec Sommerus id præcisè negat, sed tantùm in hypothesi; nec, etiamsi tandem concedatur, verba illa per quandam, longissimè petitam allusionem, nunc, posteaquam Christus revelatus est, posse ad eum quoquo modo accomodari, nihil prorsus rem Frantzii juvant, ut hactenus ostensum est a nobis, qui omissâ illâ controversiâ, quomodo hæc verba intelligenda propriè sint, ad omnia respondimus, quæ ex iis Fr: astruere conatus est, nō opus est huic responsioni Frantzii immorari. Quia tamen nimis sibi placet Frantzius in responsione sua ad sententiam Sommeri super hunc locum, quæ per se nullo modo rejicienda est, libet hîc etiam lectoris & veritatis gratiâ aliquid breviter annotare. Summa eorum, quæ Sommerus sentit, ea est. Non constare in verbis Gen: esse promissionem, sed potiùs maledictionem, eamque temporalem: Electionem primam in Abrahamo factam esse, qui pro se & posteritate sua fœdus cum Deo pepigerit, ante Abra-

te Abrahamum nullum Dei populum peculiarem legi: Paulum citantem verbum promissionis ad Abrahamum respicere: Christum denique Abrahæ & Davidis semen dici, Adæ autem aut Evæ nunquam. Ad hæc sic respondet Frantzius.

Thesi 106. *Maledictionem in illis verbis esse, idque ex parte Dæmonis, ut etiam temporales inimicitias hominum & serpentum, iisdem quoad externum sonum denotari, jamdudum concesserunt nostri.* Cur igitur blasphemam censuram Sommeri vocat Frantzius, siquidem idem dicat, quod Sommerus? Num quando affirmat aliquid Frantzius, erit rectum, cùm verò Sommerus, erit blasphemum? Hæc scilicet est præcipitis & præoccupati judicii pœna. Sed addidit Frantzius: *Nihil autem amplius & quidem potissimùm & principaliter promissionis spiritualis in eis verbis contineri, ita sufficienter refutavimus, ut quid contra possint solidè afferre, omnino non sunt habituri.* En tibi responsionem, ad primam objectionem Sommeri, Frantzianam, quæ præter verba, eáque vana & jactabunda, nihil habet. Quid enim soliditatis in eo est, quòd ait, in illis ipsis verbis, in quibus ipsemet fatetur contineri maledictionem, contineri etiam promissionem spiritualis promissionis? Num frigidum & calidum simul ex ore Dei exit? Hanc novam Theologiam, nisi firmis probet vel rationibus vel testimoniis, contineri scilicet posse in iisdem verbis maledictionem & promissionem, quid se & hac sua causa futurum putat apud omnes cordatos? Si promissionem in his verbis contineri velit, maledictionem contineri potiùs negasset, quàm in ejusmodi sese tricas conjecisset incautus. At quæso te Frantzi, ubinám refutasti illud, quòd non contineatur promissum in illis verbis? Si in alio quodam scripto, equidem, quod respondeam, non habeo, cùm id ad manus non sit: si verò in his thesibus te id fecisse credis, insigniter teipsum decipis. Nihil enim a nobis dictum fuit de eo, quòd non contineatur in loco isto promissio; & ea, quæ sponte tua dixisti, ipsissima sunt vanitas, nedum ut pro sufficienti refutatione haberi a quopiam possint. Itaque vides lector, quanta cum confidentia dixerit Frantzius, omnino nos non habituros, quod contrà solidè afferre possimus.

In verbis Gen: 3. nulla est promissio.

Ad alterum respondet thesi 107. *Quòd ante Abrahamum nullus legatur populus Dei peculiaris, falsissimum est. Siquidem sicut Deus Abraham, ita Deus Sem ante Abrahamum utique propter pares causas nominetur, Gen: 9. 26. Et an non fuit peculiaris populus ante diluvium, cùm Gen: 6. 2. manifestissimè secernantur filii Dei à filiabus hominum, hoc est, Sethitæ à Cainitis?* In hac responsione puerilis est æquivocatio in voce *peculiaris*, quam modo excellentiori accipit Sommerus, minùs

excel-

excellenti Frantzius. Nam ante diluvium, erat quidem populus Dei peculiaris suo modo, quatenus scilicet aliqui diuinam sequebantur voluntatem, reliqui verò non: sed tamen a Deo non erant ita electi, & ab aliis segregati per fœdera cum ipsis & non cum aliis pacta, quemadmodum factum est tempore Abrahami, quo Deus repudiatis reliquis, cum Abrahamo solo fœdus, interposito circumcisionis signo, pepigit, & ejus posteros in populum peculiarem adoptavit. Illud verò infirmissimum est, ex eo, quòd Deus, Deus Sem nominabatur, ut Deus Abrahami, concludere, id ob pares causas factum esse. Cùm constet, Deum diverso modo posse esse diversis hominibus Deum, hoc est, benefactorem & gubernatorem.

Qui sint propriè populus Dei peculiaris.

Similiter etiam vanum est, quod ait thesi 108. *Electionem in Adam, in Seth, in Noah, in Sem, & cæteris patriarchis ante & post diluvium sæpissimè factam fuiße, Gen: 5. & 11.* Nihil enim tale in locis illis habetur, quale de Abrahamo legitur, cui Deus promisit, si coram se ambularet, se ejus posteritatem ita multiplicaturum, ut stellas cæli, & ad confirmationem istius promissi, fœdus cum eo percussit, circumcisionis scilicet. Imò quæ antea de viris sanctis leguntur, non tam singulari Dei voluntate, quàm ipsorum spontanea pietate absque Dei singulari præcepto facta fuisse, nemo puto diffitebitur. Gen: sanè 5. tantùm ii recensentur & eorum anni, qui post Adamum usque ad diluvium vixerunt primarii. cap: verò 11. itidem recensentur ii & eorum anni, qui vixerunt usque ad tempora Abrahami celebres, ut mirum sit Frantzium ita imprudenter effutire, quicquid ei in buccam venit.

Sed adhuc Sommerum premit thesi 109. dum ait: *Id verò, Abrahamo primùm fuiße promißum Messiam manifestè pugnat cum Lucæ cap: 1. 55, 70. Act: 3. 21. ubi dicitur, quod de Messia locutus sit Dominus per os omnium sanctorum, qui fuerunt à seculo, prophetarum suorum.* Ergo fuerunt etiam prophetæ, propriè sic dicti, ante Abrahamum? cur verò id non annotavit ex scriptura Frantzius? Si verò ob rerum divinarum vel etiam interdum futurarum scientiam quandam prophetas appellari velit eos Frantzius, qui ante Abrahamum fuerunt, viros sanctos, hoc nihil aliud est, quàm verbis ludere. Prophetas enim propriè appellat scriptura sacra eos, qui ad hoc ipsum a Deo vocati erant, & quorum hoc proprium munus erat, ut futura populo Dei prædicerent, quales extitisse ante Abrahamum, non video, quomodo quis jure affirmare possit. Imò, nec ipsum Abrahamum contineri in verbis Zachariæ, nihil dubito. Non fuit enim Abrahamus propriè ad id vocatus, ut futura, quæ sibi a Deo essent revelata, aliis prædiceret, quanquam nec hac scientia caruit, & idcirco propheta etiam appellatus est.

Quis sit propheta propriè.

Gen: 49. Quemadmodum etiam Iacob aliqua futura prædixit, & tamen propheta nusquam appellatur, nec revera fuit. Nam ab eo homines denominantur, quod ipsorum proprium est, & quod potissimùm tractant, non verò ab illis rebus, quas interdum & per accidens agunt. Si denique aliquid ponderis ponit Fr: in verbis *a seculo*, quasi scilicet ad ipsum mundi exordium referri possint & debeant, vehementer errat. Quis enim nescit, verba *à seculo*, partem temporis præteriti non exiguam quidem, sed tamen non omnem significare. Vide hæc loca inter alia.

Gen. 6.4. Esa. 64.4. Ierem. 2.20. Psal. 118.52.

Thesi 110. sic interrogat: *Et quænam esset ulla causa, cur Abrahamo primùm fuisset promissus Messias? Quidnam tum toti generi humano noxium contigit? Certè pro Sommeri hac defendenda audacissima assertione nullam idoneam ullus Photinianus excogitare valebit rationem. Quin potiùs ex ea quoque similitudine firmissimè concludimus, à Deo Messiam ipsum statim Adamo non in mente Dei saltem destinatum, sed omnino apertè promissum fuisse, siquidem, ut alia multa, ita quoque sacrificia longè ante Mosen & Abrahamum utique ab Adamo, statim mactabantur, Gen:4.4. & à Noah, Gen:8.20. ut ita is verè sit agnus occisus ab origine mundi, Apo:13.8.* Nunquam ita ineptè & pueriliter se gereret Frantzius, si, quod defendendum suscepit, verum esset. Quæ enim hæc ratiocinatio est? Nullus Photinianus poterit excogitare rationem, quare Abrahamo primùm Messias promissus sit. Ergo nulla causa justa est. Esto, neminem nostrûm talem esse; si alius quis eam perspicere posset, vel ipse Frantzius, nonné esset reipsâ causa? vel etiamsi nemo prorsus causam istam perspicere posset, num hinc sequeretur, nullam esse posse vel esse? nihil minùs. Plura enim esse, quàm sciantur, quis nescit? Errat autē in eo Frantzius, & sibi imponit hac ratione, dum credit Messiam ob aliquam noxam humano generi esse promissum, cùm tamen jam scire deberet, Messiam prædestinatum fuisse ante mundi constitutionem; & etiamsi nemo hominum unquam peccasset, tamen mittendum fuisse, non ut damnum aliquod illatum sarciret, sed ut hominem, quem Deus e terra mortalem creare constituerat, ad perfectionem, ad quam Deus in consilio suo tendebat, hoc est, ad immortalitatem perduceret. Non enim omnia simul & semel homini danda erant, sed successivè, ut tantò major Dei benignitas in salutis nostræ negotio appareret. Sed præterea necesse non est, omnium Dei actionum rationem dari posse. Nam qui hoc de Deo statuit, eum, ipsius judicia & vias esse impervestigabiles, negare oportebit. Porrò quæ ista præsumtio est, quâ jam toties utitur Fr: & seipsum & animi sui impotentiam prodit apud perspicaciores,

1 Pet: 1.20. Consilium Dei de mittendo Messia, quando cœperit & quale fuerit.

Rom: 11.33.

quòd

quòd tantum tribuit suis, certè non cælo lapsis, assertionibus, ut promittat, neminem nostrum aliquid excogitaturum, vel potiùs allaturum ex sacris literis vel ex sana ratione, cur Deus Abrahamo primùm Messiam promiserit? En dicam ego, qui me libenter infimis annumero, quod sentio: Deum, pro sua sapientia & justitia (quarum in omnib⁹ actionibus suis non potest rationem nō habere accuratissimam) voluisse isti homini, nēpe Abrahamo, ex mente sua, promissi primū principiū dari, primùm quia omniū credentium prim⁹ fuit, ita ut neminem omnino parem proculdubio in fiducia erga Deū haberet; & quia fædus cum eo percutere singulare volebat, hujus etiam promissi, multis post seculis dandi, aliquā delineationē & umbram, in ista promissione, quam Abrahamo fecit, extare voluit. Deinde & hæc causa dari potest, quòd Deus voluerit hoc ipso indicare, Messiam omnibus promissum, solis tamen fidelibus tantùm reipsa profuturū; quod, si alicui alii, adeoque ipsi Adamo, promissus fuisset, non ita apparuisset. Hoc Dei sapientia & justitia dignum fuisse, & proinde pro causis non minimi momenti haberi posse, nemo sanæ & piæ mentis negabit. Quas si non improbaverit Frantzius, habebit, quod se habiturum non sperabat: sin minùs, alia, quæ diximus, pro responsione habeat. Ab Adamo usque porrò sacrificia mactata fuisse, falsum est. Ex eo, quòd sacrificia ante Abrahamum & Mosen extiterint, Adamo fuisse promissum Messiam, idque apertè, quis concedet Frantzio? Nam etiamsi tandem sacrificia extitissent ab Adamo usque, & omnia Christum & ejus mortem figurâssent, nondum tamen confectum esset, Adamo apertè promissum fuisse Messiam. Poterat enim idem tandem fieri, quod figurabant sacrificia, etiamsi homines, qui sacrificia offerebant, nescirent, quò ea tenderent; & si tandem tamen promissum aliquod Messiæ ex istis sacrificiis elici posse, dicatur, (quod tamen absurdissimum & planè ἀνακόλουθον est) nimis liberaliter locutus est Frantzius, qui dicit, id apertè promissum fuisse, quod sub mille involucris tectum latebat. Dixerat sub finem thesis hujus Frantzius, *Ita ut sit agnus occisus ab origine mundi*, quia scilicet omnia sacrificia ab initio mundi Christum figurârint, & locum Apoc: 13. adduxerat, quasi scilicet is confirmet, quod ille affirmat, Christum esse mactatum ab origine mundi. Quia verò legerat nostram ad illum locum responsionem, quam etiam suprà brevibus repetiimus, ita ad eam respondet thesi III.

Cur promissiones Messiæ ab Abrahamo inceperint.

Nec valet, quicquid contra pugnat Socinus de Servat. quasi verba ab origine mundi ad similitudinem illius, quod legitur Apoc: 17. 8. pertineant ad illas voces, quorum nomina scripta non sunt, scilicet, ab orbe condito. Nam si ex hypothesi hoc concedamus, tum eadem tamen manet sententia.

sententia. Nec enim poterunt ab orbe condito scribi nomina in libro vitæ agni, nisi ex natura correlativorum simul ab orbe condito mactatus fuisset agnus, in cuius libro vitæ illi ab orbe condito inscribi debuissent. Ego vero miror, Frantzium dicere audere, eandem sententiam manere, sive vulgari more, sive eo, quem nos urgemus, verba disponantur. Nam si vulgari more disponantur, sequetur, Christum esse mactatum ab origine mundi: si verò eo, quem nos urgemus, sequetur, omnes adorasse bestiam, quorum nomina non sunt scripta ab orbe condito in libro agni mactati. Et qui diversitatem harum locutionum non videt, eum, sibi ipsi oculos claudere, jure dici potest. Iam si dicat Frantzius, nihilominùs ex ea sententia, quam nos afferimus vel quam secum affert nostra verborum istorum dispositio, constare suam opinionem, hoc primùm longè aliud est. Facilè enim fieri posset, ut quis loci alicuius diversum ab aliis sensum afferret, & tamen nihil eo adversarii opinioni noceret. Sed deinde hoc planè aliter se habet. Falsum enim est, non potuisse scribi homines in libro agni a condito mundo, nisi agnus simul mactatus fuisset ab orbe condito. Satis est agnum tunc fuisse sive reipsâ sive prædestinatione, quæ apud Deum tantundem valet, atque ipsa præsentia ad id, ut homines inscribi in libro ejus potuerint. Quod verò mactatus est agnus, hoc non respectu temporis, quod ejus nativitatem & mortem antecesset, intelligi potest, sed respectu temporis, quod tunc, cum Iohannes ista scriberet, labebatur, quo scilicet agnus ille, in cujus libro quidam erant scripti, quidam non a constitutione mundi, jam mactatus fuerat.

De loco Apoc. 13. 8.

Thesi 112. ad ultimam obiectionem Sommeri respondet hoc modo: *præterea Christum tantummodo nominari semen, & quod idem est, filium Abrahami & Davidis, non autem simul Adæ & Evæ falsissimè dicitur, & ex diametro pugnat cum genealogia Christi, quæ ad plurimos cognatos Christi secundùm carnem extenditur Matth: 1. & in specie etiam ad Adamum Luc: 3. 38.* Locus Matth: 1. nihil juvat Frantzium. Falsum enim est ibi ad plurimos cognatos Christi, qui scilicet sint extra vel ante Abrahamum & Davidem extendi ejus genealogiam. Imò disertissimè sic loquitur Apostolus. *Liber Generationis Iesu Christi filii David, filii Abraham.* Miror igitur, qua fronte Frantzius aliquid ad sacrarum literarum sensum & verba assuere potuerit. In specie autem extendi eandem Christi Genealogiam etiam ad Adamum Luc: 3. 38. non probat, eadem ratione Iesum esse filium Adami, ut est Abrahami & Davidis. Et parum omnino est, Christum generalissimo modo Adami filium nominari (hoc enim omnibus & singulis competit) nisi etiam doceatur, eum ita fuisse Adami filium ut Abrahami & Da-

Cur Christus Abrahami & Davidis filius: nō verò Adami dicatur.

& Davidis, quorum filius ideo Christus nominatur, quòd illis singulari & miraculoso modo promissus fuerat, Abrahamo scilicet ex uxore sterili & emortua in persona Isaaci, Davidi verò jam jam morituro, & qui post mortem ipsius nasciturus erat, quale nihil de Adamo legitur.

Hîc jam relinquit Frantzius Sommerum, & ad objectiones Socini & Ostorodi quasdam præcipuas revertitur, quibus *Christi meritum* (ut ille sentit) *blasphemè oppugnant.* Ad quod ita respondeo. Non Christi meritum oppugnant Socinus & Ostorodus. Nullum enim esse docent, ideoque nec blasphemare illud possunt. Blasphemia enim in talibus, præsupponit semper scientiam: Sed sententiam eorum, qui Christi meritum aliquod confinxerunt, falsam absurdam & perniciosam esse docent. Sed audiamus Frantzium: Facit igitur nos interrogantes thesi 115. ubinam scriptura doceat, Deum propter lapsum (nempe Adami) toti generi humano fuisse iratum redditum, & respondet: *ibi extare hoc, quando Deus comedentibus de arbore vetita minatur hoc, quòd morte morientur, scilicet primi parentes, & simul omnes eorum posteri. Ex hoc dicto,* ait, *mutuatur illam suam sententiam Apostolus* Rom: 5. 12. *sicut per unum hominem peccatum in mundum introiit & per peccatum mors (scilicet in totum mundum introiit.)* Hîc primum accuso negligentiam Frantzii, qui locos illos ex Socino & Ostorodo non allegârit, ubi ita interrogent? istiusmodi enim interrogatio nuda valdè captiosa est. Nunc verò dico, nihil respondere Frantzium, dum locum Gen: 2. allegat: *quacunque die comederis* (de arbore scilicet vetita) *morte morieris.* Hæc enim verba ad solum Adamum pertinent: Quæstio verò est, ubi scriptura doceat, Deum, non Adamo, sed propter lapsum Adami, toti humano generi, fuisse iratum redditum. *At Ostorodus*, inquit Frantzius, *ipse ea sic explicavit: Morientur scilicet primi parentes & simul omnes posteri eorum.* Cedò locum, Frantzi, & tunc respondebimus, si opus fuerit. Si dicat, Ostorodum affirmare, Adamum per peccatum suum semet ipsum & posteros suos beneficio immortalitatis privasse, fatemur hanc esse nostram sententiam: Sed hoc aliud est ab eo, quod quæritur, An Deus iratus redditus fuerit toti generi humano ob lapsum Adami? Potuit enim Adam privare posteros suos beneficio immortalitatis, quæ contingere ipsis divina benignitate poterat, etiamsi Deus non fuerit iratus toti humano generi. Nam non ideo omnes posteri Adami mortui sunt, quia peccatum illis Adami, a Deo irato reddito, imputatum fuerit, sed quia ex patre, morti æternæ obnoxio, nati erant, & ita natura rei ferebat, ut pater sobolem se-

Cur posteri Adami morti sint obnoxii, unà cum Adamo.

p. Krell. 2, 624.

Cur Deus permiserit, ut unà cum Adamo omnes essent morti obnoxii.

lem se præstantiorem, quoad naturam, non gigneret. Quod Deus mutare noluit, tum ut appareret, se non teneri dare cuiquam vitam æternam, tum quia hanc rem typum rei futuræ in Christo consolationis plenissimæ esse voluit, nempe ut, quemadmodum ex Adamo nati necessariò moriuntur, etiamsi non ita peccârint, ut Adamus: sic etiam ex Christo spiritualiter nati, hoc est, in Christum credentes, unà cum Christo vivificarentur, etiamsi non ita obediant, ut Christus; qua de re prolixè Apostolus Rom: 5. disserit. Qui locus frustra etiam a Frantzio citatur, cùm in eo nihil aliud dicatur, quàm mortem in omnes transiisse, in quam scilicet Adamus ob peccatum inciderat. Eam autem tanquam pœnam omnibus hominibus, a Deo irato reddito propter Adami lapsum, immissam esse, nec ibi nec uspiam alibi dicitur, ideoque pro audaci & ridiculo habendus est Frantzius, qui sic ait Thesi sequenti 116:

Ecce igitur, Fauste Socine, tuque Christophore Ostorode, habes breviter, quoad sensum, & quoad rem ipsam ex scriptura satis apertè, Deum propter peccatum Adami toti toti toti generi humano, ab Adam ad ultimum usque diem futuro, factum fuisse infensum seu iratum, idque statim in paradiso. Hactenus, inquam, Frantzius audax est, cum nihil ejus, quod se apertè probasse affirmat, probaverit; & tamen illud suum *Ecce* jactabundus asscripserit. Dum verò addit amplius: *Quin & propter hanc iram Dei in totum genus hominum, qui unquam nati fuerunt & nascentur (excepto Christo) sese diffundentem, omnes creaturæ hominibus omnibus & singulis unquam futuris factæ sunt hostiles, & suspirant. Rom:* 8. 22. Nonné ridiculus est, & fabulam anilem narrando risui sese exponit omnibus? Verba Pauli sunt: *scimus enim, quòd omnis creatura ingemiscit & comparturit usque adhuc.* Videamus, quia locus insignis est, quid de eo Frantius sentiat: Videamus etiam, quid de eo sentiendum sit. Mentem suam exposuit nobis Frantzius, verbis, quæ ex thesi ipsius asscripsi. Quæ quàm sit fallax, vix credo me satis explicaturum. Primùm enim loco *omnis creaturæ* scripsit, *omnes creaturas.* Cùm ista inter se differant. Omnes enim creaturæ diversi generis creaturas præsupponunt. Omnis autem creatura non item. Nã *omnis* non semel in sacris literis pro re tota vel universa sumitur, ejusdẽ scilicet speciei, ut cùm dicitur, omnis Iudæa, Ierosolyma, et omnis fides pro universa Iudæa, Ierosolyma & fide. Deinde, quia omnes creaturas omnibus hominibus hostiles factas esse ait, apparet eum per omnes creaturas, tantùm creaturas brutas & inanimatas intelligere, cujus rei exemplum nullum allaturus est. Nam si de Angelis etiam id intelligi velit, frustra id erit, cùm Apostolus dicat de eadem creatura, quæ

Explicatur locus Rom: 8. 22. Errores Frãtzii circa hunc locum

Matth: 2. 3. & 3. 5. 1. Cor: 13. 2.

ra, quæ ingemiſcit, eam liberatam iri in libertatem gloriæ filiorum Dei, quod de angelis dici poſſe, nemo, ut puto, affirmare audebit. Tum omnes creaturas factas fuiſſe hoſtiles, id nec his verbis conceptum eſt ab Apoſtolo, nec ex illis, quæ hîc ſcripta ſunt, colligi ullo modo poteſt. Verbis his conceptum id non eſſe, res ipſa loquitur. Vnde verò colligi hoc poſſe ſperavit Frantzius? *ſuſpirant*, dicet. At non additur contra quem ſuſpirent; nec, quòd contra aliquem ſuſpirent, dicitur. Quomodo igitur contra omnes homines ſuſpirent? Eſto autem, ſuſpirent contra homines: num inde neceſſariò ſequetur, eas habere animum hoſtilem adverſus illos? Nihil minùs. Dari enim ſuſpirationem abſque animo hoſtili nemo non videt. Sed quid ego concedo tacitè, creaturas brutas & inanimatas ſuſpirare? Frantzius eſt, qui talia nobis pandit myſteria, ſcilicet. Ego verò parum eum attendere, quid dicat, credo, qui ſuſpiria propriè tribuat rebus vel ratione vel vitâ etiam carentibus. Sed concedam, omnes creaturas ſignificare ſolas brutas & inanimatas; concedam idem eſſe ſuſpirare & hoſtilem factum eſſe; concedam eas hoſtiles factas eſſe omnibus hominibus, unde tandem illud probabit Frantzius, eas propter hanc iram Dei in totum humanum genus ſeſe diffundentem, hoſtiles factas eſſe hominibus omnibus? Agnoſcet ſpero Frantzius, ſe id dixiſſe, quod defendi nullo modo, exagitari autem prolixè poſſet, ſi is eſt Frantzius, quem ego eum eſſe ſentio. Hactenus de Frantzii ſententia. Nunc quid de hoc loco ſentiendum ſit, brevibus accipe. Per creaturam homines intelligimus, eoſque Chriſtianos tantùm & fideles. Tribuitur enim ei primum ἀποκαραδοκία, hoc eſt, expectatio anxia, quæque fit ex certo capite, quod non niſi de hominibus jure dici poteſt. Deinde vanitati eam ſubjectam eſſe dicitur, non volentem; tum ſpes ei tribuitur; denique gemitus & dolor parturienti ſimilis de ea prædicatur, quæ omnia non niſi de hominibus ratione præditis, & plæraque de fidelibus tantùm prædicari poſſunt. Hanc creaturam Apoſtolus ait v:18. exiſtimare, non eſſe dignas afflictiones hujus ſeculi, quas Chriſti cauſâ patitur, ad gloriam, quæ debet revelari in illis, propterea, quia anxiè expectet illud tempus, quo filii Dei, qui nunc latent, manifeſtari debent, hoc eſt, quando ipſa creatura debet revelari & conſpicua fieri. Ponitur enim per Hebraiſmū antecedens, verbis quidem diverſum, reipſa verò idem, pro relativo, hoc eſt, creatura, loco *nobis*, ut etiam infrà loco *nobis*, repetitur, *electi Dei*, v: 32.33. Qui fideles nũc ſunt ſubjecti afflictionibus, non ſponte ſua, ſed ob voluntatem Dei, qui hac via ipſos ſervare decrevit, & afflictionibus ſubjecit, ſub ſpe ſtanti boni, quòd, ut angeli & Chriſtus, vel etiam ipſe Deus, liberi nunc

Quid ſit creatura omnis Rom: 8

sunt a corruptione, ita etiam ipsi fideles olim sint liberi futuri a servitute corruptionis & cooptandi in libertatem gloriosam suam, interim verò omnem creaturam in hoc mundo simul gemiscere & simul parturire. Est enim in Græco συστενάζει, & συνωδίνει. Idque ita verum esse, ut non tantùm fideles Christi vulgares, verùm etiam illi, qui primi inter eos tunc erant, (quod Paulo est, spiritus primitias habere) nempe Apostoli, in semetipsis gemuerint, expectantes illud idem, quod omnes alii Christiani, nempe liberationem a tanto malo per beatam illam immortalitatem. Quæ omnia ita se habere, pluribus demonstrari posset, nisi hujus scriptionis ratio habenda esset, & nisi jam alio in loco a nostris, & a me etiam in Commentario super hanc Epistolam Pauli id præstitum esset. Iam igitur ad thesin Frantzii 117. pergamus, quæ talis est:

Ejusdem sententiæ est, quando suo tempore, Rom:3.9,19. Apostolus arguit totum mundum, sub personis Iudæorum & gentium, & dicit, omnes esse sub peccato, & addit: *Scimus, quòd, quæcunq; lex loquitur*, (*habet*, est apud Fr:) *iis qui in lege sunt dicit: ut omne os obturetur, & obnoxius fiat totus mundus Deo* (Fr: habet, *condemnationi Dei*) *non enim est justus, ne unus quidem v: 10.* Primùm, quomodo ejusdem sententiæ est hoc cum præcedentibus, cum hîc nulla mentio fiat causæ, cur omnes sub peccato sint, cujus mentionem fieri in locis thesi præcedente annotatis Frantzius dixerat? Facilè enim fieri potest, ut homines sint sub peccato omnes, & tamen Deus illis non irascatur, & multò minùs ob lapsum Adami. Deinde si ejusdem est sententiæ, quod hac thesi affertur cum præcedentibus, eam, quam ad præcedentia responsionem attulimus, huc etiam transferat Fr:. Sed sciendum est, longè alio sensu dici posse, homines esse sub peccato, quàm in omnes homines mortem transiisse, interveniente Adami lapsu. Hoc enim absque omni culpa hominum fieri poterat, &, ut ita fieret, Deus volebat, ut Paulus Rom:5. ait, nempe quòd mors regnârit etiam super eos, qui non peccârunt, non secus ac super Adamum, qui peccavit, ut hac in re typus esset Christi, in quo etiam servabuntur illi, qui non fuerunt Deo obedientes nempe perpetuò & perfectè, non secus ac Christus, qui perfectissimè Deo obedivit: illud verò non sine culpa hominum factum est. Vnde etiam Paulus, postquam dixisset, omnes esse sub peccato, mox ea addit, unde constat, hominum culpâ id omnino factum esse, dum ait: *Sicut scriptum est: non est justus neque unus*, &c. usque ad v: 19. Breviter, nihil hîc de fictitio illo vestro originis peccato dicitur, sed de vero peccato, nempe actuali, sermo est. Itaque nihil ad propositum facit locus. Quid verò est, quòd Fr: ausus fuit adjuvandam

Peccato obnoxium, & sub peccato esse differunt.

vandam causam malam addere hoc malum, dum verba textui infarcit, quæ ibi non habentur, nempe ut obnoxius fiat omnis mundus *condemnationi Dei*. Sperare saltem potuit, homines consideraturos, quid affirmetur & quomodo id probetur, nec hac ratione suam vel negligentiam, vel etiam aliquid gravius prodere, & causam suam omnibus piis & cordatis suspectam reddere ullo modo debuit, quanquam & alios hujus culpæ complices habet. Bezâ.

Thesis 118. est. *Si vultis etiam τὸ ῥητὸν, seu verbum aliquod tot syllabis seu literam, quæso perpendite quod in N.T. iterum de toto humano genere loquitur Iohannes Baptista, &c. Ioh: 3.36. Qui non paret Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Si enim super quibusdam manet ira Dei, utique quod super omnes sese jam dudum diffuderit & extenderit ira Dei, aßerere neceßarium fuerit.* Hîc primùm pueriliter se gerit Frantzius, dum, τὸ ῥητὸν probaturum se, affirmat, quod tamen nemo ab illo postulat, nec ipsemet thesi 115. a nobis postulari confessus erat: Et si τὸ ῥητὸν peteremus, non unius tantùm vocis iræ, vel iræ Dei, sed totius orationis, nempe Deum propter lapsum Adami toti generi humano fuisse iratum redditum, postularemus, cujus τὸ ῥητὸν non facilè demonstrasset Fr:. Deinde ineptè se gerit, & fallere alios conatur, dum pro eo, quod probandum ipsi erat, secundùm thesin 115., Deum propter peccatum Adami toti humano generi fuisse iratum redditum, simpliciter probat, Deum iratum fuisse. Poterat enim Deus iratus esse humano generi, nec tamen propter lapsum Adami, sed ob ipsorum propria peccata. Deniq; imperitè planè probat Frantzius, quòd Deus humano generi iratus fuerit. Quæ enim hęc est consequentia, ira Dei manet super eum, qui filio non paret. Ergo ira Dei super omnes jam dudum sese extendit, &c. Certè verba Iohannis, & de ira Dei, quæ tunc cæptura erat, cùm homines in Christum credere recusaturi essent, & proinde de iis tantùm hominibus, qui in Christum credendi occasionem habere potuerunt, intelligi posse & debere, nemo cordatus, a nobis ita monitus, negaturus est, ut sensus sit: Qui credit Filio habet vitam æternam: Qui verò non paret ei, non est habiturus istam vitam æternam, sed supplicia divina, quæ Deus inobedientibus Christo constituit, certo certiùs talem hominem manent, & nulla ratione ab eo averti poterunt. Manet enim tam illud, quod recens constitutum non mutatur, quàm id, quod olim constitutum fuerat & non aufferetur.

Ira Dei, quæ manet super infideles, qualis sit.

Thesi 119. primùm ait. *De ira Dei adversus quotidiana specialia peccata individuorum & gentium non adducemus testimonia scripturæ*

utpote, omnibus passim obvia. Iure hoc dicit Fr:. Quid enim hoc ad propositum nostrum? Voluit fortassis persuadere alicui hac sua oratione Fr:, nos negare, Deum irasci peccatis specialibus hominum & gentium. Sed hoc nimis crassum esset. Addit autem, orsus extra oleas vagari, hæc verba: *Ideo autem in hac ira Dei asserenda estis impiè remissi Photiniani, quia peccatum originis negatis turpiter, & homini attribuitis vires præstandi obedientiam debitam legi, idque utrumque facitis contra scripturam.* At hoc primùm non est disputare Frantzi, sed conviciari, quod non decet Christi discipulum & Theologiæ Professorem. Itaque mentem tibi a Deo meliorem precamur. Deinde quomodo remissi sumus in ira Dei asserenda (vocem *impiè* non refuto, nam asscripsisse eam satis est hominibus cordatis, &, quid cœtus nostri de Deo sentiant, & quomodo eundem colant, non planè ignorantibus) si tantum de illa dicamus, quantum docent s. literæ? Peccatum originis negamus, sed an turpiter, suprà disput: 2. ostensum est. Equidem, turpissimè peccatum originis affirmari, sentio, utpote quod nec literis sacris nec rationi sanæ consentaneum sit. Nos attribuere homini vires præstandi obedientiam debitam legi, captiosè & fallaciter dictum est. Ita enim sonant hæc verba, ac si sufficientes vires homini attribueremus præstandi obedientiam debitam legi, cùm tamen eas valde exiguas per se & naturâ esse affirmemus, ut ex cap: 5. Prælectionum Socinianarum videre est. Et si tamen legi Dei hominem obedire posse dicimus, id auxilio divino multiplici acceptum referimus. Deinde verba illa præstandi obedientiã debitam legi sunt etiam ita obscura, ut quis suspicari possit, nos sentire, hominem posse talem obedientiam præstare, qualem lex (nempe Mosaica) requirit. Cùm tamen nos cum Paulo profiteamur, impossibile fuisse propter carnem, legi Mosaicæ ita obedire, quemadmodum id ea requirebat. Non obedientiam igitur, qualem lex requirebat, sed qualem Deus sub Evangelio requirit, & in qua etiam sub lege acquiescebat, licet id non revelasset, quæ est, ut non secundùm carnem sed secundùm spiritum ambulemus, & ad perfectionem perpetuò aspiremus, credimus, hominem præstare posse & teneri. Nec enim frustra id Deus præcepit, & ab omnibus exigit, quicunque servari volunt.

Vires hominis ad obediendum Deo quales.

Qualis obedientia sit possibilis & necessaria.

Thesi 120. ait Fr: *Secundò à nobis petunt ubi scriptura doceat, quòd Christus justitiæ Dei pro nobis satisfecerit, ubinam hoc extet verbum, &* respondet: *illud ibi doceri, quando Christus vocatur victima & oblatio.* Ergo teste Frantzio nusquam extat verbum satisfaciendi, si ibi docetur satisfactio, quando Christus victima & oblatio appellatur? Quod sanè, dogma illud non parum suspectum reddere apud pios & cordatos po-

Satisfactionis vox nusquam extat in sacris literis.

tos potest. Sed deinde quomodo probat Frantzius, ex eo, quòd Christus appellatur victima & oblatio, consequi, Christum justitiæ Dei pro nobis satisfecisse? Num hæc est natura victimarum & oblationum, ut justitiæ Dei pro hominibus & peccatis eorum satisfaciant? Atqui hac re nihil absurdius excogitari potest. Nemo enim Dei justitiæ satisfacere potest, nec ut ei satisfiat a quoquam, licet talis quis esset, qui ei satisfacere posset, opus est; nec denique justitia talis in Deo est, quæ satisfactionem aliquam requirat. Commenta sunt ista omnia humani cerebri. Addit quidem Fr: in thesi: *Verbo igitur satisfaciendi tanquam συμπλοκῇ seu complexu comprehendit Ecclesia omnia illa, quæ sparsim in V.T. typicè victimis typicis & hinc inde sparsim in utroque Testamento Christo per typos illos adumbrato, non Metaphoricè vel Metonymicè sed propriè & realiter attribuuntur, quòd portârit & expiârit omnia peccata mundi tam futura quàm præsentia & præterita, quòd placârit mundo Patrem & plagas averterit omnes, sicut thesi 97. commonstratum fuit.* Sed quid verbis proficitur, ubi rationes nullæ afferuntur? Quænám est illa Ecclesia, cujus nos hîc autoritate tacitè premit Frantzius? Fortassis illa Catholica Romana. Hæc enim sola sibi arrogat autoritatem quidvis statuendi de religione absque ratione & præter rationem. At huic valedixit Frantzius. Ne igitur novam nobis obtrudat. Non quid Ecclesia dicat, sed quid dicendum sit, quæritur. Nam quod Ecclesiæ alicui sine ratione affirmare licet, hoc semper etiam negare ei licebit, qui ex sola sacrarum literarum autoritate vult pendere. Quid porrò est principium petere, si hoc non est, dum dicitur, Christo propriè & realiter tribui, quòd portârit omnia peccata mundi? Quid est fallacia, si hoc non est: Christus portavit peccata, ergo pro eis satisfecit? Quid est audacia, si hæc non est: Christus placavit Patrem mundo, cùm nusquam id disertè extet scriptum; & placatio cum satisfactione nihil commune habeat, cùm is etiam placari possit, cui tamen minimè satis fit? Quid est denique declinare arenam, si hoc non est, remittere lectorem ad thesin aliam, in qua nihil ejus habetur, quod est in quæstione? Thesis enim 97. ut est a Frantzio proposita, nihil aliud habet, quàm locos aliquos, vel aphorismos, ut ait Frantzius, sacrarum literarum, in quibus affirmatur, *Christum eße agnum Dei, qui tollit peccata mundi, Christum peccatum factum, vel execrationem, Christum portaße peccata nostra,* & his similia, quæ omnia nemo non agnoscit esse verissima; quomodo verò ex istis locis consequatur, Christum satisfecisse, nec Frantzius docuit, nec docere ullo modo potest. Non aphorismis s. literarum opus est Frantzi, hi

tzi, hi enim satisfactionem nullam meminerunt, sed argumentis, quibus ista doctrina satisfactionis fictitiæ demonstretur.

Thesi 121. addit. *Suo enim sacrificio omnia illa præstitit, quæ omnia alia sacrificia, à mundo usque condito celebrata, typicè præstitiße perhibentur. Semel quippe seipsum obtulit & effecit, ut neceße non sit amplius quotidie victimas plures pro peccato offerre, Heb:*7.27. Primùm falsum est, Christū omnia sacrificio suo præstitisse, quæ omnia alia sacrificia a mundo usque condito celebrata typicè præstitisse perhibētur. Multa enim fuerunt sacrificia, quæ Christi typus nullo modo fuerunt, nec esse potuerunt. Deinde etiamsi id verum esset, nulla tamen hinc satisfactio extrueretur. Cùm nusquam scriptum extet, sacrificia illa antiqua pro re aliqua satisfecisse Deo vel divinæ justitiæ. Taceo quòd Frantzius mortem Christi pro sacrificio ejus accipit. Hoc autem falsum esse paulò infrà docebitur. Illud etiam quàm ineptum est, sacrificia, quæ a mundo usque condito celebrata fuerunt, typicè aliquid præstitisse? Typi quidem fuerunt sacrificiorum futurorum & ipsius Christi etiam, sed non typicè aliquid præstiterunt. Reipsa enim aliquid præstiterunt illis, qui ea peragebant.

Thesi 122. *Tertiam nostram facit quæstionem, ubinám legatur in Bibliis, quòd legem pro nobis impleverit Christus.* Hîc antequam responsionem Frantzii audiamus, hoc observandum est, quod dolum ipsius prodit, & responsionem ipsam ineptam esse arguit. Non enim quærimus, ubi legatur, quòd Christus pro nobis legem impleverit: sed ubi legatur, quòd Christus *loco nostri* legem impleverit, hoc enim ad satisfactionis commentum stabiliendum requiritur, quod neque allegata a Frantzio testimonia, nec ulla alia docent. Quanquam neq; hoc, quòd pro nobis etiam qualicunq; modo legem impleverit Christus, testimoniis allegatis continetur. Sed ipsa verba Frantzii addamus. *Resp. Vide clarissimum textum, Rom:*8.2. *Lex spiritus vitæ in Christo Iesu liberavit me a lege peccati & mortis. Nam (quod) impoßibile legi (erat) eò quòd infirma erat per carnem,* (Frantzius habet, *nam legis impotentia cùm nihil poßet in carne) Deus* (effecit) *suo ipsius filio mißo, in similitudine carnis peccati,* (Fr: habet, *conformato carni peccato obnoxiæ) & pro peccato* (Fr: habet, *idque pro peccato) condemnavit peccatum,* (Fr: addit, *victimam Christum) in carne, ut justificatio* (vel jus) *legis impleretur in nobis, qui non secundùm carnem incedimus, sed secundùm spiritum. Item illud Gal:* 3.13. *Christus nos redemit ab execratione legis, factus* (Fr: habet, *dum factus est) pro nobis execratio. (utique ideo execratio pro nobis Deo factus, quia peccata aliena luebat, siquidem alii pro Deo patientes ab injustis, dicuntur beati, Matth:*5.10.*) Item illud Act:* 13.

38,39. *Notum sit vobis fratres* (vocem *Viri* omisit Fr:) *quòd per hunc vobis remissio peccatorum annunciatur, & ab omnibus a quibus non potuistis in lege Mosis justificari, in hoc omnis, qui credit, justificatur.* Ad quæ hæc habeat Fr:. In primo loco nec verba *pro nobis* habentur, nec quicquam tale, unde Christum pro nobis aliquid fecisse appareat, sed de Deo Patre dicitur, quòd pro peccato peccatum condemnaverit in carne, ut jus vel justificatio legis compleatur in nobis, qui non secundùm carnem ambulamus sed secundùm spiritum. Quomodo verò hinc vel per speciem illud extrui potest, Christus pro nobis legem implevit? Non possum autem satis mirari duplicem audaciam Frantzii. Nam primùm post verba Pauli, *pro peccato condemnavit peccatum*, ausus fuit hæc in parēthesi addere, *victimam Christum*, quæ glossa etiam absurda est, & tantùm non blasphema. Deinde hac sua nuda ineptissima glossa tacitè rem tantam, quæ nunc in quæstione est, demonstrare voluit. Nihil enim aliud est, unde consequentia ejus, quod affirmat, aliqua appareat. Quæ quidem audacia nos in veritate mirificè confirmat, & aliis etiam prudentibus & piis occasionem præbere potest cogitandi, quid de dogmate isto satisfactionis sentiendum sit. Allegationem etiam loci ipsius Rom: 8. nunc non exagito. Rari enim hodie in usu habent scriptores, ut ita scripturam sacram citent, quemadmodum reverâ habet: Monemus tamen, ne in ista negligentia vel audacia sibi indulgeant. Hoc enim ad veritatem investigandam non minimum est impedimentum.

Alter locus ad Gal: 3. 13. nihil similiter habet, unde Christum pro nobis legem implevisse colligi possit, præter id, quòd Christus pro nobis factus sit execratio. Atqui longè aliud est, fieri pro aliquo execrationem, quàm legem implere. Execrationem enim fieri, aliud nihil est, quàm mortem subire truculentam & a Deo maledictam, qualis erat mors crucis, ut ibidem mox additur. Posse autem aliquem pati aliquod malum pro aliquo, etiam ipsam mortem, & tamen pro eo legem non implere; & rursus posse aliquem pro aliquo legem implere (si modo hoc verisimile est) & tamen nihil mali pro illo pati, quis non intelligit? Cùm impletio legis tantùm consistat in observatione præceptorum Dei, inter quæ nullum est de morte propriò subeunda. At addit glossam in parenthesi Frantzius *utique ideo execratio pro nobis Deo factus, quia peccata aliena luebat, siquidem alii pro Deo patientes ab injustis, dicuntur beati Matth: 5. 10.* Primùm cur addit vocem, *Deo*, Frantzius, ac si in textu Paulino addita esset? Quia scilicet vidit ex Pauli verbis sensum talem, qualem somniat, exsculpi non posse. Atqui additiones istæ periculosæ sunt, & cum vera pieta-

Quid sit, fieri execrationem.

te, quâ tractari debent res sacræ, nihil habent commune, & hominũ illorum propriæ sunt, qui veritati cedere nolunt. Deinde cur non ostendit argumento consequentiæ suæ robur? Illud enim *utique* nihil valet apud eos, quibuscum res est Frantzio. Potest autem aliquis pati pro aliquo etiam ipsam mortem detestabilem, quod est fieri execrationem, etiamsi peccata ejus non luat. Nam & Paulus, Col: 1. 24. 1. Ioh: 3. 6. pati se ait pro Ecclesia, & animam ponere debemus omnes pro fratribus, nec tamen vel Paulus Ecclesiæ peccata luebat, vel nos fratrum peccata luimus. Quanquam non nego longè diversa ratione Christum pro nobis mortuum esse, quàm vel Paulus pro Ecclesia patiebatur, vel nos pro fratribus mori possumus. Non enim nunc res rebus, sed loquendi modos loquendi modis conferimus, ut suprà etiam indicavimus. Locus autem tertius Act: 13. 38. 39. nihil prorsus ad rem facit. Nihil enim in eo aliud continetur, quàm nos per Christum justificari ab omnibus, a quibus non poterant olim cultores Dei per legem Mosis justificari, si in Christum credamus. Quid verò hoc cum impletione legis pro nobis, quam Christus præstiterit, commune habet? imo verò nonė contrarium ejus dicitur, dum fides in Christum ab iis requiritur, qui per Christum justificari velint, ab omnibus illis, a quibus alii cultores Dei per legem justificari non poterant? Fides autem in Christum, non est opinio aliqua, sed, sub spe vitæ æternæ preceptorum Christi talis observatio ut secundùm Spiritum ambulemus: Et ita obedientia obedientię opponatur, nempe perfectissimæ & absolutæ, quæ erat legalis, tolerabili illi, & possibili, quæ est Evangelica. Et ideo etiam credo Frantzium nihil addidisse in parenthesi, unde aliqua consequentiæ vis appareret. Iam si ex his locis, ut ostensum est, probari nequeat, Christum pro nobis legem implevisse, quod sibi, tanquam a nobis obiectum, probandum Frantzius proposuerat, quomodo ex illis probari potest, Christum *loco nostri* legem implevisse, quod nos urgemus, & nusquam scriptum esse, iterum regerimus, & constantissimè Frantzio objicimus?

Fides modum obedientiæ notat.

Thesis 123. est. *Quartò, ubi quærunt: An etiam verisimile sit, quòd Deus hoc & non alio modo voluerit lapsum & mortem æternam totius generis humani expiari, hoc est cur non voluerit, cum potuerit, aut, si potuerit, cur non voluerit Deus sola remissione & condonatione hoc præstare? Et quæ alia in Catechismo suo Smalcius ratiocinatur? Aliud nihil respondeo, quam hoc: ita & non aliter declarasse ipsum voluntatem suam in verbo scripto. Et hac responsione brevi concutimus omnia, quæ ex similitudinibus hominum remittentium argutè consuunt adversarii. Ad verbum*

verbum & ad testimonium: & taceat hic quoque in Ecclesia mulier illa, proterva Ratio. At ego contrà. Primùm malè quæstionem formavit Frantzius. Nemo enim nostrûm quicquam scripsit de expiatione lapsus totius humani generis; nec ita interrogamus, ut affirmat Frantzius, sed pro rationibus afferimus illa, quia Deus & potuerit & voluerit peccata remittere, hinc consequi, cum nullam satisfactionem requisivisse; ad quod ea etiam pertinent, quæ in Catechismo a me Academiæ vestræ dedicato hac de re affirmantur. Nempe si satisfactio statuatur, consecuturum, Iesum Christum æternam mortem subiisse, hanc enim nos meriti eramus: & nos plus Christo, quàm ipsi Deo debere. Quæ omnia, cùm quomodo everteret non haberet Frantzius, ad talem responsionem confugit, quæ speciosa quidem & vera esse videtur, interim desperantis de causa sua ultimum est effugium. Ait enim, *Deum ita & non aliter voluntatem suam revelâsse: Ad verbum & testimonium scilicet esse recurrendum.* ô crassam petitionem principii! Nam si hoc constaret, nonné finis esset controversiarum? Cedò istam voluntatem Dei, cedò verbum vel legem & testimonium, Frantzi. Non eam Dei voluntatem fuisse apertissimè ex sacris literis docemus: Verbum & testimonium ea de re non extare, vos ipsi agnoscitis, dum deductionibus & consequentiis uti ad sententiam vestram propugnandam cogimini. Nostra sententia nititur Dei voluntate manifestissimè nobis revelata: nititur legis & testimoniorum τῷ ῥητῷ. Et tamen hoc sibi arrogat Frantzius. Sed parum est illi hac astutia & audacia usum fuisse, nisi etiam, ut scilicet stultissimæ ipsius & absurdissimæ opiniones locum habeant, rationem jocosè exagitaret, & ex Christi ecclesia profligaret. Quod unum testari potest, nihil recti inesse in ista Frantzii sententia. Nulla enim est Christianæ religionis particula, quæ cum ratione non conveniat; &, quæ cum ratione non convenit, opinio, ea etiam in Theologia nullum locum habere potest. Vt parva lux magnæ, sic ratio s. scripturæ non est contraria. Doceat Fr:, vel quivis alius, unam aliquam sententiam sacrarum literarum pugnare cum ratione, & tunc taceat ratio in Ecclesia. Supra rationem multa habet religio & sacra scriptura; & hoc ipso maximè seipsam commendat: at quod contra rationem sit, nihil; imò si rationi religio adversaretur, hoc ipso suam falsitatem proderet, & religio non esset. Summa enim, & ipsa ratio, est religio. Et hinc est quòd quidam Pontificii scriptores conati sint ostendere, omnia, quæ sunt in ipsorum religione, nempe dogmata de tribus in una essentia personis, de duabus in una persona naturis, quæ tamen personæ partes non sint, & alia, tantùm ratione esse superiora, non verò eidem

Argumenta contra satisfactionē.

Ratio non est contraria religioni.

contraria. Quàm graviter verò fallantur, alibi a nostris demonstratum est.

Thesi 124. est. *Quinto urgent, ut demonstremus, quòd illud (pro nobis fundere sanguinem, mori, pati, tradi)* talis est Fr: parenthesis, *sit idem, quod pati, tradi vice nostri. Resp. Quicunque hoc impugnant, illi manifestè injuriam inferunt toti scopo scripturæ V. & N.T. quæ nobis Christum depingit victimam. Victima utique nulla hominum solummodo causa, sed hominum simul vice, suo certo respectu & relatione typica ad venturum & paßurum Messiam, moritur.* Primùm indirecta est hæc responsio, quæ in thesibus locum non habet. Ibi enim præcisè & directè respondendum est: Hoc verò quod affert Fr: in controversia est, ita ut in eos, qui Christum vice nostri passum fuisse affirmare audent, retorqueri jure summo possit. Manifestam enim facit is injuriam s. scripturæ, qui, cùm ea nunquam affirmet, Christum vice nostri passum esse, id tamen eam affirmare dicat, & tanquam rem in literis sacris comprehensam venditet, dum ait, eas satisfactionem aliquam Christi prædicare. Is verò, qui id, quod nusquam expressè habetur, negat, nullam omnino scripturæ injuriam facere dici potest, ut ut tandem erret. Ratio verò quam affert Fr: talis est, ut risu quàm responsione dignior sit. Quis enim unquam audivit vel legit, victimam hominum vice mori? Cùm non omnis victima talis fuerit, quæ mori posset; nec ea, quæ moriebatur, ideo moriebatur, ne homines morerentur, cùm ob ea peccata expianda offerretur, quibus mors nulla erat designata. pro ignorantiis enim & infirmitatibus tantùm victimæ erant constitutæ. Ad oculum igitur apparet, quomodo veræ responsiones Frantzium defecerint, cum tales eum afferre oportuit. Sed audiamus confirmationem robustiorem.

Thesi 125. *Vt autem omnis scrupulus eò magis eximatur, jubemus vos perpendere illud Pauli 2. Cor: 5. 14. Charitas illa Christi constringit nos judicantes hoc* (Fr: habet, *ut qui hoc statuerim) quòd si unus pro omnibus mortuus fuit, nempe omnes mortui sunt* (Fr: habet, *fuerunt*). *Hæc ibi. Ecce in morte Christi fuiße etiam mortem omnium hominum inclusam apertè dicitur. Et sic sanguis Iesu Christi filii Dei* (Filii Dei, *quod probè notandum, & in quotidianis allegationibus addendum) mundat nos ab omnibus peccatis*, (Ioh: habet, *ab omni peccato) quia nostri vice effusus fuit, utique non aliam ob causam, quàm ut pro peccatis satisfaceret.* Iam pridem, Frantzi, id fecimus, quod nos jubes; nec tamen, quòd Christus *vice nostri* mortuus sit, vel in isto loco videre, vel ex eo colligere possumus. Neque enim dicit Paulus, omnes mortuos fu-

esse, quemadmodum ridiculè & pueriliter hæc verba Fr: explicat, cùm vox Græca ἀπέθανον, tam mortui sunt, quàm mortui fuerunt, converti possit, ita ut non dicatur, tunc, cùm Christus mortuus fuit, omnes homines unà cum illo mortuos fuisse: sed quia unus pro omnibus mortuus sit aliquando, hinc sequi, ait Apostolus, omnes, quicunque in Christum credunt, pro mortuis semetipsos censere debere vel censendos esse, nempe, ut ampliùs non sibi vivant, sed Christo, ut Paulus seipsum ibidem explicat. Nimis enim manifestum est, Paulum ibi pugnare adversus eos, qui aliquid extra Christum gloriabantur, quos repressurus, vim & efficaciam mortis Christi ostendit, quæ ea est, ut omnes, qui Christi sunt, pro mortuis se habeant, & nihil carnale jactitent; unde etiam mox addit hæc verba: *Itaque nos exnunc neminem novimus secundùm carnem, si verò & cognovimus, secundùm carnem Christum, sed & nunc non amplius cognoscimus. Itaque si quis in Christo [est], nova creatura [est]. Vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova.* Sed deinde esto, tunc, cùm Christus mortuus fuit, in morte ejus mortem omnium hominum fuisse inclusam, num hinc sequetur, Christum vice vel loco hominum fuisse mortuum, & pro illis satisfecisse justitiæ divinæ? Nihil minùs. Poterat enim omnium hominum mors inclusa esse in morte Christi, ob aliam causam, quàm quòd Christus loco illorum mortuus fuisset. Imò si omnium mors in morte Christi inclusa fuit, jam ipsi etiam homines satisfecisse censeri poterunt (quod alios video non dubitare affirmare) & sic Christus pro eis non satisfecit. Quomodo verò rursus omnes pro se satisfecerunt, (ut obiter errorem istum crassum refellam) siquidem tantùm mortem temporalem cum Christo (nam æternam Christus non subiit) experti sunt? De Christo fabulantur plærique, quòd respectu divinitatis illius tanti pretii fuerit mors illius temporalis, ac si fuisset æterna: sed hæc fabula in reliquis quomodo locum habebit? & ita quomodo mors temporalis, quam unâ cum Christo mortuo omnes subierunt, satisfactio esse poterit? sic scilicet semetipsos intricare necesse est eos, qui simplicem veritatis sensum & sermonem fugiunt. Locus verò ex Iohanne allatus, quòd sanguis Iesu Christi nos mundet ab omni peccato, cui nescio quid ad errorem suum defendendum tribuit Frantzius, poterat hîc non citari. Nam ibi, purgatio ab omni peccato per sanguinem Iesu Christi, promittitur non iis, pro quibus Christus satisfecerit, sed qui ita in luce ambulant, ut Deus in luce est. Mundatio porrò etiam ab omni peccato datur, absque ulla satisfactione, si nimirum peccatum remittatur. Quæ verò addit

Explicatur loc. 2. Cor. 5. 14.

Fr: *Quia nostri vice effusus fuit, utiq; non aliam ob causam, quàm ut pro peccatis nostris satisfaceret*, verba sunt vanissima & homine docto & sensato indignissima. Non tantùm enim nihil probant, sed homini, qui argumentis doceri cupit, nauseam imò stomachum nō possunt non movere. Non minùs etiam illud vanum est, quod addit ad verba Ioh: *Filii Dei*, nempe id probè notandum, & in quotidianis allegationibus addendum esse. Notentur enim hæc verba, quàm fieri potest optimè, addantur in quotidianis allegationibus, & repetantur millies, commendationem quidem Iesu Christi & sanguinis ejus egregiam præbebunt; at non istam ridiculam, absurdam, s. literis & rationi contrariam & perniciosam probabunt opinionem, quòd vice nostri passus sit Christus, & pro nobis satisfecerit. Nam quæ hæc esset ratiocinatio: Iesus Christus est filius Dei, vel sanguis, qui nos mundat ab omni peccato, est filii Dei. Ergo Christus vice nostri mortuus est, & pro nobis satisfecit? Miserum popellum, qui talibus cogitur assentiri ratiocinationibus.

Thesis 126. est. *Sextò quòd mandant, ut ipsis in accusativo casu hoc monstremus, Christum reconciliaße nobis Patrem, ut ex accusativo iratum eum fuiße concludere possint. Resp: 1. Supervacaneum & puerile est petitum; siquidem jam modò ubertim demonstratum exhibuimus, Deum toti generi humano fuiße iratum, quia per lapsum posteritas tota cum Adamo & Eva æternæ morti adjudicata & tradita ex illo horribili decreto: Morte morieris, & in illa perire debuerant, nisi intervenißet mediator.* Ambagibus utitur Fr:. Hinc collige, lector benevole, eum non habere, quod respondeat rectè & directè. Si supervacaneum est & puerile interrogare, ubinám legatur, quòd Christus Deum nobis reconciliârit, cur igitur hoc Fr: & omnes ejus asseclæ asseverant, & absque fine inculcant? Non supervacaneum autem nec puerile esse tale interrogatum, hinc apparet; quòd, nisi illud demonstretur, nullius valoris esse deprehendatur dogma de satisfactione. Hoc enim requirit, ut Deus antea iratus fuerit. Quod videns Frantzius, ait, se jam id antea demonstratum exhibuisse: sed quàm feliciter & quàm verè, videat in superioribus lector benignus. Illud non examino, quòd dicit, *totam posteritatem Adami cum eo morti æternæ fuiße adjudicatam & traditam, ex illo horribili decreto, morte morieris.* Hoc enim falsum esse antea non semel indicatum fuit. Non vi istius decreti, sed vi generationis, quam omnes ex Adamo ducimus, morti unà cum Adamo æternæ obnoxii sumus. In morte denique æterna perire debuisse Adamum & ejus posteritatem, nisi mediator intervenisset, ita ineptè & obscurè dictum est, ut, nisi hæc

res bene explicetur, multum in ea sit falsitatis. Nullus enim mediator nec promissus nec datus fuit Adamo: nullus reliquis omnibus, qui ante Christum fuerunt, qui eis salutem annuntiârit, nec ad eos omnes quicquam Christus pertinuit. Corporis enim sui, quod sunt credentes in eum, Christus propriè Servator est. Periissent igitur omnes, nisi divina accessisset misericordia & benignitas, quæ semper eos in gratiam recepit, quicunque ad Deum se converterent, licet non omnibus esset promissa aut proposita, vel etiam fœderi inclusa. Quæ misericordia & benignitas Dei tandem universo mundo fuit revelata per Evangelium Iesu Christi. Cui Iesu Christo Deum dedisse tantam potestatem nos quidem credimus, ut non tantùm eos, qui sub N. F. in Deum crediderunt, verùm etiam alios, qui olim soli Deo confisi sunt, servare possit & servaturus sit. Nec enim frustra Dominus Davidis appellatur. Vnde idem & de aliis Davidi similibus nempe de fidelibus statui posse plusquam verisimile est, & ita concludi, Christum omnium mortuorum esse judicem & Dominum. sed hoc per accidens tantùm contigit, & planè aliud est ab eo, quod Fr: proculdubio intelligit per verba sua, *nisi intervenisset Mediator*, de quo plura nuper scripsimus in refutatione Monstrorum a Martino Smiglecio Iesuita confictorum.

Quomodo dici possit, omnes per Mediatorē servari.

Cap: 32.

Thesis 127. est. 2. *Vt tamen hic quoque scrupulus eò magis funditus eximatur, itidem eos expendere jubemus, quæ de sacrificiis passim & in specie 2. Sam: 24, 25. de sacrificio Davidis sunt exarata, quòd nimirum eo fuerit placatus Iehova terræ. Hæc verba si resolverint, alium sensum eruere non poterunt, nisi hunc, quòd sacrificio David placaverit Iehovam terræ. En tibi accusativum.* Egregiam esse oportet responsionem Frantzii, quam cum scommate etiam & sarcasmo quodam nobis obtrudit. Sed spero, illum satis graves daturum hujus suæ levitatis in scribendo pœnas, apud omnes pios & cordatos lectores, cùm, & sponte sua, & nostra hac responsione adjuti, animadvertent, quàm pueriliter & quàm futiliter agat nobiscum. Cupimus nobis ostendi vel semel id, quod millies Lutherani & alii iterare solent: *Christus nobis Patrem reconciliavit.* Frantzius, cùm fatendum illi esset, se non habere ullum talem locum in universa sacra scriptura, de Christo tale quid affirmantem, maluit extrema quæque tentare, quàm veritati cedere. Ad sacrificia nos relegat: At nos de Christo interrogamus. *Passim*, ait, *de sacrificiis esse exaratum, quòd placatus fuerit per ea Iehova.* At hoc non probavit: Et si probasset, quid ad nostrum faceret propositum? Poterant enim placare sacrificia Deum, quia iratus tunc esset illis, qui ea offerebant. cùm non negemus, Deum iratum fuisse

Christus Patrem nō reconciliavit.

modò his, modò illis, & ideo placandum: sed negamus, & hoc erat Frantzio observandum, Deum ob lapsum Adami, toti humano generi iratum fuisse, ita ut opus fuerit eum placare vel reconciliare nobis, maximè verò tunc, cùm Christum in mundum misit. Viden' quàm mascula sint Fr: responsa, & disce, si sapis, nihil eum prorsus habuisse, quod veritati opponeret, quantumvis se non in uno loco jactet.

Thesi 128. addit hæc verba: *Si contrariam resolutionem instituerint, Terram iratam fuisse placatam Iehovæ non irato, viderint, in quas blasphemias incidant. Quid ergo nos similiter dicere prohibet, quòd oblatione Christi Iehova sit placatus terræ, seu quòd nobis Christus oblatione sua placaverit Patrem?* Resolutione, quam nobis ostendit Fr:, non esse nobis opus, jam ostensum est, & miror, Frantzium tales nos stipites esse, imaginari sibi potuisse. Quod verò interrogat, quid eos prohibeat similiter dicere, quòd oblatione Christi Iehova sit placatus terræ, non se iterum gerit in eo plus quàm pueriliter? Hoc prohibet vos Frantzi, quòd istud de sacrificio Davidis scriptum legatur, hoc verò minimè: Fieri autem nullo modo possit, ut hoc, si verum esset, scriptum alicubi de Christi morte vel sacrificio non inveniatur, quod de aliis sacrificiis scriptum legitur.

Thesis 129. est. *Quod 2. Cor: 5.21. Dativus exprimitur: Reconciliemini Deo, quilibet animadvertit, pœnitentiam indici, qua, ut Græcæ vocis origo habet, conciliemur, hoc est, immutemur, & ita Deo grati fiamus.* Hoc cur attulerit Fr: non perspicio, nisi ut nostram fortassis causam juvaret. Non enim docendum erat, quid sit Deo reconciliari, & quòd locus extet, ubi dicatur, nos Deo reconciliari. hoc enim est, quod nos afferimus ad sententiam vestram impugnandam: sed locus afferendus erat, in quo dicatur, a Christo Patrem nobis esse reconciliatum. Hoc enim dogma est eorum, quos defendendos suscepit Frantzius. Quanquam non hic tantùm locus, sed omnes, quicunque de reconciliatione loquuntur, tale quid continent, quod sententiæ de satisfactione prorsus repugnet. Nam cùm dicitur paulò superiùs bis, Deum nos sibi reconciliasse per Iesum Christum, Deum sibi mundum reconciliasse, idque eo modo, quòd peccata illorum eis non imputaverit, quid validius eo afferri potest, ad istam vestram absurdam sententiam prosternendam, cùm ipsa ratio testetur, nihil ita pugnare adversus satisfactionem, quàm peccatorum gratuitam remissionem? Quod idem etiam Col: 1.21, 22. videre est.

Deus nos sibi reconciliavit.

V 19.

Thesis 130. est. *Septimò, quòd contendunt, Christum non potuisse fieri sacrificium satisfactorium pro nobis in ara crucis, siquidem Epistola ad Hebr: testetur, non factum esse eum priùs sacerdotem quàm post suum in-*

um in-

um ingreßum in cælum Heb: 2.17. & 5.5. & c. 7. & 8. v: 4. In eo non distingvunt inter varias officii sacerdotalis partes, pati & intercedere, quorum illud in ara crucis peractum eße, concludimus etiam ex Petri verbis, 1. Ep. 2.24. qui portavit peccata nostra in corpore super ligno; (textus habet, super lignum hoc nunc post resurrectionem & ascensionem ab ipso fieri, Epistola ad Rom: docet cap: 8.24. sedens ad dexteram Patris ut interpellet pro nobis) (apud Paulum v: 34. est, *qui etiam est in dextera Dei, qui etiã interpellat pro nobis) 2. Crassissimè detorquent versiculum 4. in cap: 8. ad Hebr: Si eßet super terram, ne sacerdos quidem eßet, siquidem ibi hoc dicitur, si Christus eßet terrenus, nec opus eo fuisset, quia jam antea plures terreni sacerdotes erant, qui poterant offerre Levitica sacrificia.* Christum nõ fuisse priùs factum Pontificem, quàm in cælum ascenderet, tam est certum, ut hodie nemo illud negare queat, nisi simul bonam partem literarum sacrarum & præsertim Epistolæ ad Hebr:, ex qua etiam insignes locos allegat Frantzius, negare velit. Frantzius etiam non negat, Christum nunc esse sacerdotem, & partes sacerdotii Christo tribuit in cælo degenti. Interim non videt, hac ratione illud everti, quod plærumque dicitur, Sacrificium Christi in cruce perfectum esse. Doceat jam Fr: partes sacrificii Christi esse pati: Doceat crucem Christi esse aram. Non pars enim sacrificii Christi, sed præparatio ad id Christi mors appellari & haberi potest, quemadmodum etiam mactatio pecudis, cujus deinde sanguis in sancta sanctorum inferebatur, non pars sacrificii legalis, (hoc enim non nisi in sanctis sanctorum cæpit) sed ad illud præparatio erat.

Christi mors est præparatio ad sacrificium ejus.

Verba Petri: *Qui portavit peccata nostra in corpore suo super lignum*, quomodo sacrificium Christi demonstrent, nulla ratione probat Fr:. Quis verò sit eorum sensus, abundè Socinus docuit in lib: de Servat: part: 2. c: 6. Nempe Christum corpus suum crucis morti tradendo peccata nostra abstulisse. Vox enim Græca ἀνήνεγκεν per abstulit, & verba *in corpore suo*, idem valet, quod *per corpus suũ*: vel Christum occasione nostrorum peccatorum afflictum fuisse; & ita nostra peccata pertulisse. Ad quæ Frantzio respondendum fuerat, nec ita nudè locus afferendus, ac si ea, quæ Fr: affirmat, in eo expresse continentur. Crassissimè nos locum Heb: 8.4. detorquere ait, dum dicimus, ibi affirmari, Christum sacerdotem non futurum, si super terram mansisset, ipse verò suum sensum nostro nudè opponit. Uter crassus sit, judicet lector. Noster cum multis ejusdem Epistolæ locis consentit, quæ ab ipso Frantzio sunt etiam allata: nostrum locus præsens omnino exigit. Postquam enim multa de Christi sacrificio, quod legalibus præstat, disseruisset divinus ille autor, & inter alia dixisset cap: 7.

Christus in cælis Pontifex effectus.

Talem

Talem decuisse esse nostrum pontificem, qui excelsior cælis factus sit, tandem cap:8. in summam contrahens omnia antè dicta, dicit, nos talem habere pontificem, qui in dextera throni magnitudinis in cælis consederit, qui sit sanctorum minister & tabernaculi veri, quod fixit Dominus & non homo. Cui loco, nempe cælis, throno magnitudinis, sanctis, & tabernaculo vero, deinde terram opponit, & affirmat, Christum, si in terris mansisset, & in cælos non esset exaltatus, sacerdotem fieri nullo modo potuisse. Frantzii verò sensus unde pendeat, & quomodo cum mente autoris correspondeat, nec Frantzius docuit, nec porrò docere unquam poterit. Sed etiamsi hunc locum ad alium sensum detorqueremus, nonné plures extant ita manifesti ut a nemine obscurari possint, quibus probatur, Christum in cælis demum perfecisse sacrificium suum? Quibus stantibus, stare sententia Frantzii nullo modo potest.

Thesi 131. *Octavò, quòd fatentur quidem, in sacris Christum perhiberi paßum, traditum, mactatum pro nobis, factum λύτρον, & quæ sunt plurima alia; sed urgent ut ostendamus, ubi in sacris literis reperiatur hoc, quòd Christus factus sit λύτρον Patri, Patri, quod satisfecerit Patri pro nobis, id jam modo supra Thes: 99. ex Ephes:5.1. ad oculum demonstravimus, ubi dicitur, Christum tradidiße semetipsum pro nobis oblationem & victimam Deo in odorem bonæ fragrantiæ.* Quia hîc Fr: ad thesin suam 99. lectorem remittit, nos etiam eundem ad responsionem nostram ad eandem thesin remittere jure possumus. Hoc tantùm hîc annotare necesse est, etiamsi tandem concedatur, in loco Ephes:5.1. dici, Christum sese Deo tradidisse oblationem & victimam, quod falsum est, hoc tamen longè aliud esse ab eo, quod nos requirimus, an scilicet se Patri λύτρον tradiderit. Cùm certum sit dari oblationem & victimam, quæ non sit λύτρον. Poterat igitur Christus se Deo tradere hostiam & victimam, nec tamen λύτρον Patri fieri.

Thesi 132. explicationem Socini, quam hujus loci affert, & quæ in Catechismo nostro repetitur, quæ est, quòd verba Pauli ita distingui debeant, ut dicatur, Christum seipsum pro nobis tradidisse, in mortem scilicet, & hucusque durare descriptionem charitatis Christi, quam Paulus nos imitari jubet: reliqua verò verba, *oblationem & victimam Deo in odorem suavitatis*, per appositionem esse addita, ad commendandam Christi illam charitatem, & ostendendum, quàm acceptum opus illud Deo fuerit, quemadmodum etiam alibi bona opera commendantur hac loquendi forma; hanc, inquam, explicationem verissimam simul & elegantissimam ita perstringit Frantzius, dum

Explicatio loci Ephes: 5.2.

dum

dum ait: *illud* (nempe quod nos de hoc loco dicimus) *adeò manifesti doli & depravationis malæque causæ indicium præbebit omnibus peritis & imperitis, atque vix ullum aliud esse poterit.* Sensit fortasse Frantzius hanc explicationem facilè apud omnes locum inventuram & ipsius causæ multùm detracturam, itaque verbis adeo mordacibus eam suspectam reddere potiùs, quàm solidè refutare conatus est. Sed frustra est, dolum, depravationem & malam causam objicere, nisi simul argumenta addas, quibus ista omnia comprobes. Qui enim dolus, quæ depravatio in eo esse potest, si quis loci alicujus verba intacta relinquens, nihil immutans, nihil addens, nihil demens, explicationem aliquam a vulgo recepta diversam afferat, etiamsi tandem erronea sit?

At ait Fr: Thesi 133. *Quid enim magis elumbe, quàm hanc sententiā optimè cohærentē: Christus tradidit semetipsum pro nobis oblationē ac victimam Deo in odorem bonæ fragrantiæ, ita velle mutilare per turpissimum solœcismum, 1. Christus tradidit semetipsum confirmandæ prædicationis suæ ergo, 2. Hoc factum tam jucunda res fuit Deo Patri, quàm grata fuit olim victima aliqua oblata? De se & suo corpore certè dicit, quod illud dederit victimā, quæ fuerit Deo gratissima, pro nobis, id est, vice nostri suscepta, ut superiùs obtinuimus.* Iterum verba sunt mera, probatio nulla. Solœcismus in nostra explicatione nullus est, imò in explicatione adversariorum videtur aliquis inesse, dum dicitur, Christus tradidit semetipsum pro nobis victimam & oblationem Deo, &c. ob quam causam plærique vocem *In* ante *oblationem* inserendam esse judicârunt. Talem autem loquendi modum Paulo non esse inusitatum, locus ad Phil: cap: 4. apertissimè docet. Illud verò quod ait Fr: de hoc loco, *De se & suo corpore certè dicit, quòd illud dederit victimā, quæ fuerit Deo acceptissima, pro nobis, id est, vice nostri suscepta, ut superiùs obtinuimus*, quæso quomodo appellem, lector benevole? Primum quid est, quod dicit, *de se & suo corpore dicit.* quisnám dicit? Certè nemo nisi Paulus. De se ergo & suo corpore dicit Paulus? Ego verò credebam Paulum de Christo id dicere. Somnolenter saltem ista Frantzium scripsisse nemo negabit. Deinde quænám hæc est perpetua audacia, explicatione aliena, quæ nec absurda nec falsa per se, nec pernitiosa ullo modo est, & quæ ex similibus loquendi modis probabilis saltem esse ostendi potest, temerè & superciliosè repudiata, suam obtrudere, quæ nihil aliud, quàm mera petitio principii est? Quis enim concedet Frantzio, Christum dedisse corpus suū hostiam Deo? Quis *pro nobis* idem valere concedet, quod vice nostri suscepta? Non sic sanè cum iis, quorum saluti studere videri volumus, agendum est,

ut quidvis illis obtrudamus, quod nobis videtur: Rationibus & argumentis agamus invicem, & tandem elucescet veritas.

Thesis 134. est. *Nonò quòd pugnant, Christum perhiberi nos suo sanguine lavare, redimere, liberare, sed non ab ira Patris, & à morte æterna; verùm à vana conversatione, ut nimirum tum a peccatis abstineamus, quando audimus illa, quæ nostri caußa ex amore fecit Christus, adque eam rem citant dicta multa, superiùs à nobis allegata, 1. Pet: 1. 8. & 2. 24. thesi 55. illud causam ipsorum nihil quicquam juvat, nec doctrinam nostram vel suspectam, vel labefactatam reddere potest.* Resp: Primùm veris falsa miscet Fr:. Negamus quidem Christum nos sanguine suo redemisse ab ira Patris, sed non negamus eum nos redemisse a morte æterna, quod nobis, nescio quâ conscientiâ, affingit Frantzius. Quoticscunque enim legimus, Christum nos lavisse sanguine suo a peccatis, vel sanguinem Christi nos purgare ab omni peccato, de liberatione a morte æterna, quæ est reatus peccati, potissimùm ibi sermonem esse contendimus. Deinde quomodo nostram causam non juvat, adversariorum verò non suspectam reddere potest aut labefactare, si expresse ostendatur, a quibusnám rebus nos redimat sanguis Iesu Christi, & inter eas nulla fiat mentio iræ Patris? Certè si verum esset, quod Fr: affirmat, quantò majus est ex sententia illius Redemtio ab ira Patris per sanguinem Christi, redemtione a vana conversatione, &c. tantò manifestiùs & crebriùs etiam mentio ejus fieri deberet, & fieret proculdubio ab Apostolis. Cùm verò nulla prorsus hujus rei fiat mentio, parumné hinc liquet, doctrinam istam esse commentum merè humanum?

A quibus rebus Christus nos redemerit.

Thesis 135. est. *Libentissimè enim fatemur, meditatione mortis Iesu Christi homines à vana conversatione converti poße & debere: interim verò non sequitur, Christum nihil amplius pro nobis præstitiße, & Christum solummodo confirmandæ prædicationis suæ causa pro nobis mortuum eße. Sine sanguinis effusione non fit (ita hoc loco non potuit fieri) remißio, Heb: 9. 22. De cæteris supra dictum est.* Hîc aliquid calumniæ vicinum est. Ita enim loquitur Frantzius, ac si nos dicamus, Christum nihil aliud pro nobis præstitisse sanguine suo, quàm ut a vana conversatione converteremur, & Christum solummodo confirmandę prædicationis suæ causâ mortuum esse. Cùm tamen longè aliter sentiamus, quod Frantzium latere non potest, siquidem ea, qua par est, attentione scripta nostra legit. Pro nobis enim Christum mortuum esse ideo dicimus, ut salutem æternam non tantùm amplecteremur, sed etiam consequeremur. Non doceat autem Frantzius Christum amplius quid præstitisse nobis, quàm ut a vana conversatione con-

Quid sit Christum pro nobis passum esse.

verte-

verteremur. hoc enim concedimus; sed doceat, eum hoc præstitisse, quod ipse affirmat, nempe nos redemisse ab ira Patris, vel justitiæ divinæ pro nobis satisfecisse, & salva res erit. Sine sanguinis effusione non fieri remissionem Hebr: 9. nihil huc facit. Nam nec universaliter illud pronunciatum est, ut ad omnia tempora pertineat, sed ad solam legem, in qua nullam sine effusione sanguinis factam esse, ait autor ille, remissionem: Nec etiamsi esset universaliter dictum, quicquam adversus nos & nostram sententiam faceret, qui constanter affirmamus, nunc, postquam nobis de divina voluntate constat, sine sanguinis Christi effusione remissionem non dari. Ex Christi verò sanguinis effusione satisfactio justitiæ divinæ vel liberatio ab ira Patris concludi ne per speciem quidem potest. An non enim aliæ causæ, præter hanc ineptam, dari possunt, cur sine sanguine Christi remissio non sit facta? De loco Heb: 9. 22.

Thesi 136. & 137. recenset Fr: nostram explicationem verborum Ioh: 1. *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* & D. Petri: *Qui peccata nostra pertulit,* &c. quæ est, quòd verba *tollendi* & *portandi*, possint accipi pro *auferre*, quam thesi 138. & 139. refutare conatur. Sed quia ipsemet eadem thesi 139. fatetur, verba Græca apud Iohan: & Petrum, tollendi seu auferendi & simul portandi significationem habere posse, nonné nostram sententiam stabilit, quæ est, quòd voces illæ possint etiam pro *auferre* accipi: non autem, hanc esse genuinam vocum αἴρειν vel ἀναφέρειν significationem, ut nos 136. thesi loquentes fecit. Quasi scilicet nos argumenta opponamus adversariis, & non potiùs ad argumenta illorum respondentes, instantias, quas vocant, afferamus, unde id, quod adversarii affirmant, non necessariò verum esse appareat. Quo confecto protinus corruere necesse est argumentum ex vocibus extructum, quòd scilicet Christus peccata nostra portaverit. Sed præterea etiamsi concedatur, verba Græca tantùm portandi significationem habere, nonné abundè responsum est in libro de Servatore multis in locis, quòd jure de Christo dici possit, eum portasse peccata nostra, quia, scilicet occasione peccatorum nostrorum mori eum oportuerit. Quocunque igitur modo verba accipiantur, negatur tamen semper, ex illis colligi posse, Christum pro nobis satisfecisse, vel vice nostri mortuum fuisse.

Thesis 140. Argumentum Socini & Catechismi nostri affert, quo probatur locum Esa: 53. non de vera & propria in se derivatione & portatione accipiendũ esse. Hinc enim consecuturum, Christum in se derivasse omnes morbos, quos sanavit, cùm Matthæus dicat, tunc cùm Christus omnes morbos curavit, impletum fuisse illud Esaiæ

dictum: *Ipse infirmitates nostras accepit & morbos portavit*, & ad hoc talem responsionem subjungit thesi 141:

Verùm etsi in hoc Matth: loco, propriè agitur de Dæmoniacis, tamen usitatum est scripturæ in allegationibus sæpenumero tantùm ad similitudinem aliquam alludere, sicut hoc loco à similitudine delendi peccata, petit similitudinem sanandi morbos. Thesi 142. *sic quod Exod: 12. 46. de agno paschali fuit traditum: os non comminuetis ei Ioh: 19. 36. accommodatur ad Christum, Facta sunt hæc, ut scriptura impleretur, non confringetur os ipsius.* Sed quid respondit Frantzius? Nihil. Usitatum est, inquit, scripturæ, in allegationibus sæpenumero tantùm ad similitudinem aliquam alludere. Primum si non semper hoc fiat, quænam vis erit in responsione? Et certè quantumvis sæpenumero in allegationibus ad similitudinem aliquam fiat allusio: non credendum est tamen id tunc fieri, quando talia verba reperiuntur: *Hoc factum est, ut impleretur, quod dictum est*, ut fit Matth: 8. Tunc enim plus est omnino, quàm allusio. Deinde etiamsi perpetuò id fiat, num propterea quòd usitatum est scripturæ, in allegationibus sæpenumero tantùm ad similitudinem aliquam alludere, consequetur illud: Ergo non potest colligi modus portandi peccata nostra in Christo, ex modo, quo portavit morbos, quos sanavit, maximè si ipsum Apostolum ea in re interpretem habeamus, ita ut utrobique per vocem portandi significetur ablatio? Videat benevolus lector pondus horum verborum Frantzii. Exemplum de agno paschali nihil etiam huc facit. Reverâ enim tunc, cum Christo ossa fracta non fuerunt, illud impletum est, quod olim de agno paschali dictum fuerat, & a nemine fortassis observatum, quare id ita fieret. In Christo autem id Deus impleri voluit, ne resurrectionis opus cavillis esset expositum, si, cuius crura fracta fuerant, integris is cruribus apparuisset.

Thesis 143. est. *Quod idem Socinus Cap: 10. parte 2. de Servatore typũ illum Christi in anniversario sacrificio tantùm pro levioribus peccatis ait emissum fuisse, id 1. cum Lev: 6. toto pugnat, ubi gravia aliqua nominãtur peccata, quæ sacrificiis minoribus aliis quotidiè expiabantur. 2. cum Lev: 16. 30. 33. 34. ubi affirmat Dominus, in die ingressus sacerdotis in sancta sanctorũ expiatũ fuisse populum ab omnibus iniquitatibus, ecce ab omnibus iniquitatibus, inter quas fuerunt multæ occultæ & magnæ iniquitates.* Mirum est, Fr: hac unica thesi rem tantam conficere ausum fuisse, & ita nudè aliquid Socino opponere, ac si nunquam antea id auditum esset, quod hîc obiicit, cùm tamen Socinus ad ea omnia abundè ibidem cap: non 10. sed 12. 2. part: de Servatore responderit, & præterea loca quædam sacrarum literarum attulerit, ex quibus constat,

pro

pro quibus nam peccatis sacrificium illud anniversarium, constitutum fuerit, nempe locum Heb: 9. 6. ubi disertissimè dicitur, sacerdotem sanguinem obtulisse pro seipso & pro populi ignorantiis; Et per vocem hanc peccata leviora significari luculenter ostenderit. Locum Lev: 6. de peccatis etiam hujus generis loqui, manifestè ibidem docetur v:3. ubi dicitur: *& quodlibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus solent peccare homines.* Nusquam enim de peccatis gravibus id scriptum legitur. Et quia levissimis peccatis hæc erant paulò graviora, ideo etiam non sola sacrificia ad talia peccata expianda sufficiebant, sed etiam aliis compensationibus opus erat, quæ ibidem v:4. asscribuntur, quæ compensationes in levissimis peccatis non requirebantur. In loco Lev: 16. per *omnes iniquitates* nullas alias omnes intelligi præter eas, quarum causâ sacrificia erant constituta, id docet, quòd qui manu excelsa peccaret, excindendus erat ex populo Dei, ut expressè legitur Num. 15. 30. 31.

Sacrificia legalia tantùm erant pro ignorantiis & infirmitatibus.

Thesi 144. est. *Vndecimo arripiunt Mosis exemplum, quem citra satisfactionem fuisse inter Deum & homines Mediatorem dicunt, indéque concludunt, etiam Christum sola prædicationis relatione esse Mediarem. sed in eo contra expressam sacram scripturam, quæ contrarium tum de Mose typicum, tum de Christo proprium testatur, impingunt.* Hîc Frantzius in communem omnium ferè eorum, qui hactenus adversus nos scripserunt, errorem iterum incidit, qui est, quòd ex nobis, qui respondemus & excipimus, faciunt argumentantes & objicientes. Non concludimus ex eo, quòd Moses citra satisfactionem mediator inter Deum & homines fuit, Christum etiam citra satisfactionem Mediatorem fuisse, vel Christum sola prædicationis relatione esse Mediatorem, ut Frantzius affirmat: Sed negamus, ex eo, quòd Christus Mediator Dei & hominum, appellatur, consequi, eum pro nobis Deo satis fecisse: Cùm etiam Moses Mediator appelletur, qui tamen Deo pro hominibus non satis fecerit. Præterea falsum est, nos Christũ sola prædicationis relatione, ut Fr: loquitur, Mediatorem constituere. Nam & ideo mediator est, quia nos ad Deum adducendi perpetuò habet potestatem, quod in Mose nullum locum habet. Obscurus autem est Frantzius, dum ait: scripturam contrarium tum de Mose typicum, tum de Christo proprium testari. Vbi enim contrarium typicum de Mose, ubi proprium de Christo testatur scriptura? Respondet autem thesi 144. quæ debebat esse 145. cohæret autem cũ præcedente hoc modo, *quod impingamus*, 1. *Adversus Heb: 6. 15. Vnde ne prius quidem istud absque sanguine dedicatum fuit, quum enim Moses omne præceptum juxta legem ex posuisset, sumto sanguine vitulo-*

rum aspersit, dicens: Hic est sanguis Testamenti, quod mandavit vobis Deus. 2. *Adversus Hebr: 9. 15. Ob id novi fæderis Mediator est, ut morte intercedēte ad redemtionem earum prævaricationum &c.* 3. 1. *Tim:2.5.6. Vnus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui seipsum dedit in redemtionis precium &c.* 4. *Matth: 26. 28. Hic est sanguis meus N.T. qui pro multis effunditur* &c. Sed quod ad 1. locum attinet, nihil is contrarium ei, quod dictum est, continet. Nam ad mediatoris munus pertinet non tantùm fæderis annunciatio, sed etiam confirmatio, quæ his verbis continetur. Verba sequentia, *Et ideo novi T. mediator est, ut morte interveniente ad redemtionem earum, quæ sub priori Testamento (erant) transgressionū, repromissionem accipiant vocati æternæ hæreditatis*, nihil adversus nos pugnant, qui affirmamus, Iesum etiam ideo mediatorem nostrum esse, quia morte interveniente eam potestatem est consecutus, quâ omnia etiam gravissima peccata, quorum remissio in V. T. vi legis dabatur nulla, nobis, qui in illum credimus, remittere potest, & remissurus, atq; ita nos servaturus est. Locus 1. ad Tim: 2. non docet, cur Christus mediator sit, sed tantùm quid ille, qui mediator ob fædus annuntiatum est, ad confirmationem & perfectionem fæderis fecerit, explicat. Locus denique Matth: 26. 28. in quo sanguis Christi, sanguis N. T. appellatur, qui pro multis effunditur, &c. planè nihil habet de causa, cur Christus noster mediator sit, sed tantùm causam continet, cur sanguis Christi effusus sit. Deinde probè notandum est, quàm astutè agat Fr:, qui pro eo, quod dicere debebat, nos impingere contra sensum, quem ille sacræ scripturæ affingit, vel in ea cōtineri opinatur, dicit, nos cōtra expressam sacram scripturam impingere. Cùm tamen scriptura id non tantùm nusquam dicat, quod sentit Frantzius, sed nec ex ea extrui illud ullo modo possit.

Thesi 145. *Duodecimo, quòd ex eo, ubi Apostoli 2. Cor: 5. dicuntur habere & gerere ministerium reconciliationis prædicando, efficere laborant, etiam Christum esse reconciliatorem citra satisfactionem, id nihil ad rem. Nam Christus est reconciliator, justificator, redemtor, liberator & mediator noster, utique etiam propter prædicationes suas: sed quòd tantùm propter prædicationes eum ita perhiberi pugnant Photiniani, illud suprà refutatum est, cùm ad oculum dedimus probatum, ipsum etiam esse victimam traditam Deo Patri pro peccatis totius mundi. Sic quoque vita Christi est simul exemplar, sed non tantummodo exemplar, secundùm quod vitam nostram instituere debemus: tum in gaudiis moderandis, tum in afflictione fortiter sustinenda, pro nobis & pro fratribus.* Hîc iterum in eundem scopulum impingit Fr:, in quem thesi 144. impegerat.

impegerat. Non enim ex eo, quòd Apostoli dicuntur habere & gerere ministerium reconciliationis prædicando, efficere laboramus, etiam Christum esse reconciliatorem citra satisfactionem: sed quando vos ex voce reconciliationis efficere laboratis, Christum Deo Patri satisfecisse, nos illud ex ipsa voce consequi negamus, quia scilicet etiam de aliis legatur, quòd ministerium reconciliationis sustinuerint, qui tamen pro nemine Deo satisfecerunt. Quod vos non capere miramur & dolemus. Deinde calumnia est eadem, quæ in eadem thesi 144. indicata fuit, nos scilicet propter solam prædicationem Christum habere pro redemtore, liberatore & mediatore nostro, cùm disertissimè in ipso initio libri de Servatore F. Socini causæ commemorentur, ob quas Christus noster Servator sit. Quod scilicet salutis viam annunciarit, confirmarit, ostenderit, & ipsam salutem tandem reipsa credentibus ipse daturus sit. Non negamus esse alias causas, ob quas Christus noster Servator, mediator & redemtor sit, præter prædicationem: sed negamus ob eam causam Christum esse reconciliatorem, redemtorem, mediatorem, quòd justitiæ Dei pro peccatis nostris satisfecerit. Quo jure Frantzius glorietur se probatum dedisse suprà, Christum etiam victimam traditam Deo Patri pro peccatis totius mundi, agnoscet, qui, quæ suprà respondimus, consideraverit.

Thesi 146. & seq: conclusionem facit hujus disputationis, & monet thesi 147. omnes has responsiones suas ex protevangelii fonte profluxisse, & illud in conflictibus cum nostris præmittendum esse, & opponendum pro defendenda sententia de satisfactione. Sed quanta sit vis in isto Fr: protevangelio, abundè suprà demonstratũ est.

Thesi 148. ait: *Qui hac methodo utentur, iis vaticinia & testimonia omnia reliqua de Christo victima & oblatione & expiatione adeoque satisfactione nostra per V. & N. T. erunt admodum plana, nec ab adversariis è manibus excuti poßunt.* Ego verò miserrimos esse puto, qui istam methodum insistant, cùm nihil isto protevangelio obscurius adeoque incertius sit: & plùs quàm acutum eum esse oportet, qui ex isto loco Gen: omnia vaticinia & testimonia de Christo intellecturus sit; & denique sic loqui, aliud nihil est, quàm imperito vulgo imponere, & in salebrosam semitam illud deducere.

Thesi 149. ait. *E contra ut rem omnem per se planam, nobis magis obscurent, intricent, & laboriosiorem solutionem reddant adversarii, callidè omißo, immò depravato protevangelio detorsiones plausibiles Aphorismorum reliquorum comminiscuntur.* Protevangelium nullum agnoscimus in loco Genesis. Quomodo igitur illud depravare possumus? Quos verò alios aphorismos afferimus, eos non comminiscimus,

mur, sed ex sacris literis decerpimus, & in eum finem eos afferimus, ut rem ab hominibus obscuratam, claram reddamus, & ex omnibus eos tandem tricis figmentorum humani cerebri liberemus.

Thesi 150. verba quædam Ostorodi affert, quæ eum ex Socino hausisse ait, nempe ex cap: 8. part: 4. lib: de Servatore, ubi tamen nihil tale habetur; quibus affirmat Ostorodus, *Quòd, cùm certum sit, omnes Prophetas, Apostolos, & martyres in eo, quòd dies noctesque Deo obedire studuerint, & ejus rei causa multas afflictiones & mortem ipsam atrocissimam multi illorum passi sunt, non erraße, alterum ex iis duobus consequi, vel Theologorum de Christi merito sententiam falsam esse, vel saltem non sufficere ad salutem meritum Christi, sed præceptis etiam Dei obtemperandum eße.* His verbis Ostorodi recitatis thesi 151. ait, Fr: *se ex ore hostis habere suffragium, pro satisfactione Patri cœlesti data a Iesu Christo pro peccatis totius mundi.* Ego verò dico: quidvis potiùs de Ostorodo cogitandum, quàm quod de eo sibi pollicetur Frantzius. Verba enim Ostorodi ita sunt constituta, ut directè erroris accusent adversarios, sive ejus, quòd meritum aliquod Christi extet: sive ejus, quòd sit satis ad salutem credere Iesum pro nobis morte sua satisfecisse, quod utrumque affitmant adversarii. Et etiamsi thesi 152. Frantzius aliquid addere velle videatur, unde appareat, non sufficere istã fidem, qua creditur, Christum pro nobis morte sua satisfecisse: tamen revera in eundem errorem incidit. Fidem enim vivam vel fiduciam collocatam in meritum & satisfactionem Christi, ait, omnino solam justificare & sufficere ad salutem, nulla facta mentione obedientiæ, quam thesi 153. effectum tantùm fidei appellat, & nos ea justificari planè negat. Sed quàm graviter in his omnibus erret, alibi fusiùs dicetur. Nunc hoc sufficiet: Obedientiam a Iacobo complementum fidei & animam appellari. Ergo ubicunque obedientia non est, ibi nondum est fides completa aut viva. Locus Gal: 3. 21. Si per legem justitia, igitur Christus gratis mortuus est, non excludit obedientiam omnem, sed tantùm eam, quam lex requirit, nempe perfectam & absolutam. Certè enim, si modus justificationis per legem valeret, frustra Christus morte sua novum justificationis modum, qui est per fidem, confirmasset. Iacob: 2.

Thesi 154. facit mentionem ejus, quod a nostris objicitur, ad ostendendam absurditatem dogmatis de satisfactione, quòd scilicet causa sit, ut maxima pars eorum, qui eam profitentur, quidvis potius agere videatur, quàm ut sanctè & innocenter vivere curet, nedum ut revera vivat, & thesi 155. fatetur, primùm, id ita se habere in plurimis, & idem etiam se vehementer deplorare. Quin etiam tam Mini-

ſtris quàm auditoribus ſe pœnas æternas minari. Interim tamen theſi 156. ſic interrogat, *quo jure ſacræ doctrinæ imputabimus docentium quorundam & audientium crimina & ſcelera? qualem judicii iniquitatem, nec in Ethnicos ſaniores unquam cadere potuiſſe certum eſt.* Ad quæ breviter hæc habeto. Gratulamur de iſto in pietatem affectu Frantzio, & non procul abeſſe credimus a veritatis cognitione, cui talis eſt animus. Non poſſumus autem non hoc ſaltem dicere: Fruſtra id omne eſſe, quod de ſuo in pietatem zelo ſcribit Fr:. Pauci enim ſunt, qui, cùm audiant, Chriſtum pro ſe & peccatis ſuis omnibus tam præteritis, quàm præſentibus & futuris ſatisfeciſſe, non credant ſtatim, nullam eſſe neceſſitatem piè vivendi: & quia hujusmodi negligentia & impietas tanquam umbra corpus, hanc de ſatisfactione doctrinam comitatur, ideo de ea explodenda potiùs cogitet Fr:, quàm ut, cum ea ſtudium pietatis conſiſtere poſſe, docere annitatur. Non imputamus quidem ſacræ doctrinæ, quorundam ſcelera & crimina, ſed ſacram eam doctrinam eſſe negamus, quæ hominibus ad omnis generis ſcelera & flagitia naturâ ſuâ feneſtram aperiat.

Theſi 157. talem precationem concipit Fr: *Sed finem nunc faciamus, Patremque Filium & Spiritum ſanctum in baptiſmo mediatoris noſtri ſuper Iordane revelatum intimis ſuſpiriis honoramus, ut verbi ſui de hoc tanto religionis Chriſtianæ fundamento verum intellectum adverſus tam horribiles execrandas & damnatas blaſphemias nobis & & poſteris noſtris præſtet ex magna miſericordia ſua invictum, ſimplicesque plebeculas unà cum doctoribus in Eccleſiis Photinianis, quos Dominus Ieſus ſanguine pretioſo etiam mercatus eſt, clementer illuminet, ut relictis infernalibus iſtis venenis dent Ieſu Chriſto, noſtri cauſſâ & noſtri vice paſſo & reſuſcitato ſuam gloriam, memores iſtius ad Hebr: 10. 29, 30, 31. Quanto putatis acerbiore ſupplicio dignus cenſebitur,* &c. Patrem Filium & Spiritum ſanctum honoratum fuiſſe ſuſpiriis ab aliquo fidelium, novum eſt in ſacris literis & planè incognitum. Myſterium ſatisfactionis in verbo Dei revelatum eſſe verba ſunt. Ea quæ nos contra iſtud afferimus, horribiles & execrandas eſſe blaſphemias, nuda aſſertio eſt. Damnatas verò etiam, ridiculum eſt. Nam ſi a ſacris literis damnatas eſſe dicat Frantzius, adhuc lis ſub judice eſt: Si ab alio quovis, luſus & jocus eſt. Noſtris Eccleſiis & eorum Miniſtris Frantzium precari illuminationem, charitatis quidem indicium eſt vel potius zeli, ſed ſine ſcientia. Itaque nihili faciendus eſt. Chriſtum vice noſtri eſſe paſſum, ſummus eſt error. Eundem verò noſtri vice reſuſcitatum & error eſt & ſtultitia. Nam ſi Chriſtus vice noſtri reſuſcitatus eſt, nobis de reſurrectione deſperandum erit. Honorem &

gloriam Christo jampridem dedimus & damus, ipso juvante. Illud verò grave est, quòd verba autoris Epistolæ ad Hebr: ad nos accommodare videtur, quæ desertoribus tantùm Iesu Christi competunt. Metuimus sanè judicem Deum & cohorrescimus ad ipsius tremenda judicia, quoties nostra indignitas & infirmitas, quæ varia est, in mentem nobis incidit: sed non ideo, quòd commenta hominum, quorum unum insigne est, dogma de satisfactione & merito Christi, oppugnamus & expugnata vellemus. Quin potiùs illud idem Frantzio & aliis omnibus proponere possemus tantò rectiùs, quantò minùs ab eis Deum & pietatem curari ad oculum videmus. Sed ne par pari reddere videamur, Deum oramus, ut aut istos crassos errores primùm docentibus, deinde & auditoribus patefaciat, aut saltem non permittat, ut in omnis generis flagitiis per hujusmodi dogmata obdurentur, sed ut verè piè vivant, & ita æternùm serventur. Præsta id quæsumus te Deus misericors, Pater cælestis, per Iesum Christum filium tuum, quem tradidisti (in mortem) propter peccata nostra, & resuscitasti propter nostram justificationem. Amen.

REFUTATIO THESIUM D. WOLFGANGI FRANTZII, De Ministerio Ecclesiastico.

Quæ est Disputatio ipsius quinta.

IN hac disputatione nolumus omnia ordine examinare: sunt enim multa, quę veritatem continent, in quibus nostra causa cum Frantzii communis est; multa etiam ferri possunt, licet non usquequaque vero sint consentanea. Tantùm ea attingemus, quæ vel a vero prorsus sunt aliena, & potissimùm ea, quibus nos nominatim petit Frantzius.

Thesis 13. est. *Vt autem paulò altiùs doctrinam de ministerio Ecclesiastico repetamus, sicuti inæstimabilis est misericordia Dei, quòd post lapsum generi humano veniam indulsit, idque propter Mediatorem filium suum unigenitum, quemadmodum in disputatione quarta superiùs ex verbo Dei docuimus, ita quoque inenarrabilis est bonitas, quòd per filium in genere humano Ecclesiam ædificaturus, illum ipsum, Filium videlicet*

licet suum unigenitum, constituit primum sacerdotem summum, qui Evangelium de reparatione generis humani primis parentibus promulgavit & annunciavit, quique postea diversis temporibus, Patriarchas, Seniores, Levitas, Prophetas, Apostolos, Evangelistas, doctores, & alios ministros misit, & usque ad consummationem seculi mittet, per quos primam promissionem in mundo sonuit & divulgavit, sonabit & divulgabit, omnesque ad gratiam Dei fide viva & vera amplectendam invitavit, & invitabit. Hæc farrago est errorum. Error isque duplex est, Deum post lapsum generi humano veniam indulsisse. Nam humanum genus nullâ tunc egebat veniâ, ut pote quod nihil dum peccaverat: Adamo autem qui peccaverat, veniam fuisse indultam post lapsum scilicet statim, fabula est. Si veniam indulsit Deus Adamo, id tempore succedente ob pænitentiam Adami gratiâ divinâ factum esse censendum est. Error isque gravior prioribus, & crassa pronunciandi audacia est, Deum propter Mediatorem filium suum unigenitum veniam istam indulsisse. Nam quomodo propter filium aliquid fecisset, qui nondum erat? Et etiamsi fuisset, quomodo *propter filium* tunc Deus aliquid faceret, qui nunc postquam exhibitus est filius, propter eum nihil facere legitur. Exhibeat Frantzius vel unum locum in universo sacro codice, in quo dicatur, Deum aliquid propter filium facere. Propter se Deum omnia facere; facere autem omnia per Iesum Christum, trita est novi Fœderis loquendi formula. Error porrò est multiplex, Deum constituisse Christum primum sacerdotem summum, qui Evangelium de reparatione generis humani primis parentibus promulgârit & annunciârit. Quomodo enim Deus eum constituit, si Christus fuit idem Deus qui Pater? Nec ullum hîc ad distinctionem naturarum in Christo fictitiam datur refugium, tantùm enim una tunc (ex mente scilicet Frantzii) extabat. De sacerdotio Christi ab initio mundi, nulla in sacris literis mentio, nulla verisimilitudo. Nec etiam sacerdotis summi munus ullo modo est, annunciare Evangelium. Evangelium de reparatione humani generis, figmentum est hominum otiosorum. Error est, Christum Patriarchas, Seniores, Levitas, prophetas, misisse; imò error est Deum ipsum Patriarchas, Seniores, Levitas misisse. Differt enim missio a constitutione divina, quæ varia esse potest. Error denique est, Patriarchas & prophetas veteris Testamenti, qui a Deo constituti fuerant, primam promissionem in mundo sonuisse & divulgasse.

Thesis 14. est. *Sic enim de textu Genesis 3. v: 8. (Audiverunt vocem Iehovæ Dei ambulantis in horto) Patres & inprimis Hilarius lib: 12. de Trin: Iustinus in Tryphone, Clemens Alexandrinus in lib: Strom: Tert-*

tull: advers: Prax: & alii commentari solent, quòd Deus ibidem corporea forma ambulans & loquens fuerit Filius Dei. Atque quòd idem ille sit intelligendus in aliis locis scripturæ omnibus, ubicunque forma visibili Deus sese manifestaße scribitur, siquidem hac ratione futuræ suæ incarnationis certitudinem inculcare voluerit. Atqui ab initio disputationum promiserat Frantzius, se ex solis sacris literis rationes & argumenta allaturum. Cur igitur nos obruit autoritate eorum, quos ipse, quando libet, rejicit & recipit? Dico igitur, gravissimè omnes illos errasse, qui, quando de Deo dicitur, quòd se visibili forma manifestârit, filium Dei intelligendum esse autument. Præterquam enim, quòd apertissimè principium petunt, dum filium Dei, antequam nasceretur, extitisse affirmant, nulla vel probabili hæc ipsorum opinatio niti potest argumento. Quam enim hîc affert Frantzius ex sua fortassis & istorum patrum mente, æquè incerta est, atque illud, ad quod confirmandum affertur. Incarnatio enim Christi figmentum est adeo absurdum & blasphemum, ut is Deo multum detrahat, & rem, ut sanæ rationi, sic etiam s. literis prorsus contrariam dicat, qui de eo affirmare audeat, quòd incarnatus sit.

Thesis 15. est. *Immò quod necessariò filius Dei semper exponendus sit etiam ille angelus, qui patribus apparuit, & talia peragit, vel talia attributa habet, quæ soli Deo competunt, ex illo ipso, quæ jam dicta sunt, rectè concludit B. Gregor: lib: 28. Moral.* Expectabam aliquid validius, cùm legerem vocem *Immò*. Sed en ejusdem valoris argumentatio, autoritas scilicet Gregorii, eaque ita nudè collocata, ut nulla ratione nitatur. Quam nos repudiare non mirabitur Frantzius, siquidem memor erit ejus, quod ab initio disputationum suarum nobis magnificè promisit, & quod etiamsi non promisisset, nos tamen semper exigere jure possemus ab omnibus. Nempe ut sacræ literæ fundamentum sint omnium eorum, quæ nobis credenda sunt & facienda in religione, ita ut, quæcunque in illis vel apertè non extant, vel ex eis necessariò non colliguntur, tutò ea rejicere possimus.

Thesi 16. est. *Hoc quod de primo sacerdote, λόγῳ diximus, ipse etiam Iohannes Evangelista cap: 1. v: 17. sibi voluit, cum inquit: Deum nemo vidit unquam, unigenitus ille Filius, qui est in sinu patris, ille enarravit nobis.* ô verè λόγους quæ de Christo λόγῳ hîc disserit Fr. Quid enim certius aut manifestius, quàm Iohannem tantùm de tempore Evangelii loqui, licet vox *nobis*, quam Frantzius incautè addidit, ibi non habeatur. Paullò enim antè hæc verba habentur: *Lex per Mosen data est: gratia & veritas per Iesum Christum facta est,* quibus subjunguntur,

Locus Ioh: 1. 17.

guntur, *Deum nemo vidit unquam, unigenitus Dei filius, qui est in sinu patris, ipse enarravit.* ut scilicet per ea explicetur & quodammodo demonstretur, non mirum videri debere, si dicatur, per Iesum Christum aliquid longè præstantius quàm per Mosen revelatum esse. Christum enim in ea fuisse apud Deum autoritate & gratia, in qua nemo antè fuerit, ita ut, etiamsi nemo unquam Deum viderit, atque ita nemini contigerit per ejus visionem ipsum Deum cognoscere, tamen per filii Dei, qui est ei charissimus, enarrationem, cognitionem Dei hominibus contigisse constet.

Thesis 17. est. *Summo sacerdoti λόγῳ in hoc munere prædicandi olim proximi vicarii & σύνεργοι fuère patriarchæ, quorum multi recensentur ordine, Gen: 5. & 11. ut etiam reliqui primogeniti seu seniores dicti, qui inde ab exordio mundi, usque ad ingressum populi Dei in terram benedictam floruerunt.* Patriarchas illos fuisse, qui Gen: 5. 11. enumerantur, & qui ab exordio mundi usque ad ingressum populi Dei in terram benedictam floruerunt, si dignitatem hujus vocis respicias, & is patriarcha sit, qui aliis pietate & rerum divinarum scientiâ præstat & præit, quales fuerunt Enoch, Noe, Abraham &c. non videtur esse certum. Incertum verò planè est & fabulosum, illos fuisse primos vicarios & σύνεργυς summo sacerdoti λόγῳ; & his nugis homines dementatos esse dolendum sanè est in tanta veritatis luce, quam Deus nostro hoc seculo clementer excitare dignatus est.

Reliqua quæ hac sectione thesi 18. 19. 20. persequitur Fr: non tango, sunt enim parum ad religionem vel saltem ad rem, quæ agitur, pertinentia.

Quæ tertia sectione persequitur, cur non angelis sed hominibus sit commissum ministerium verbi, aliis judicanda relinquo. Equidem tantùm non curiosam hanc quæstionem esse existimo. Rationes etiam, quæ afferuntur, parum concinnas esse unusquisque videre poterit.

In quarta sectione, quæ est, quòd promiserit Deus, se per verbum prædicatum velle efficacem esse in hominibus, non est etiam, quod immoremur. Certum enim est, quod proponitur: licet non omnia, quæ ad hanc rem probandam afferuntur, huc faciant, & sensus valdè alienus quibusdam locis S. literarum affingatur. Non enim ideo Evangelium appellatur ministerium Spiritus, ut thesi 29. affirmatur, *quòd Deus seu Spiritus S. per illud secundum suam permissionem agat efficaciter & operetur salutem.* Quemadmodum non ideo Lex appellatur ministerium Mortis, quòd Deus vel Mors per legem efficaciter

Locus 2. Cor: 3. 8.

2. Cor: 3. 7.

ficaciter agat & operetur damnationem: sed quemadmodum Lex Ministerium mortis appellatur, quia hominem non juvet in iis præstandis, quæ præcipit, & sic per accidens mortem ei conciliet & in morte eum relinquat, quæ omnibus legi inobedientibus proposita est: Sic Evangelium Ministerium Spiritus appellatur, quia non tantùm præcipit, sed etiam adjuvat eos, quibus aliquid præcipit, ut id possint præstare. Iuvat autem per Spiritum, qui est & promissio vitæ æternæ, & auxilium illud singulare, quod Deus omnibus credentibus in Christum, tanquam arrham hæreditatis ipsorum, & obsignationem illorum, promisit. Deinde ineptè cum verbo Dei conjunguntur Sacramenta thesi 31. Præterquam enim, quòd non erat propositum quicquam de sacramentis ab ipso Frantzio, falsissimum est, Deum per sacramenta (quæ vocant) salutem operari. Cùm potiùs sacramenta professio sint ejus, quod Deus in nobis vel per verbum vel per Spiritum suum operatus est. De quo aliàs plura. Ministri verbi, Dei administri, & dispensatores mysteriorum Dei, & spirituales parentes appellari quidem per quandam analogiam possunt: sed tamen eos sic appellatos esse in locis thesi 32. citatis, planè incertum est. Legatos verò Dei eos appellari uspiam, omnino falsum est. Locus enim allegatus 2.Cor:5.20. De solis Apostolis; locus verò Eph: 6. 20. de solo Paulo loquitur. Posse autem esse ministrum verbi Dei, qui non sit legatus vel missus, & maximè, quales erant Apostoli, per se manifestum est, & infrà etiam probabitur.

Iam ad quintam sectionem veniamus, in qua plura nobis notanda occurrunt. Et primum quidem ipse titulus vitio non caret: qui est: *In specie, quòd Deus per verbum & sacramenta accendat fidem & sanctos motus.* Vt enim antea indicatum est, otiosè adduntur sacramenta verbo Dei, cùm de Ministerio Ecclesiastico & prædicatione verbi divini instituta sit disputatio, & separatim deinceps de sacramentis quæ vocant, tractetur disputatione 10. 11. & 12. Quorsùm enim istud chaos, & eadem sæpe iterandi libido? Deinde per insignem errorem eadem virtus sacramentis, quæ vocant, tribuitur, quæ verbi Dei prædicationi, ut mox videbimus.

Thesis 41. est: *Sicut autem olim ex miraculis, tanquam operibus Dei extraordinariis, fides accendebatur, ita quoque in sacramentis, tanquam mediis ordinariis & visibilibus, eadem divinitus excitatur, alitur & confirmatur.* Hujus thesis alterum membrum planè ab omni verisimilitudine alienum esse, sentimus, & ut errorem damnamus. non tam ideo, quòd sacramentorum nullam faciant sacræ literæ mentionem, quod tamen & ipsum non minimi est momenti, quàm quòd ea,

quæ nos ipsi facimus & facere tenemur, fidem in nobis excitare & alere, valdè ineptum esse videatur, cùm potiùs fidei sint argumentum. Quomodo autem id probare conetur Fr:, audiamus.

Thesi 42. ait. *Hujus igitur loci est, quod Gen:17.v:14. parvulorum circumcisio appellatur fœdus & pactum Dei, item διαθήκη seu Testamentum, hoc est, sicut Apostolus Rom:4.v.11. explicat, non tantummodo simpliciter externum signum, sed inprimis & præcipuè sigillum seu signaculum, quod obsignaret justitiam fidei.* Nullam hîc probationem videmus ejus, quod est in quæstione, Fidem per sacramenta excitari, ali & confirmari. Nam nec sacramentum esse probatur circumcisionem: nec quomodo ex eo, quòd fædus & pactum Dei dicitur circumcisio, consequatur, eam fidem excitare & conservare, docuit Fr:; nec eum id unquam probaturum credo. Paulus verò Rom: 4. 11. nec fædus nec testamentum appellat circumcisionem, sed tantùm dicit de Abrahamo: *Et signum accepit circumcisionis signaculum justitiæ fidei, quæ in præputio* (erat). Signum circumcisionis, hoc est signum vel notam, quæ est circumcisio, ait, accepisse Abrahamum, eamque circumcisionem signaculum fuisse affirmat fidei, quæ erat in Abrahamo tempore præputii. Signaculum appellat justitiæ fidei, non quòd justitiam fidei in Abrahamo existentem excitaret, hoc enim contradictionem implicat, nam quod excitatur, id non est: quod verò non est, obsignari non potest: sed quòd indicio & testimonio esset, justitiam fidei, quæ tunc, cùm in præputio adhuc esset Abrahamus, in eo erat, Deo fuisse acceptam. Nam si Deo accepta non fuisset, signaculum id ei Deus non dedisset, quod tamen fecit. Sigillis enim non tantùm res confirmantur, verùm etiam ea signare solemus, quæ nobis cara sunt. Hinc Paulus de se ait, se portare stigmata Christi in corpore suo, non ut fides ipsius confirmetur, sed ut constet, quàm carus esset Christo. Iam si istam significationem confirmatio fidei in Abrahamo consecuta est, id totum per accidens fuit, & præter mentem Dei, qui tantùm significare voluit, præcipiendo circumcisionem Abrahamo, quàm cara illi esset fides Abrahami. Sed porrò concesso eo, quod de circumcisione affirmat Frantzius, quid hoc ad sacramenta, quæ vocat Fr:, novi Fæderis pertinet? Fortassis credit, hæc illis actionibus, qualis est circumcisio, successisse. At nec baptismus, nec cæna Domini (hæc enim sunt Frantzio sacramenta), fædus uspiam appellantur, nec sigilla justitiæ alicuius.

Circumcisio cur signaculum appelletur.

Gal: 6. 17.

Thes: 43. est. *Etsi autem de adulto ibi loquitur sacra scriptura, tamen quia infantes jubentur circumcidi, Gen:17.12. Deinde quia infantis circumcisio æquè vocatur pactum Dei & Testamentum atque adulti, Gen: 17. 12, 13.*

17. 12,13. *Denique quia τῶν βρέφων, id est, (circumcisorum) eorum, qui teneri sunt, & adhuc ab uberibus pendent, puerulorum dicitur eße regnum cælorum, Luc:18.16. Utique per actionem Spiritus sancti, vel afflatum interiorem fide donantur, ut pote sine qua regnum cælorum ipsis non competeret, Heb: 11.6.* Sensit Frantzius objici sibi potuisse, in illis tantùm sigillum justitiæ fidei locum habere, quod ille confirmationem fidei esse credidit, qui fidem habent, hoc verò non nisi de ratione præditis dici posse, itaque probare conatur, infantes etiam fide præditos esse. Sed & rem agit non necessariam, & admodum frigidè eandem probat. Non enim ex eo, quòd infantes jubentur circumcidi, quæ prima ratio est, nec ex eo, quòd circumcisio infantis æquè sit pactum atque adulti (quanquam textus id non habet) quæ est altera ratio, sequitur, eos præditos esse fide, sed tantùm, eos etiam ad fædus, nempe illud vetus, suo modo, pertinere. Nec mirum, cùm fædus illud non nisi terrena bona promitteret, quorum unâ cum parentibus proles particeps esse potest, etiamsi nec fide nec ratione sit prædita. Lucæ verò 18.16. (quæ tertia ratio est) non dicitur, infantium esse regnum cælorum: sed *talium* nempe, qui similes sint infantibus, quoad simplicitatem mentis, ut ibidem v: sequenti & alibi expreſsè dicitur Matth: 18.3. Vanum est igitur & puerile dicere, utique per actionem Spiritus sancti vel afflatum interiorem fide donari infantes. Locus Heb. 11. 6. *Sine fide impossibile est Deo placere*, de adultis, & iis, qui credere per ætatem possunt, tantùm intelligendum esse ipse contextus & ratio docet, si de perfectissimo modo (ut ibi fieri necesse est) placendi Deo accipiatur. Alioquin infantes etiam Deo placere nemo nescit. Quid verò illis futurum sit, qui per ætatem credere non potuerunt, nusquam disertè scriptura testatur, & proinde totum judicio Dei justissimi permittendum est.

Cur infantes ad V. F. pertinuerint.

Thesi 44. *Atque in V. Testamento sic sese habuit res cum parvulis: in Testamento novo simillima reperitur doctrina, de fide in infantibus in baptismo accensa. Si enim infantes sunt baptizandi, Matth: 28.19. cum Act: 2.39. juxta collationem Gen: 17.7, 12. & baptizati induunt Christum, quod aliter quàm per fidem fieri nequit, utique in baptismo fide donantur. Sed illud ad verbum habetur, Gal: 3. v: 2. Quicunque baptizati estis, Christum induistis.* Hîc primùm errorem suum prodit Frantzius, quòd baptismum N.F. parem facit circumcisioni, quod tamen falsissimum est, & controversum saltem esse posse, suspicari poterat Fr:. Deinde pueriliter id, quod tamen huc nihil facit, probat. Nam primùm pro concesso sumit, infantes esse baptizandos. Loci enim nudè asscripti, Matth: 28.19. cum Act: 2.39. nihil tale affirmant, nec quicquam tale ex

cis

eis deduci posse certum est. Deinde Christum induere Gal: 3., sumit pro induitione, quæ reipsâ fiat, quod tamen fasum esse multis rationibus evinci potest: cùm induere Christum professionem induitionis Christi significare possit, & isto in loco omnino significet, quæ nunc non persequor ampliùs, tum quia rationes nullas Fr: attulit, tum quia hoc in loco ista quæstio tractari non debuit.

Thesis 45. est. *Et cur in neganda fide infantum erunt pertinaciter Anabaptistæ & Calviniani, cùm videant de testimonio Spiritus S. Psal: 8.3. quòd ex ore infantium & lactentium perficiat sibi laudem Deus: cùm item norint, Ieremiam ab utero matris sanctificatum Ierem:1.5. Ioannem Baptistam ex pleniore Spiritus S. motione insigniter exiliiße in utero matris, Luc:1.44. cùm denique quotidiana experientia convincantur, mutos & surdos mirabilia præbere exempla absconditæ in ipsis operationis Spiritus S., in exercitiis pænitentiæ, gemitibus. &c. Fidem autem non rationis opus, sed donum Dei eße, an non testatur, Apostolus Ioh: 2.8.?* Imò cur vos in affirmanda fide infantium estis pertinaces Lutherani & Pontificii, cùm hoc non tantùm literis sacris, sed ipsi etiam communi sensui contrarium sit? Infantes & lactentes Psal: 8. non sunt infantes, propriè sic accepti, sed infantium & lactentium similes, ut Christus ipse locum hunc explicat Matth: 21. 16. Sanctificatus autem ab utero matris esse aliquis potest, nempe Deo, etiamsi nulla fide tunc sit præditus. Cùm sanctificatio ista aliud nihil sit quàm immutabilis ad aliquod opus insigne exequendum separatio & destinatio. Iohannem autem Baptistam in utero matris suæ exiliisse, fideiné Iohannis nondum nati argumentum est? ô rem ridiculam! Quid si quis dicat, læticiam, quâ mater Iohannis perfundebatur, vel naturaliter, vel etiam, si ita placet, miraculosè causam fuisse istius commotionis tam vehementis in utero ipsius, nonné id magis rationi consentaneum, & satis esset ad rationem hujus rei reddendam? Mutos verò & surdos præbere exempla absconditæ in ipsis operationis Spiritus S. in exercitio pænitentiæ, gemitibus &c. quàm ineptè dicitur? Cùm ipsa experientia testetur, hoc totum eos haurire posse beneficio sensus oculorum ex iis, quæ inter homines quotidie fiunt, præsertim si pænitentia sumatur pro eo, quod hodie inter Christianos loco ejus fit, nempe pro externis quibusdam factis, quæ sæpenumero simulata sunt, & cum vera resipiscentia, quæ est animi inprimis & deinde omnium actionum externarum mutatio, nihil commune habent. Porrò concesso eo, quòd ii, qui a Frantzio enumerantur, fide præditi fuerint, num ex tam paucis individuis vel speciebus genus rectè concludi potest? Certè non exemplis, sed vel testimoniis s. literarum

Infantes fide carent.

 vel sal-

vel saltem rationibus id demonstrandum esset. Testari id Apostolum Joh:2.8. nimis negligenter dicitur, vel potiùs amanuensis aut Typographi error est. Loco enim Ioh: Eph: scribendum erat. Sed Paulus, qui fidem donum Dei affirmat, non dicit eam non esse rationis opus. Itaque falsò de Apostolo dixit Frantzius, eum hoc testari. Nec ex eo, quod Paulus dicit, ullo modo id colligi potest, nisi doceatur, rationem ita dono Dei contrariam esse, ut hoc posito, illa tollatur necessariò, quod nemo præstare unquam poterit: imò contrarium tum sana ratio, tum ipsæ f. literæ testantur. Pro Frantzii igitur argumentatione insulsa censendũ est: Donum Dei est; ergo non opus rationis. His ita omnibus examinatis, interrogo Frantzium, quid hæc omnia ad propositum faciant? Demonstrandum enim erat, in sacramentis fidem divinitus excitari, ali & confirmari. Probatur autem, infantes fidem habere, & tales etiam, qui nondum nati, nedum sacramentis Frantzii initiati sunt. Amphora cæpit Institui, currente rota cur urceus exit?

Thesi 46. ait. *Et ut adhuc magis premamus adversarios, conjungant & expendant, quæso, duo hæc sequentia loca, Eph:5.26. & Apoc.20. 12. Illic, Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit seipsum pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo, &c. Hic verò, quinam Ecclesiam constituant, exponitur, nimirum, quòd vidit Iohannes mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu Dei, inter quos pusillos turbam infantulorũ non baptizatorum numerari quis jure negabit?* O levem pressionem. Probandum erat, Eph: 5. per lavacrum aquæ, baptismum, & Apoc:20. per pusillos infantes intelligi, & pressisset utcunque adversarios Frantzius. Iam verò cùm lavacrum aquæ figuratè accipi possit, quemadmodum seipsum Paulus explicat dum dicit: *in verbo*, hoc est per verbum, & alibi etiam per aquam puram vera Heb:10.22. pænitentia significetur; (eos enim hortatur autor ille, ut corpus aquâ purâ ablutum habeant, qui jam Christo nomen dederant, adeoque baptizati erant) et per pusillos, vel minores fide inter Christianos, vel etiam ætate aliis inferiores, non tamen recens nati, significari possint, nihil hisce conjecturis potest esse futilius, nihil inanius.

Thes:47. *De sacramentis adultiori ætati adaptatis minor est dubitatio. Cùm enim in sacra cæna quotiescunque ederimus & biberimus, mortem Domini annunciari deceat, donec veniat, cùm discernendum sit corpus Domini ab aliis cibis, cùm seipsum probare debeat homo, quis dubitabit etiam fidem in sacra cæna stabiliri & augeri, 1.Cor:11.v:26, 28, 29.* Non minor, sed par vel major est dubitatio, an sacramenta in adultis fidem excitent, alant & confirment. Quid enim annunciatio mortis

Domini,

Domini, discretio corporis Domini, & probatio suiipsius, cum excitatione, sustentatione & confirmatione fidei commune habent? cùm ista omnia sine fide jam excitata fieri nullo modo possint. Equidem ita persuasum habeo, & hæc ipsa est veritas, nisi quis fidem habeat in se excitatam & manentem & confirmatam, per ea scilicet, quæ Deus ad excitandam eam ex parte sui extare voluit, quæ sunt Christi potissimùm mors & exaltatio, & quod penes ipsum Deum perpetuò est, nempe Spiritus S., quatenus est obsignatio fidei, eum mortem Domini annunciare non posse, & indignè vesci isto pane & bibere vinum, & non discernere corpus Domini, & nō probare semetipsum, tantum abest, ut per istam actionem fides excitetur, alatur & confirmetur. Dicam iterum, quod res est: Non, ut fides excitetur, alatur & confirmetur, instituta est cœna Domini, sed ut ab iis, in quibus fides per Christi mortem & exaltationem excitata est, & vel per eadem vel etiam per Spiritum S. confirmata, publica & solennis fiat gratiarum actio pro morte illa Christi Deo & Christo per celebrationem cœnæ Dominicæ. Sic enim D. Paulus disertè ait: *Quotiescunque panem hunc comederitis, & de poculo hoc biberitis, mortem Domini annunciatis donec veniat.* Finis cœnæ Domini. 1. Cor. 11. 26

In sexta sectione quæ a thesi 49. durat usque ad 58., cui titulum fecit Frantzius, *Adversus contemtores ministerii scopticos, qui sunt in medio nostri*, nihil quidem est erroris, qui salutem concernat: sunt tamen quædam nimis ineptè dicta, qualia sunt, quòd Ministri hodierni in munere profitendi & prædicandi, ipsius æterni filii Dei vices obeant; & quòd, quæ de sacerdotibus in V. T. dicta sunt, ad ministros, qui nunc sunt, verbi divini per summam vim pertrahuntur; quòd, præter Esaum, neminem hoc primogenitorum jus vendidisse, idque ex traditionibus Hebræorum asseritur; quòd, quænám compensatio antiquitus illis destinata fuerit, qui munus sacerdotum vel Levitarum obierunt, docetur, & alia his similia. poterant enim ista omnia omitti, utpote quæ partim falsa sunt, partim ad ostentandum sese potiùs & extorquendum aliquid ab hominibus, quàm ad commendandum ministerium pertinere videntur.

In septima sectione, quæ a thesi 58. durat usque ad 90., non est quod immoremur. Vnâ enim cum Frantzio damnamus eorum opinionem, qui externam verbi prædicationem rejiciunt, & per eam fidem in nobis excitari, ali & confirmari posse negant. Non possumus autem non accusare hominem, qui, absque ulla causa justa, thes. 72. affirmat, nos cum Schvvenkfeldianis in multis non parum convenire, inprimis de Iustificatione, de Ecclesia, de baptismo, de cæ-

ma Domini, de impletione legis, &c. Quid enim hoc ad propositum illius faciebat? volebat fortassis unà cum Enthusiastis nos exosos reddere vulgo hominum imperito. At num hoc virum bonum deceat, ipse & cordatus lector judicet. Hac ratione possemus & nos, & majori jure affirmare, Frantzium ipsum esse Enthusiastarum fratrem. nam in articulis præcipuis Christianæ religionis idem cum illis sentit, nempe de Deo trino & uno, de λόγῳ ἀιδίῳ, de persona Spiritus S. & aliis. Illud etiam annotare libet, rectiùs sentire Schvvenkfeldium, dum negat, per baptismum Deum operari salutem, quàm Frantzium, qui idem affirmat. Nam quem Frantzius affert locum ex Marco, *Qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit*, de baptismo aquæ intelligendum esse, nunquam docebit Frantzius. Falsum etiam omnino est, Ministros verbi divini, cooperarios Dei appellari respectu dispensatorum ab illis sacramentorum. Hoc enim ad naturam ministerii non spectare inde patet, quòd Paulus officia Episcoporum nominatim describens, nullam ejus rei facit mentionem, & ab alio ea administrari posse, docent exempla Act: 10. 48. & 1. Cor: 11. 20. & seq:. Quanquam in jam constituta Ecclesia præstat & decentius est, Ministros eadem administrare, quàm alios.

Octavam sectionem facit Frantzius de iis, *qui ex humani ingenii ratiocinationibus in articulis fidei ratiocinantur*, & in thesi 90. eos perstringit, *qui de articulis religionis extra revelatum verbum æquè ex rationis purè putè humanæ syllogisationibus & scrutiniis statuere voluerunt*. Quod jure Frantzium facere non diffitemur, quatenus eos refutat, qui parem, rationem humanam, s. literis & divinæ revelationi faciunt. Non levis enim est istorum hominum audacia, qui id affirmant, addo etiam perversitas. Quia scilicet ex s. literis ea didicerunt, de quibus secundùm rationem disserere datur, rationis etiam beneficio se eadem consequi potuisse somniant.

Thesi autem 105. in nos invehitur, dum ait: *Æmulantur Schwenkfeldium, Pontificios, & Calvinianos in hac parte non leviter hodierni Photiniani, qui clamitant, nostra dogmata de tribus personis in una Deitate, tanquam dogmata Dei veritati & rationi contraria, impedire infideles, quo minùs convertantur ad Christum, in Catechismo per Schmaltzium dedicato, fol: 49. Item rectæ rationi contrarium dicere, qui sentiant in Christo esse duas naturas, fol: 55. Item cùm Christus sit in cælo, & necesse sit, eum ibi esse, quòd non possit præsens simul esse in cæna, fol: 220. cùm etiam proprietatibus naturalibus corporis ejus præsentia talis repugnet, fol: eodem. item rectæ rationi multis modis contrarium esse, si quis doceat, Christum sua morte nobis promeritum esse æternam salutem,*

tem,

tem, fol: 261. 263. Fatemur quidem, nos sentire, nullam religionis Christianæ partem rationi contrariam: Sed hac in re non æmulamur istos, quos nominat Fr. Quod si idem cum illis hac in parte sentimus, quid mirum, in eo nos convenire omnes, quod non potest non esse verissimum, & quod ipse Fr: etiam verum esse non diffiteretur, vel diffiteri non posset, si, quomodo dogmata quædam sua, stante ratione, defendere posset, inveniret. Sed non ideo tamen dogmata quædam ab aliis recepta principaliter rejicimus, quòd rationi sint contraria, sed ostendimus præterea, ea nec in sacris literis scripta extare, nec ex illis justis collectionibus deduci posse. Itaque non est quod Frantzium id offendat, quod de ratione dicimus. Ostendat nobis ex sacris literis suas opiniones, & nos eas pro certis recipiemus, etiamsi rationem nostram superent. In magno autem & crasso errore versatur Frantzius cum Luthero, qui credit, verum esse aliquid in Theologia, quod sit falsum in Philosophia, hoc est, rationi contrarium. Verissimè dixit Lutherus, quod citat Fr: thesi 104. magis disparatam esse prædicationem, Deus est homo, quàm si dicas, homo est asinus. Et ita falsissimum est, literas sacras affirmare, quòd Deus (nempe qui naturâ talis est) sit homo. Verba enim Ioh: cap: 1. 14. quæ communiter ita leguntur, *Verbum caro factum est*, nec Dei nec hominis mentionem faciunt. Differunt enim Verbum & Deus, (si Deus, ut adversarii volunt, Deum illum unum significet) differunt item caro & homo, & præterea vox ἐγένετο, tam *fuit*, quàm *factum est*, converti potest; quòd verò converti etiam debeat, contextus docet. Absurdum enim & plus quàm ὕστερον πρότερον fuisset, priùs ea commemorare, quæ Iesus jam natus & adultus fecerat & docuerat, quàm ipsius istam incarnationem (quam vos vocatis) describere. Quæ verò nos in nostro Catechismo notamus, quòd rationi contraria sint, in confessione adversariorum, ea si non ratione, saltem literarum sacrarum testimonio & argumentis vera esse ostendat Frantzius.

In religione nihil est contrarium rationi.

Quod verò thesi 107. ait, nihil magis impedivisse Ethnicos, quò minùs crederent, quàm ratiocinationis humanæ φάντασμα, idque exemplo Galeni probat, hoc ad propositum nihil facit. Nec enim nos ii sumus, qui s. literarum autoritatem in dubium vocemus, sed omnia, quæcunque in illis traduntur, multò libentiùs admittimus, quàm ea quæ ratio nostra nobis suppeditat, ancillam sacrarum literarum censentes rationem. Fidem effici per sacramenta, jam semel atque iterum annotatum est, quòd sit error crassissimus. Itaque repellendo eo ampliùs tempus non terimus.

REFUTATIO THESIUM WOLFGANGI FRANTZII, De Bonis operibus.

Quæ est Disputatio ipsius sexta.

IN prima sectione thesi 3. Frantzius nostram etiam de bonis operibus sententiam, causam, ait, sibi præbuisse, solidiùs stabiliendi suam ex verbo Dei de bonis operibus sententiam, & sententiam illam nostram exponit, quam quia verissimam & sanctissimam esse credimus, libuit hîc asscribere. *Docent*, ait de nobis, *noticiam Dei præcipuè & maxima ex parte consistere non in agnitione Essentiæ, sed in agnitione voluntatis Dei, & non nisi hanc esse rectam & perfectam cognitionem voluntatis divinæ, nimirum ut sciamus & credamus, quòd Deus omnibus illis, qui ipsi obediunt, hoc est, qui à cupiditatibus & concupiscentiis mundi abstinent, & in hoc mundo piè & justè vivunt, omnia ipsorum peccata, si quæ antea commiserunt, aut postea per imprudentiam vel imbecillitatem committent, remittere & vitam æternam donare velit, si modò ab hac obedientia nec per ipsam mortem nedum per aliud quidvis, malitiam, verbi causâ & libidinem peccandi, sese abduci patiantur, sed usque ad extremum agonem in ea constantes perseveraverint.* Quomodo hanc sententiam Frantzius sit impugnaturus, postea videbimus.

In thesi 4. causas recenset, ob quas nostræ ecclesiæ Iesum Christum Servatorem esse credant, duas scilicet: 1. ut hanc voluntatem Dei nobis annunciet 2. ut illam voluntatem Dei in collectione Ecclesiæ exequatur. Sed & parum fideliter se gerit, & rem maximi momenti nimis obscurè proponit. Nam præter has duas causas, alias etiam addimus, Nempe quòd salutem æternam variis modis confirmârit & in sua ipsius personâ ostenderit & ostendat. Quam verò alteram causam affert Frantzius, eam sic intelligimus, quòd Iesus Christus, qui nunc potestatem habet absolutam nos servandi, reipsa nos servaturus sit, & vitam æternam nobis, qui in illum credimus, daturus in extremo illo die. Quæ quomodo sit refutaturus Frantzius, accuratè etiam deinceps videbimus.

In sectione secunda cujus titulus est: *Quid sint bona opera*, thesi 7. nos perstringit, quòd malimus obedientiam mandatorum Dei vocare, quam

re, quàm bona opera. Sed futilis ista reprehensio est. Nam nihil hîc studio facimus, nec quicquam aliud per obedientiam mandatorum Dei, quàm bona opera intelligimus. Hujusmodi cavillationes relinquamus iis, qui alienæ famæ insidiantur, nos, ut Christianos & fratres decet, agamus inter nos.

Causam efficientem bonorum operum esse Spiritum S. (ut ait Fr: thesi 8.) non negamus. An verò ideo bona opera Fructus spiritus (Gal: 5.) appellentur, dubium esse videtur. Opponitur enim ibi fructus spiritûs operibus carnis. Quemadmodum igitur opera carnis sunt ea, quæ ab affectibus hominum proficiscuntur: sic Fructus spiritus ea bona opera videntur esse, quæ à ratione hominis, divina revelatione, quæ in Evangelio continetur, illustrata promanant. Nam statim etiam additur: *si Spiritu vivimus, Spiritu etiam ambulemus.*

Cur opera bona appellentur Fructus spiritus.

Thesis 9. est: *Causa efficiens bonorum operum posterior est Cor & voluntas hominis renati seu ad Deum conversi. Non enim sunt bona opera fructus liberi arbitrii, nisi quatenus jam per gratiam liberatum est.* 1. *Ioh:* 5. 18. *Scimus quia omnis qui est ex Deo non peccat, sed generatio Dei conservat eum, & malignus non tangit eum Matth:* 7. 17. *Omnis arbor bona fructus bonos facit.* Bona opera non esse fructus liberi arbitrii, nisi quatenus jam per Dei gratiam liberatum est, obscurè dictum est, & errore non caret. Certum enim est, hominem etiam non renatum, posse natura & ratione duce bona opera præstare, licet non ita perfectè, quemadmodum is, qui renatus est, nec ita perfecta, nec Deo etiam ita accepta, quemadmodum ea sunt, quæ quivis Christi amore facit. Miror autem Fr: quòd hoc suum ἀξίωμα probaturus, locum attulerit Iohannis, cumque secundum vulgatam, quam vocant, lectionem, quæ habet, *& generatio Dei conservat eum,* ut scilicet hinc ostenderet, ad opera bona facienda requiri regenerationem. Cùm tamen longè aliter habeat textus Græcus, qui Frantzio inspiciendus erat, & non alleganda vulgata Pontificiorum versio. Sic autem habet textus græcus, *Et natus ex Deo conservat seipsum.* Vnde, quàm diversus sensus emergat, puto neminem non videre. Verba Christi ita sunt prolata, ut indefinitè de omnibus hominibus, sive renatis sive non renatis dici possint: Et tam bona arbor dici potest, homo non renatus, qui virtutis est studiosus, quàm renatus, qui amore Dei virtuti dat operam, licet alius alio magis propriè. ut oves Christi & populus Christi tam ii appellantur, qui extra Christum sunt animi probitate præditi, quàm qui in Christum credunt, licet hi magis propriè quàm illi.

Homo non renatus virtutes præstare potest.

Thesis 10. est: *Materia bonorum operum seu substantia &c. sunt*

ipsi

ipsi actus, seu actiones suo quodam singulari certo modo per se, & suo quodam certo genere generalissimè hîc accepto non malæ aut vitiosæ. Hac & sequenti thesi 11. Frantzius iterum suo more parum necessaria tractat. Nam quis unquam audivit bonorum operum materiam describi, per actus seu actiones non malas? Cùm ipsa bona opera sint ipsi actus non mali. Ista verò mysteria: *Suo quodam singulari certo modo per se, & suo quodam certo genere generalissimè hîc accepto non malæ aut vitiosæ*, explicanda erant. Nam nec Theologica sunt ista omnia nec Philosophica, sed in Frantzii cerebro nata vana verba, quæ præter sonum nihil habent.

Thesis 11. decimæ similis est: *Forma bonorum operum est in hoc sita, quòd fides vivifica & non ficta a Spiritu sancto accensa in corde hominis renati seu ad Deum conversi actus seu actiones per se certo modo & suo quodam genere certo generaliter non malas nec vitiosas specificè concitat, singulariter animat, peculiariter dirigit, juxta præscriptum verbi Dei.* Verborum obscurorum satis, rei parum. Quis enim intelligit, quid hoc sit, quòd fides vivifica actiones hominum per se certo modo & suo quodam genere certo generaliter non malas nec vitiosas specificè concitat, singulariter animat, peculiariter dirigit &c. Latere voluit sub his involucris Frantzius cum sua plusquam scholastica Theologia. Sed exerat ingenii vires, & quid sibi his loquendi formis obscuris & abstrusis, sacris literis certè ignotis velit, explicet, & apparebit recondita ista sapientia. Inops autem rerum & parum pietati favens is est, qui describens bona opera, non audet quicquam de bonis actionibus dicere, sed tantùm de non malis aut vitiosis actionibus aliquid differit, idq; non simpliciter, sed per se certo modo & suo quodam certo genere generaliter non malis aut vitiosis. ô irreligiosam talem pietatem! ô iniquè dicta bona opera! Nec enim bona opera merentur appellari actiones non malæ, nedum certo modo & suo quodam genere certo non malæ aut vitiosæ. Ad salutem enim non actionibus non malis, sed bonis & per se bonis opus est. Nescit hanc subtilitatem ulla scriptura: non agnoscit eam ulla ratio; deniq; nec ipsa Theologorum omnium, quod nos sciamus, consensus tale quid admittit statuere. Ita verò loquuntur illi, quos pudet suorum commentorum. Simplex & aperta est veritatis oratio.

Thesis 12. est. *Sicut autem aliqui hominis animam hominis formã, ita sensu jam indicato sæpe Theologi fidem uno verbo formam hominis indigitant. Rom. 14. 13. Quicquid non est ex fide peccatum est. Hebr. 11. 6. sine fide impossibile est placere Deo.* Primùm ita loquitur, ac si sint, qui aliter loquantur, quàm hominis animam hominis formam esse, dum

dicit

dicit *aliqui*, cùm tamen nemo aliter unquam locutus fortasse fuerit. Deinde tanta se iterum obscuritate involvit, ut non appareat, quid sibi velit. Quis enim unquam sic locutus est: *ita sensu jam indicato sæpe Theologi fidem uno verbo formam hominis indigitant.* Quisnám ille sensus jam indicatus, & ubinam indicatus? Quínam Theologi sunt, qui ita sentiunt, quemadmodum Frantzius nobis refert? Quo deniq; sensu Fidem formam hominis indigitant Theologi? Oedipo opus erat, qui illas obscuras orationes nobis exponeret. Certè si eas intellexerunt aut intelligunt studiosi Academiæ, in qua Doctor est Frantzius, egregiè eos a Frantzio edoctos esse oportuit in nova quadam dicendi arte. Ad hæc omnia verò quid faciunt loci citati, Rom:14.13. *Quicquid non est ex fide peccatum est;* et Heb:11.6. *Sine fide impossibile est placere Deo?* Equidem quantus sit abusus horum locorum benè video, sed quomodo ad hoc, quod dicitur, quadrent, hactenus perspicere nequeo. Nam si fortassis Frantzius dicat, necesse esse, ut bona opera a fide proficiscantur, id, si de fide in Christum intelligatur, falsum est. Fides enim in Christum non tam facit, ut opus aliquod sit rectum, quàm, ut sit perfectè rectum, & Deo ita acceptum, ut æternam vitam is, qui ejus constanter studiosus est, divinâ clementiâ consecuturus sit. Locus autem ad Rom:14. simpliciter de fide loquitur, quæ fides aliud nihil est, quàm certa persuasio, me nihil errare, dum aliquid facio. Opponitur enim ea fides dubitationi ibidem, nempe tali, an rectè id fiat, quod facturus sum: Et de tali fide sermo est, quam quis potest, imò interdum debet habere apud semetipsum coram Deo, hoc est, quam dissimulare interdum potest & etiam debet. Quod de fide in Christum & justificante dici non posse, nemo non videt. Hanc enim nisi quis confessus fuerit, de salute æterna ut periclitetur necesse est. Fides porrò talis, de qua Paulus ibi loquitur, etiam in iis datur, qui sunt & Christi & Dei ignari. potest enim homo extra Christum positus certò persuasum habere, rem aliquam, quam facit, rectam esse, & nihil dubitare se rectè facere, si eam faciat. Locus verò alter Heb:11.6. de fide quidem alia loquitur, nempe de fiducia in Deo collocata, sive simpliciter, sive per Christum: sed illud placere Deo, non simpliciter accipiendum est, sed ad certum modum restringendum, nempe talem, quali Enoch, de quo sermo est, & alii omnes ei similes fideles Deo placent, qui modus placendi Deo est perfectissimus, ut scilicet homines immortalitatis participes fiant. Tali modo nemo Deo placere potest absque vera fide: At alio modo placere Deo potest etiam is, qui fide in Deum & Christum caret. Nempe ut Deus ejus curam gerat, & in rebus terrenis ei benefaciat. Quod de

Quid differant opera bona a fide profecta a virtutibus non renatorum.

Quid sit sine fide aliquid facere

Placere Deo quid sit.

 homi-

Hominibus etiam Ethnicis dici posse, nemo negaturus est.

In thesi 15. risu illud dignum est, cum hortatur homines ad pietatem Frantzius eo, ut exuscitent in cælo lætitiam inter Trinitatem & angelos sanctos. Nam nec Trinitas ulla est in cælis, qualem fingit Fr:, nec usitatus est sacris scriptoribus talis loquendi modus, de lætitia inter sacram Trinitatem & angelos. De angelis solis legimus, quòd gaudeant ob hominis conversionem.

Thesi 18. ait. *Propter hanc ipsam causam Matth: 16. 27. & Matth: 25. scribitur, quòd in extremo die Christus dijudicabit omnes homines & reddet unicuique (non secundum fidem, licet hæc maximopere tanquam vestis nuptialis a Domino & patrefamilias ipso tanquam internarum cogitationum contemplatore attendatur, sed) juxta opera, seu secundùm opera sua: sicut etiam loquitur ex Deut: 28. & Psal: 62. 13. Dan: 12. 2. Christus Ioh: 5. 29, Item Apostolus Rom: 2. 6. 1. Cor: 2. 8. Gal: 6. 5.* Quid audio? non secundùm fidem reddet unicuique Christus in adventu suo? Cur igitur fidei salus tribuitur? Et cur *solam fidem* justificare credit Frantzius cum omnibus Lutheranis? quæ locutio si rectè intelligatur verissima est. Et si fides est ipsa vestis nuptialis, parumné liquet, propter eam homines in cæleste regnum admittendos? nescio quid fortasse captans Frantzius, hoc ita imprudenter effutierit. Discat autem, quia non potest non reddere Christus unicuique secundùm fidem, nempe justificantem, & iterum legitur, eum redditurum secundùm opera unicuique, opera & fidem, quatenus nos servat, non esse ita necessariò disjuncta, ut sunt causa & effectus, quod Fr: asserit, sed ita conjuncta, ut alterum sine altero esse reipsâ nullo modo possit, & opera bona esse complementum & animam fidei. Quis verò retulit Frantzio, Christum Ioh: 5. 29. ea verba, *& prodibunt*, &c. ex Deut: 28. loqui? Deut: cap: 28. de benedictionibus & pœnis merè terrenis & temporariis, quas Deus populo Israelis proponit, si vel obediret vel non obediret, agitur: versu verò 29. cap: 5. Iohannis ex communi Theologorum sententia sermo est tantùm de præmio resurrectionis & pœna judicii æterni. Ad id, quod Dan: 12. 2. dicitur, Christum respexisse; vel ex isto loco hæc, quæ apud Ioh: habentur, locutum esse, ut ait Fr:, similiter pro re incerta habendum est. Nam apud Danielem de iis rebus sermo propriè est, quæ post captivitatem Babylonicam acciderunt, ut unicuique locum semel diligenter relegenti constare potest. Quod si tamen ad ea, quæ olim fient in Christi adventu, referri quis ea posse velit, id non nisi allegoricè & impropriè fieri posse concedendum est. Atque hæc vera sunt, si communis sententia Theologorum de hoc loco retineatur. Iam verò incertum omnino est, verba

Secundùm fidem reddet Christus unicuique.

y. s. 4. p. 468.

verba Iohannis de eo accipienda esse, quod in adventu Christi futurum testantur s. literæ. Sermo enim ibi est de re paulo pòst futura, imò quæ jam cæperat fieri, cum Christus ista loqueretur, ut ex v: 25. apparet, in quo dicitur, *Horam jam venire & tunc fuiße*, &c. Si tunc fuit illa hora, quomodo de re futura in ultimo die intelligi verba Christi possunt? Nec est quod quis dicat, de alia re 25. v: sermonem esse. Cohærent enim ea, quæ v: 28. dicuntur, cum iis quæ v: 25. continentur per voces relativas, *ne miremini hoc*, quod scilicet dixi v: 25. Vnde apparet utrobique de eadem re agi. Deinde, idem esse *mortuos*, quod *in monumentis existentes*, quis non videt? Si quis ampliùs dicat: Quis igitur loci istius sensus est? Huic respondebo, non esse id nostri officii, id explicare. Satis enim est ostendisse, sententiam vulgatam admitti non posse: Innuam tamen tribus verbis, quid nobis de loco isto videatur. Vaticinatio est Iesu Christi de vocatione gentium. Hæc enim tunc instabat, & jam quodammodo incipiebat. Gentes autem appellantur mortui vel in monumentis existentes, propter statum eorum, in quo tunc erant, deploratissimum. Quia scilicet morti erant addicti. Quomodo etiam alibi homines a Deo alienati, mortui esse, & vice versa veri Christiani servati & glorificati dicuntur; & quemadmodum etiam Iudæi cum essent in captivitate Babylonica dicebantur esse in monumentis. *Audire vocem filii Dei*, est occasionem habere audiendi Evangelium ab Apostolis prædicatum. Hoc enim *vox filii Dei* appellatur a Iohanne, cujus ea est phrasis propria, Ioh 10 27. & 18. 37. *Qui audierint*, hoc est, qui obtemperaverint, *vivent*, hoc est, vitam æternam consequentur. Quod autem v: 25. dicitur, *qui audierint*, hoc v: 29. est, *qui bona fecerint*. Idem enim valent, Christi vocem audire vel ei obtemperare, quod bona facere. Quod item dicitur v: 25. *vivent*, hoc est v: 29. *procedent in resurrectionem vitæ*. & idem illustratur per antithesin: *Qui verò mala egerint*, scilicet audita voce Evangelii sibi annunciati, *procedent in resurrectionem judicii*. procedunt autem ex monumentis ii, qui bona fecerint, quatenus liberantur ab ignorantia & impietate præterita, ad resurrectionem vitæ, hoc est in eum finem, ut succedat consecutio æternæ vitæ. procedunt etiam ex monumentis scilicet ignorantiæ & impietatis præteritæ, ii, qui mala fecerint audito Evangelio, nempe ex parte Dei, in hunc finem, ut judicium tandem severissimum experiantur. Verba illa, quæ in vulgata sonant, procedent, *qui bona fecerunt, qui mala fecerunt*, per modum subjunctivum convertenda esse, & natura ἀορίστων (quæ est, quòd semper significationem habent eorum, quibuscum junguntur, verborum) & loci

Explicatur locus Ioh: 5. 25.

v. Hur... 3, 172.

Luc: 9. 60. Rom: 8. 24, 30. Ezech: 36.

loci infiniti, præsertim verò v: 25. docent. nam quo jure verbum οἱ ἀκούσαντες *qui audierint* cōversum est, eodem etiam, οἱ ποιήσαντες *qui fecerint*, converti potest & debet. Et hæc nunc breviter indicasse de hoc loco sufficiat, quæ lectori pio consideranda relinquimus.

Thesis 20. est. *Secundò ideo bona opera præstanda sunt, ut nos a Deo consequamur benedictiones corporales & spirituales, quas piis & obedientibus promisit Dominus.* 1.*Tim*:4.18.*Pietas habet promissiones hujus & futuræ vitæ.* Hæc quidem vera sunt, sed sobrio sensu. Cum enim Paulus ait, pietatem, nempe Christianam, promissionem habere hujus vitæ, non ita id accipiendum est, quemadmodum id Fr: thesi sequenti 21. explicat, nempe quòd omnis generis terrena beneficia sint promissa illis, qui Christo obediunt. Hoc enim repugnat ei, quod alibi ab eodem Paulo dicitur: *Habentes alimenta & tegumenta his contenti erimus*, & cum alibi dicit: *quicunque in Christo piè vivere volunt, persecutionem patientur*: sed promissio hujus vitæ vel ita accipienda est, ut non, quid promissum sit, sed tantùm, promissum esse aliquid etiam in hac vita piè viventibus, significetur: quid verò illud sit, aliunde colligendum relinquatur. Id autem est, divina clementia & favor, quæ in donatione Spiritus S. & divina tutela consistere dici potest; vel si tamen ad commoda etiam terrena promissio illa hujus vitæ referenda est, plus eam non continere dicendum est, quàm quæ alibi Paulus nobis concessa esse, & quibus contenti esse debemus, asserit. Alioquin si sic scripturam explicare velimus, perplurima s. literarum loca N.F. irrita erunt, quæ partim affirmant, & ex quibus partim concludi potest, nos hîc nullam habere manentem civitatem; nostram rempublicam esse in cælo, & his similia multa.

Quatenus pietas sub N. F. benedictionis corporalis causa sit.

1.Tim:6.8.
2.Tim:3.12.

Hebr:13.14.
Phil: 3. 20.

Thesi 22. affirmatur: *quòd Deus promiserit propter Christum ornare illam, quamvis inchoatam, languidam, imperfectam & immundam Christianorum in hac vita obedientiam*, &c. Hæc omnia cur Fr: non comprobavit aliquo saltem sacrarum literarum testimonio? Tantum autem abest, ut Deus inchoatam, languidam & immundam obedientiam sit compensaturus, ut etiam Christus minetur se tepidos evomiturum ex ore suo. Quinam verò sunt tepidi, nisi qui Deo obedire inchoârunt, languidè autem imperfectè & immundè obediunt? Scilicet hic modus est, continendi homines in officio & studio pietatis. Et tamen Frantzius ait, se indignari illis, qui populum a vera pietate avocant, cùm ipse hujusmodi thesibus suis omnem eis ad negligentiam & simulationem fenestram aperiat, & tantùm non negligentes esse jubeat.

Qualem obedientiam Deus remunerare velit.

Apoc: 3. 16.

Adjuncta bonorum operum appellari posse adhærentes & residuas multiplices infirmitates, imperfectiones & nævos, ut ait Fr: thesi 29, concedi quidem potest, sed hac lege, ne ipse peccandi habitus, sub vocibus istis lateat, & ita excusetur, quod proh dolor, hodie apud omnes ferè videre est. Itaque verba illa parùm religiosa Lutheri, non erant hîc prostituenda: *Iustum in omni bono opere peccare.* Nam longè differunt ista, deesse aliquid bono operi, & peccare in omni opere bono. Non enim pro peccato vero hoc habetur nec ab ipso Deo, si quid in bono opere desit. Præterea falsissimum est istud pronunciatum Lutheri. Licet enim multi tales sint justi, quibus in omni bono opere aliquid deest, dantur tamen vel dari saltem possunt, qui isto modo non peccent in bono opere. Paulus enim, cum jubet, ut simus imitatores sui, ut ipse fuit Christi, certè non docet, se in omni bonoo pere peccasse. Aliàs enim sequeretur, ipsum etiam Christum in omni bono opere peccasse, siquidem se Paulus Christi imitatorem esse propterea affirmare non dubitaverit. Et per hæc responsio patet ad ea, quæ thesibus sequentibus 30. & 31. ex libro Iobi disserit Frantzius, si tamen ea ad propositum quicquam faciunt. Non enim de imperfectione, quæ insit in ipsis bonis operibus, sed de imperfectione, quæ in studio pietatis inesse soleat, omnia ista verba intelligi possunt, ut sensus sit, neminem eorum, qui rectissimè plærumque obediunt, interdum non labi aut errare. Nihil autem dico de eo, quòd verba illa non Iobi sint, sed Eliphazi, qui si multa dixit parum religiosa, quid mirum est? Nec quicquam refert, quòd Deus sine causa Iobum afflixisse legatur, & quòd Iobus vitæ suæ innocentiam prædicet. Nam verba Dei restringenda esse nemo non videt, nempe Iobum non fuisse meritum talem & tantam afflictionem. Iobus verò talem vitæ innocentiam prædicavit, quæ cadit in homines, & in qua Deus acquiescere solet, quæ est, si homo nihil faciat ex deliberata malitia, contra divinam voluntatem, vel saltem in eo, quod interdum parum rectè facit, non hæreat pertinaciter.

V. Sleg. p. 476. Strom. Cb. 3, 52.

Dantur opera bona, in quib: nihil desideretur.

Thesis: 32. est: *Prætermittimus alia testimonia Psal: 143. 2. Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et Rom. 3. v. 10. recensetur ex Psalmo dictum: Non est justus ne unus quidem. Ideo quoque Apostolus conversos & sanctos monet, ne serviant peccato & patiantur sibi dominari peccatum, Rom: 6. 6. 12. 14.* Testimonia hîc adducta aliud etiam nihil probant, quàm homines non perfectè nec absolutè Deo obedire, quod apud omnes in confesso est: Sed non probatur ex illis, justum in omni opere bono pecca-

Justi quatenus sint homines.
no peccare. Verba prætereà Pauli Rom: 3. dicta sunt hyperbolicè, præsertim si vox *justus* eum significet, qui nullius peccati habitu sit implicatus. Tales enim multos fuisse non tantùm credibile est, verùm etiam sacræ literæ testantur manifestè, dum Abelem, Lothum, Zachariam, Elisabetham, & alios justos fuisse pronunciant. Illud verò nihil planè ad rem facit, quòd Paulus conversos & sanctos monet, ne serviant peccato, & ne patiantur sibi dominari peccatum; potest enim moneri is etiam, qui est sanctissimus & justissimus, ne scilicet talis esse desinat.

2. Pet: 2. 8. Luc: 1. 6.

Tertia sectio est: *an Ethnici habuerint bona opera.* Hîc detegenda est ambiguitas, quæ latet in vocibus *bonorum operum.* Nam aut simpliciter per ea virtutes intelliguntur, quando vitia vitantur; vel comparatè eæ actiones intelliguntur rectæ, quas Christus nobis præcepit. Hoc posteriori sensu dici potest, Ethnicos non habuisse bona opera: nescierunt enim multa, quæ Dominus Iesus præcepit, nec ita perfectè virtutibus studere poterant plærique, quemadmodum possunt Christiani: sensu priori negari nullo modo potest, bona opera etiam habuisse Ethnicos. Quicquid enim fit secundum rationis, quam vocant, superioris dictamen, id omne virtutis atque adeo boni operis nomen meretur.

Quo sensu dici possit, Ethnicos habuisse bona opera.

Thesis 35. est: *Cùm enim propriè appellata bona opera sint, utique divini spiritus opera, deinde cùm non nisi renatus & ad Deum conversus per Christum donetur & exornetur Spiritu sancto operum istorum bonorum formatore, denique cùm bona opera potissimum fiant in honorem Christi & mandatorum Dei, non in gloriam hominum; quo jure pietatem Curtii Reguli & Socratis, justitiam Aristidæ opera bona perhibebimus, quæ (ut generalem præsentiam & operationem Dei iisdem non denegemus) aliunde tamen quàm ex carne seu ratione in illis non prodierunt, & in istis incredulis, non ad gloriam patris æterni in filio suo, sed ad gloriam & utilitatem propriam designata fuerunt.* At omnia hæc non efficiunt, quominus virtutes Ethnicorum sint bona opera. Insignis enim est in argumentis Frantzii consequentis fallacia. Nec enim, quia bona opera, quæ renati faciunt, sunt opera Spiritus sancti, & ab eo, utpote quo renati donati sunt, formantur, & in gloriam Dei fiunt, ideo, quæ non sunt opera Spiritus sancti, nec ab eo formantur, nec ad Dei gloriam cedunt, non sunt bona opera: sed tantùm hoc efficiunt argumenta Frantzii, quominus virtutes ethnicorum sint & tam perfectæ & Deo tam acceptæ, quemadmodum sunt virtutes, quas exercent Christiani homines. Breviter dicendo, non naturam virtutum, sed qualitates earum, ista omnia, quæ Frantzius commemorat, immutant.

Thesis 37. *Primùm autem rectè inquit Bernhardus sermone 22. super cant: Incassum quis laborat in acquisitione virtutum, si aliunde eas sperandas putat, quàm à Domino virtutum. Hæc ille, ut apparet ex Iacobo cap: 1. v: 17. Omne donum perfectum de sursum est, descendens à patre luminum.* Sed primùm Bernhardi autoritate Photinianos, quos vocat, pungere non debuit Frantzius. nam hæc humana sunt testimonia, quæ infirmissima sunt, & nihil valent, nisi divinis fulciantur. Deinde verba Bernhardi nihil Frantzium juvant. Non dicit enim Bernhardus, virtutes, quas exercent Ethnici, non esse virtutes vel bona opera, quod ait Frantzius: sed incassum eum laborare ait, in acquisitione virtutum, qui aliunde eas sperandas putat, quàm a Domino virtutum. Potest autem aliquis aliquid facere, & in aliqua re laborare, quæ rectissima est, & tamen incassum. Non enim ea, quæ rectè facimus, Deo placent, sed quæ metu & amore Dei recta facimus, ea demum pro cultu Dei censentur. D. Iacobi verò verba tantùm docent, omne donum perfectum esse desursum: At non negant, virtutem etiam dari in homine, qui est expers cognitionis Dei. Virtus enim non censetur nec censeri debet in numero istorum donorum, ut pote quæ hominis etiam voluntatem & actionem necessariò requirat. Ista autem bona & dona perfecta, de quibus Iacobus loquitur, tantùm de iis sunt intelligenda, quæ sine hominis actione ei a Deo donari possunt & donantur.

Thesis 38. *Deinde pulcrè Augustinus disserit in præfatione Psal: 31. Ea opera, quæ dicuntur ante fidem, quamvis videantur hominibus laudabilia, inania sunt, Ita mihi videntur esse, ut magnæ vires, & cursus celerrimus præter viam. Hæc ille, ut apparet Esa. 29. 13. Matth: 15. 8. Marci 7. 6. Frustra colunt me mandatis hominum.* Sed nec Augustini autoritate premendi eramus. Is enim non ita divinus homo fuit, ut autoritate ejus standum sit in religione absque argumentis. Quanquam rursus Frantzius malè utitur testimonio Augustini. Nam aliud est, dicere inania esse ea opera, quæ fiunt ante fidem; & aliud, ista opera non esse bona opera. Potest enim & bonum opus inane esse, si scilicet non ideo fiat, quia Deus id præcepit. Hæc verò, si ex Esa. 29. 13. Matth. 15. 8. Mar. 7. 6. decerpta sunt, certè ineptissimus fuit Augustinus, qui ea inde decerpsit, aut Frantzius, qui eum ea inde excerpsisse somniat. Nam longè diversa sunt: Frustra Deum colere mandatis hominum, &, virtutes Ethnicorũ non esse bona opera. ut enim rectè dici possit, Deũ frustra humanis cõmentis coli, satis est, si nihil mercedis is reportet, qui virtutis est studios^9 extra Christũ. præterea nõ nisi insulsè virtutes, quas ii exercẽt, qui Ethnici sunt, mandata hominũ appellari possunt.

tri possunt. Mandata enim hominum sunt, quæ speciem recti aut religionis habere videntur, interim nihil minùs sunt, quàm rectum & religio: At virtutes Ethnicorum semper sunt rectum, licet multa in eis desiderentur. Breviter, mandata hominum speciem vel apparentiam tantùm habent virtutum, interim virtutes non sunt re vera: At virtutes Ethnicorum partem saltem bonorum operum continent.

Thesi 39. *Deniq; iterum rectè Augustinus in loco antea allegato: Nemo computet bona opera sua ante fidem, ubi fides non erat, bonum opus non erat. Bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit. Non valdè attendas, quid homo faciat, sed quid, cum facit, aspiciat, quo lacertos optimæ gubernationis dirigat. Hæc ille ut apparet ex illo: Quicquid fit sine fide peccatum est, Rom. 14. 23. Et sine fide nemo potest placere Deo Hebr. 11. 6. Item 1. Tim. 1. 5. Charitas de corde puro & conscientia bona & fide non ficta.* Hîc ipsum Augustinum reprehendimus, nam falsum omnino est, ubi fides (nempe in Christum) non est, bonum opus non esse. Nam fides in Christum non efficit, ut actiones hominum rectæ sint virtutes, sed efficit, ut actiones hominum rectæ sint perfectæ & Deo acceptæ virtutes, & tales, quæ etiam mercede dignæ sint. Ad loca Rom. 14. 23. & Hebr. 11. 6. jam antea responsum est thesi 12. Quod verò præterea ex loco ad Tim. affertur, id, qualis esse debeat Christiana charitas, non qualis omnis charitas, docet, & proinde ne per speciem probat, in Ethnicis nulla fuisse bona opera. Idem de Thesi 40, in qua aliud eadem de re Augustini testimonium citatur, statuendum est. Ad thesin 41. in qua idem dicitur, quod antea thesi 35. dictum fuerat, responsionem non repeto. Hæc enim ex superioribus commodè peti potest.

De perfectione obedientiæ Christianæ.

Sectionis quartæ titulus est, *an bona opera possint perfecta esse in hac vita.* Ad hoc rectè intelligendum notandum hoc est inprimis, quod antè etiam dictum fuit, duplicem dari considerationem perfectionis in pietate. Altera est absolutissima, quando quis nunquam ne semel quidem peccat. Altera est comparata, quando quis nullius peccati habitum contraxit, vel in nullo peccato unquam hæsit vel hæret. Prior perfectio, ut non est prorsus necessaria ad salutem, sic etiam ab hominibus non necessariò & absolutè nunc sub N. F. exigitur, sed tantùm exigitur ad eandem aspiratio, & perpetuus conatus ad eam quàm proximè accedendi: Altera verò ut ad salutem necessaria est omnino, sic ab omnibus prorsus requiritur. Sunt autem rursus in hac utraq; perfectione certi gradus. Nam quod ad posteriorem attinet, sunt, qui virtutis ut plurimum sunt studiosi, quod est, habitum virtutis habere, sed ægrè tamen, & non sine lucta, eáque magna: Sunt qui minori

Gradus perfectionis.

cum

cum lucta & molestia virtuti incumbunt, & opera bona exequuntur: sunt denique, qui absque omni lucta, imò cum summa animi lætitia officium faciunt, & non tantùm bonis operibus student, verùm etiam iisdem delectantur, &, ut scriptura loquitur de Christo, diligunt justitiam. Omnes tamen hi censentur in statu salutis esse, Deo confidere, non secundùm carnem, sed secundùm spiritum ambulare. Hac tamen cautione, ne illi, qui vel cum lucta magna aut etiam non magna faciunt voluntatem Dei, sentiant sibi in ista sua imperfectione licere ita hærere, sed teneri semper eò contendere, ut si non semper, saltem plærumque cum magna animi sui lætitia, quæ Deus præcipit, exequantur. Quod verò ad priorem perfectionem attinet, nemo est, qui non videat, quàm varii in ea gradus dentur, ita ut ferè in singulis diversus hac in re profectus apparere possit, prout quisque annixus fuerit, ut quàm proximè ad istum scopum collimet. Etiamsi autem difficillimum sit propter carnis infirmitatem, ut homo ad istam perfectionem reipsa perveniat, non est tamen prorsus impossibile; & voluit Deus, ut ad eam tenderemus, primùm ut appareret, quinám sint verè probi. Non potest enim homo probus quiescere unquam, sed seipso indies melior esse studet. Deus verò est, qui de conatibus istiusmodi hominum judicat, & quousque quis progressus sit vel progredi potuerit, ut perfectissimè novit, sic etiam unicuique secundùm ista opera ejus redditurus est. Voluit deinde Deus, ut homines ex hoc ipso agnoscerent ipsius summam clementiam & æquitatem, quòd, qui perfectissimam ab eis jure exigere poterat obedientiam, tali tamen contentus sit, quæ vires humanas non superet. Et hæc est causa, cur Deus talem legem olim dederit, quæ perfectissimam voluntatis illius (maximè verò ejus, quæ in Decalogo continetur) executionem requireret, adeo ut capitale vel mortale esset, vel semel eam transgredi.

Thesis 43. est. *Primum enim non potest ex omnibus sacris Bibliis ullus referri locus aut ullum citari exemplum, unius saltem hominis (excepto Christo) qui legem Dei impleverit.* Primùm ex eo, quòd scriptũ aliquid non est, concludi nequit, illud non extitisse. plura enim extiterant vel existere potuerant, quàm scripta sunt. Deinde notandum est, duplicem iterum dari absolutæ perfectionis considerationem. Nam & is absolutè legem Dei perfectè implet, qui nunquam peccavit, & is, qui antea quidem peccavit, postea verò eò perfectionis pervenit, ut nunquam peccet. Prior ista absoluta perfectio, in solo Christo locum habet: at hanc posteriorem in aliis quoque fuisse vel esse potuisse, nec sacræ literæ, nec sana ratio, nec quicquam

denique prorsus prohibet. Nam si omnia possibilia credenti, quomodo etiam possibile non sit, ne unquam post agnitam veritatem peccet?

Thesis verò 44, in qua nostra sententia recensetur, de altera perfectionis specie accipienda est. Quo uno considerato, omnia evanescunt, quæ Fr: de quibusdam imperfectionibus seu vitiis, quæ in iis, quos scriptura justos appellat, deprehensa esse sacræ testantur literæ.

Thesis verò 45, in qua dicitur, hanc opinionem habere sacram scripturam sibi ex diametro repugnantem, minùs ad rem facit. Nemo enim negat, omnes peccatum habere. At peccatum habere, negatur, tantundem valere, quod peccare. Nihil enim est aliud peccatum habere, quàm peccasse vel peccati reum esse, ut ex v:8.1.Ioh: Epistolæ cap:1. collato cum v: 10. videre est. Bernhardi verò dictum planè diversum est ab eo, quod quæritur. Nam in electis esse imperfectiones, & eos opus habere ut orent, & tandem quòd peccârint, id omne tantùm docet, neminem absolutissimè Deo obedire vel obedivisse priori modo.

Thesis 46. est. *Neque aliquid juvat Pontificios, quòd clamitant injustum fore Deum, si quæ impossibilia mandaßet. Certè legem suam integro homini & incorrupto dedit & inscripsit ante lapsum: anné in gratiam hominis lapsi regulam illam suæ justiciæ ex rerum natura postea delere debuit? Imò servavit post lapsum legem suam bonam, & perfectam, adeoque juxta primævam bonitatem & perfectionem repetivit, in monte Sinai publicè, ut ita illustriùs appareret, tum dignitas primi hominis, qui in statu innocentiæ eam complere potuißet, tum infirmitatis secutæ magnitudo, propter quam homo toties & tam graviter impingit.* Hìc, quia in veritatis indagatione non personarum, sed ipsius veritatis habenda est ratio, ejusque solius patrocinium a nobis susceptum est, hæc pauca dicenda sunt. Primùm, undenám constat, Deum dedisse homini ab ipsa creatione legem perfectam, vel, quod magis huc facit, unde constat, Deum perfectam & perpetuam præceptorum suorum, quæ ab initio mundi dederat, observationem requisivisse, ut Frantzius dicat, Deum servasse etiam post lapsum legem suam perfectam? Certè enim non nisi per Mosen talem præceptorum suorum observationem requisivisse sacræ testãtur literæ, dum sub lege opera exiguntur, & justificatio ex operibus proponitur, eáque modo justificationis ex fide, sub N. F. opponitur. Deinde, quomodo probare Fr: poterit, minus virium habuisse post lapsum suum Adamum, quàm haberet ante eum ad implendam Dei voluntatem? Et si fractæ sunt vires hominis per lapsum adeo, ut non

possit

possit nunc Dei voluntati satisfacere, quomodo potest liberari Deus ab injusticia, qui homini id præcipiat, quod præstare nequit, & ideo eum puniturus sit, quòd, quæ facere non poterat, non fecerit? Infirmitatē denique, propter quam homo toties & tam graviter impingat, ob lapsum Adami esse consecutam, nusquam in s. literis affirmatur, sed eadem, quæ fuit in homine ante lapsum, infirmitas mansit, & aucta deinceps est hominum malitiâ spontaneâ, quâ fit, ut toties & tam graviter impingant illi, qui metu Dei seposito, carnis illecebris totos se dedunt. Alioquin enim falsum est, homines, qui Deo confidunt, crebrò & graviter impingere, qua de re infrà suo loco plura.

Thesis 47. est. *Id quod intimis sensibus reponendum est quàm fidelissimè, ne quoties in V. & N. scriptura cernimus promulgari & explicari legis moralis mandata, inde conjiciamus, leges illorum mandatorum à nobis in hoc statu naturæ nostræ posse servari & perfectè quidem. Nam quòd Deut: 30. 11. mandatum Dei dicitur esse facile, & apud Ioannem Ep: 1. cap: 5. 3. mandata Dei dicuntur esse non gravia, item apud Mat: 11. 30. Iugū Christi leve, illud intelligendū est pro contextu, qui Messiæ fidem inclusam habet, & per pœnitentiam petere jubet remissionem peccatorum, idque facile esse dicit.* At non erat, quod sensibus reponeretur, cùm fabulam nobis narraverit Frantzius, quam nec ratione ulla, nec sacrarum literarum testimonio comprobavit. Explicatio verò locorum, in quibus affirmatur, mandatum Dei esse facile, mandata Dei non esse gravia, Christi jugum esse leve, certè digna est, quæ a nobis recipiatur, scilicet. *Intelligendum est*, ait, *illud pro contextu, qui Messiæ fidem inclusam habet, & per pœnitentiam petere jubet remissionem peccatorum, idque facile esse dicit.* Potuitné aliquid dici obscurius, ineptius, absurdius & veritati magis contrarium? Video Frantzium hoc artis tenere, ut, quando aliquid evidentissimè verum admittere non vult, in ipsam sese obscuritatem proripiat, & ibi ita delitescat, ut a nemine ferè conspici possit. Habet ergo contextus Deut: 30. &c. inclusam fidem Messiæ? Apage istam audaciam. Nondum enim probatum est, extitisse tunc Messiam, nedum ut fidei in eum collocandæ locus fuerit. At habent fortasse loca ex N. T. allegata fidem Messiæ inclusam. Videamus locos. Verba Ioannis sunt: *Hæc est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus, & mandata ejus gravia non sunt.* Verba Christi sunt, *Venite ad me, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suave, & onus meum leve est.* Quomodo hìc contextus habet fidem Messiæ, qualem scilicet Frantzius fingit, inclusam, aut quomodo jubet pete-

het petere remissionem peccatorum per pœnitentiam? Pudet me sanè istius tam puerilis explicationis. Verum quidem est, hæc, quæ Iohannes & Dominus Iesus affirmant, ad eos pertinere, & non nisi de iis prædicari posse, qui Christi sunt & in eum credunt: sed hoc ad rem nihil facit. Imò verum est, verba Christi & Iohannis fidem in Christum collocandam non tantùm inclusam habere, sed etiam reipsa exprimere: sed hæc sententia non est Frantzii. Is enim fidem justificantem ab obedientia ita discernit, ut causam ab effectu, hoc est, quòd fides justificans esse possit absque observatione mandatorum Dei, quemadmodum causa interdum otiosa esse potest absque effectu. Si verò fides in Christum accipiatur pro fiducia, quæ in eo collocatur, egregiè includet istam obedientiam. Hæc enim istius fiduciæ forma est & anima & complementum, ut suprà non semel ostensum est.

Thes: 48. *At quid multis opus est? si implere ulla ratione legem Dei possunt sancti, quid opus fuit inserere particulam orationi quotidianæ, immò singulis momentis recitandæ: Dimitte nobis debita nostra?* Iam, quomodo sancti legem Dei implere possint vel debeant, dictum est. Hoc nunc addimus: Perfectionem illam posteriorem, de qua paulo antè in initio hujus sectionis diximus, duplici rursus modo considerari posse. Nam aut semper ab ineunte ætate homines quidam ita se gerunt, ut peccati nullius habitum contrahant, quod de principe illo legimus. Cùm enim diceret, se legem Dei ab adolescentia sua servasse, testantur sacræ literæ, quòd Christus eum dilexerit. Hoc verò nunquam fecisset, si simulatè istud de se dixisset. Paulus etiam aliquoties de se testatur, quòd inculpatè sub lege vitam duxerit ab ineunte ætate, & hoc idem de aliis etiam sentire, nihil est, quod prohibeat. Aut sunt, qui post suam ad Deum vel ad Christum conversionem tales esse incipiunt, ut peccati nullius habitu implicati sint. Quales fuisse Apostolos Iesu Christi omnes certum est, & plurimos omnibus seculis esse potuisse, nullum est dubium. Nam de Apostolis legimus, quòd Christi fuerint imitatores, & quòd nos se imitari etiam jusserint. Hoc verò utrumque quomodo dici potuisset, si in peccato aliquo ipsimet hæsissent? De aliis verò legimus: debere eos, qui dicunt, se in Christo manere, ita ambulare, ut Christus ambulavit. Si debent ita ambulare, sequitur eos sine hoc servari non posse: si servari sine hoc non possunt, & tamen servabuntur, sequitur rursus, eos ita ambulasse, ut Christus ambulavit. Hoc autem necessariò requirit saltem, ut homo in nullo peccato hæreat; quanquam etiam aspirationem ad perfectionis prioris absolutæ alterum modum, ut jam diximus, continere jure dici potest. Iam hoc ita explicato & constituto, facillimum erit intelligere.

Mat: 19. 16. Mar: 10. 21. Phil: 3. Act: 23. 1. & 26. 4. 1. Ioh: 2. 6.

telligere, quare sancti orare debeant quotidie: Dimitte nobis debita nostra. Nam aut antea, quàm Deum vel Christum cognoscerent, in peccati vel unius vel multorum habitu hærebant, & ita deprecari Deum tenētur perpetuò, ut de Davide legimus, qui licet, ut scriptura testatur, fecisset rectum in oculis Domini, & non declinasset *ab omnibus*, quæ præceperat ei, cunctis diebus vitæ suæ, tamen perpetuò suum istud facinus adulterii & homicidii deploravit, & hoc respectu potissimùm Christi verba accipienda esse credimus; aut, postquam ad Deum & Christum conversi sunt, in multis labi possunt. Iam si quis quærat: Quid opus est, Deum perpetuò orare, ut peccata præterita dimittat, cùm certum sit, Fœdere novo hoc contineri, quòd Deus peccata sit remissurus; is non attendere videtur, promisisse quidem Deum in Fœdere novo, se peccata remissurum omnibus, qui ea deplorant, & inposterum devitant, nondum tamen reipsa remisisse. Tunc enim peccata reipsa & perfectè remittuntur, quando eorum pœna tollitur. Pœna autem peccati mors est æterna. Hæc tolli non potest, nec tollitur revera, nisi per donationem vitæ æternæ, quæ ad diem judicii extremum reposita est. Itaque hoc rogant sancti, ut Deus peccatorum oblitus, vitam eis tandem æternam donare velit, & rogant perpetuò, tum ut, quantopere abhorreant a peccatis præteritis, tum quanti etiam faciant promissionem vitæ æternæ, pariter testentur.

Sectione quinta a thesi 49. usque ad thesin 53. breviter persecutus Fr: adversus Papistas, bonam intentionem bonum opus gignere non posse, statim deinde nos aggreditur, & thesi 53. & seq: sententiam nostram de bonis operibus prolixè exponit, sub hoc titulo: *Quæ sit recentium Photinianorū in Polonia & alibi de bonis operib: doctrina.*

Thesis 53. est. *Si quis hodiernorum Photinianorum confessiones de fide in Christum, diligentissimè aspexerit, is admirabilem Metamorphosin animadvertet, quia nimirum vel unicè bonis operibus magno cum conatu & molimine ascribunt ea, quæ nostræ confessiones soli fidei in Christum justificanti assignant: adeoque hominem propter obedientiam mandatis Dei seu Christi præstitam justificari contendunt, cùm hæ solo merito mediatoris nos coram Deo justos pronunciari & salvos fieri doceant.* Nulla primùm est Metamorphosis, Frantzi, in nostra doctrina. Nam non, quod semel fidei tribuimus, deinde fidei adimimus & tribuimus alii cuidam rei: sed quod semel fidei tribuimus, id eidem constantissimè attribuimus: Docemus autem, fidem illam cum bonis operibus ita esse conjunctam, ut illa sine his existere nullo modo possit, & fidei animam esse bona opera, & proinde a sacris scriptoribus jam fidei, jam operibus bonis salutem tribui, quatenus scilicet nec sine fide nec

de nec sine bonis operibus salus dari potest. Deinde, quòd hominem propter obedientiam mandatis Christi præstitam justificari contendamus, non ita nudè erat dicendum propter homines imperitos, qui hujusmodi loquendi modis offendi solent, & doctrinam talem aversari: sed addendum erat, primùm, Dei gratiâ accedente. Hæc enim est causa principalis nostræ justificationis, cùm nemo prorsus vitam æternam mereri possit. Deinde loco *propter*, dicendum erat *per*. Vox enim *propter*, nimis prægnans est, nec usquam legimus nos propter fidem in Christum servari, sed fide, vel ex fide, vel per fidem, ut scilicet omne meritum excludatur tantò disertiùs. Sunt enim fides vel bona opera causa tantùm adjuvans, &, ut in scholis loquuntur, sine qua non, justificationis nostræ. Illud autem tacere jam poterat Frantzius, solo merito Christi nos coram Deo justos pronunciari, & salvos fieri, docere s. literas. Nam nec manifestè nec obscurè, non dicam in s. literis id extare, sed nec ex illis id deduci posse, jam abundè demonstratum est, cùm ad ea, quæ pro statuendo isto merito a vobis afferuntur, a nostris alibi & a nobis etiam in hac ipsa refutatione responsum est.

Thesis 55. est. *Hanc συζήτησιν de bonis operibus ideo ἀκριβῶς intueri proderit, quia ex hac in sexta & in septima sequente disputatione benevolus lector penitiùs contemplari poterit statum Ecclesiarum Photinianarum, quòd nimirum totius istorum hominum Theologiæ lectionum, concionum pars maxima & potissima tantummodo in explicandis inculcandis & urgendis moralibus præceptis Dei, & (qui locum seu vicem Dei secundum ipsos in N.T. gerit) Christi Domini nostri occupetur.* Ita hæc Fr: scribit, ac si in eo esset aliquid vitii & peccati, quòd maxima pars & potissima concionum nostræ Ecclesiæ in explicandis, inculcandis & urgendis moralibus præceptis Dei & Christi Domini nostri occupetur: Nos verò non possumus satis dignas Deo gratias agere pro illa ipsius ingenti bonitate, quòd nobis voluntatis suæ hanc partem tam manifestè revelârit, beatos nos esse judicantes, quorum conciones hac re explicanda, inculcanda & urgenda occupentur, sine qua salus nulli datur. Dolemus autem ex animo, aliarum Ecclesiarum, quæ a papatu recesserunt, conciones & scripta scatere valde turpibus, & scurrilibus etiam interdum altercationibus, & nonnunquam de lana (ut ajunt) caprina institutis, quibus semetipsos mordent & consumunt; adversarios verò in erroribus hac ratione mirum in modum confirmant, & veritati, quam Deus illis revelavit, maledicendi occasionem justam illis præbent.

Thesi 56.

Thesi 56. summam placitorum (ut ea vocat) nostrorum se subiecturum pollicetur.

Thesis 57. est: 1. *Secundum Photinianos igitur recentes, per lapsum & propter lapsum non modò Adam & Eva, sed etiam posteri eorum æternæ damnationis sunt facti rei, adeoque quoad animas & corpora æterna morte perire debuerunt.* Nusquam hoc ostendet Frantzius in scriptis nostris, quod vel negligentiæ vel imprudentiæ eum reum agere potest. Fatemur quidem, posteros omnes Adami morti æternæ obnoxios esse: at nec per nec propter lapsum Adami: sed propter propagationem, quam ex Adamo habemus. Quemadmodum hac de re Paulus eleganter disserit cap: 5. ad Rom v. 12. & seq: ubi etiam Adamum hac in re Christi typum fuisse docet, qua de re suprà non semel dictum est.

Thesis 58. est: 2. *Etsi verò per peccatum mortis æternæ rei facti fuerant, tamen Deus ex magna misericordia, ex mera pura puta gratia, & ex singulari erga nos omnes dilectione omnem culpam (secundum decretum ab æterno factum) ipsis remisit, & gratis, sed (agnosce lector opinionem alienam de Christo) sine omni intercessione & satisfactione justificare decrevit: & hoc respectu (secundum ipsos) vita & æterna salus etiam sunt gratuita dona Dei.* Hîc iterum notandus est idem error Frantzii. nam non per peccatum, nempe Adami, omnes homines mortis æternæ rei facti sunt, sed per propagationem ex Adamo, qui morti æternæ propter peccatum suum obnoxius erat. Quid verò in eo est absurditatis aut erroris, quòd dicamus, Deum nos gratis sine omni intercessione & satisfactione justificare decrevisse, ut in parenthesi hæc verba adderet Frantzius: *agnosce lector opinionem alienam de Christo.* Imò agnosce lector opinionem ab omni veritate alienissimam, quæ, cùm scriptura testetur, Deum nos gratis ex gratia servare, audeat dicere contrarium, nempe Deum voluisse necessariò, ut sibi satis fieret. Tam enim conveniunt dies & nox, quàm gratia gratuita & satisfactio. Rom: 3. 24.

Thesis 59. est: 3. *Etiamsi autem tunc decrevit (secundum ipsos) sine omni interveniente precio & merito remittere peccata, & justificare homines, tamen in ipsis hominibus voluit aliquid reperiri, sine quo non voluit justificare ipsos homines.* Thesis 60. est: 4. *Id quod voluit in hominibus justificandis reperiri, & sine quo homines damnationem meritos justificare seu pro justis habere & reputare non voluit, est fides.* Hæc verissima esse constantissimè credimus. Frantzius verò nos cavillari incipit thesi 62. sic enim ea habet: *Sed jam attende, lector, quomodo fidem, de qua hactenus locuti sunt, definiant.*

Thesis 63.

Theſis 63: *Fides, inquiunt, complectitur fiduciam in Deum & obedientiam erga mandata Dei. Ecce, ſecundum ipſos, hæ ſunt duæ partes fidei, ſcilicet, prior eſt fiducia in Deum, poſterior, & (ſecundùm ipſorum judicia) principalior, ſimpliciterque & abſolutè neceſſaria, adeoque ipſa forma & ἐνδελέχεια fidei juſtificantis coram Deo eſt, obedientia mandatis Dei ſimpliciter & ſtrictè præſtanda.* Cur locum non aſſcripſit Frantzius? Is enim ſuppeditaſſet ſtatim paratam reſponſionem. Non tanquam duas partes Fidei conſideramus Fiduciam in Deum & obedientiam mandatorum Dei, ſed tanquam duo nonnunquam diſcernimus, quia etiamſi reipſa pro uno accipi poſſint & unum ſint, poſſint tamen ratione diſtingui, ita ut prius ſit fiducia in Deum, quàm ipſa obedientia & ita ſuo modo fiducia cauſa ſit obedientiæ. Vnde etiam complementum fidei appellantur bona opera. Reipſa autem ita ſunt conjuncta, ut quamprimùm aliquis Deo confidere incipit, ſtatim etiam incipiat, animo ſaltem, Deo obedire; cùm iſta in Deum fiducia aliud nihil ſit quàm certò ſperare, Deum nos ſervaturum, non quidem ſimpliciter, ſed cum hac conditione, ſi ei obtemperemus. Non datur igitur iſta fiducia absque propoſito certo Deo obediendi. Quod propoſitum Deus pro facto accipit, quamdiu non eſt occaſio ipſi obediendi externè. Quamprimum autem offertur occaſio Deo obediendi, jam ſi homo obediat, fidem ſuam perficit & complet, & reverâ ſe eâ præditum eſſe declarat: rurſus verò ſi, data occaſione Deo obediendi, ei non obediat, jam fides illius, hoc eſt fiducia, nulla vel mortua eſt. Vt exemplum Abrahami egregiè docet. Hunc Deo credidiſſe teſtantur ſacræ literæ, cum promiſſionem ipſius de naſcitura prole certam eſſe, quantumvis curſum naturæ ſuperaret, credidit. Hæc verò fides illius perfecta & conſummata fuit & formam ſuam tunc conſecuta eſt, cum iſtum ſuum filium
Iacob:2.22. Deo immolaret. Tunc enim verè Deo credidit, ut acutè ſimul & religioſè docet D. Iacobus. Non erat igitur, cur nos ita cavillaretur Frantzius, præſertim cùm ipſe in eadem theſi fateatur, nos obedientiam pro ipſa forma & ἐνδελέχεια fidei juſtificantis habere. Nam ſi eſt forma fidei obedientia, ipſa potiùs fides eſt, quàm pars aliqua fidei. Cavillus iterum eſt, ſecundùm noſtra judicia principaliorem (ut Frantzius loquitur) partem eſſe obedientiam, Deo præſtandam. Nam ſi, quod res eſt, dicamus, paria ſunt Deo confidere & ei obedire. Cavillus denique & hic eſt, obedientia mandatis Dei *ſimpliciter & ſtrictè* præſtanda. Vox *ſimpliciter* aliquid monſtri alit, & obſcurè dicta eſt. Vox *ſtrictè* inſidioſè etiam addita eſt. Quomodò verò intelligenda ſit, ex iis, quæ ſuprà de perfectione obedientiæ diſſeruimus, conſtare

constare potest. Hoc certum est, si vox *strictè* de tali perfectione, quæ habitum omnium virtutum & aspirationem ad perfectionem absolutam contineat, intelligatur, non tantùm strictè, sed etiam strictissimè illam exigi & præstandam esse ei, qui salutem æternam desiderat.

Thes. 64. est. *Fiducia in Deum, inquit Socinus, est credere quòd sint vera, quæ dixit Deus, & (nomine Dei in plenitudine temporis datus legatus ipsius) Christus, hoc est, ut interpretatur Ostorodus, credere quòd Deus sit tantus & talis, unus & solus æternus, perfectè bonus, perfectè sapiens, perfectè potens, qui solus ex se de nobis statuere, agere, præscribere & exequi, quæ velit, quiq; sive corporalia sive æterna promissa perfectè præstare possit.* Videat Frantzius, vel pius lector Socinum de Servatore parte. 4. c. 11. & agnoscet, illum paulò aliter hac de re loqui, quemadmodum etiam infrà thesi 66. hunc locum ipse Frantzius allegavit. Quæ verò Ostorodus scribit de fide in Deum, ea sunt quædam prolixior explicatio eorum, quæ ad fidem istam in Deum requiruntur. Sed hîc non valdè pugnamus.

Thesis 67. est. *Statuunt enim 1. Veteres ante Christum non habuisse ullam manifestationem nedum promissionem vitæ æternæ, etsi nihilominus vitam æternam sperare potuerint, & salventur, (non dicunt, salvati fuerint, propter certam causam) sed inprimis remuneratos fuisse corporalibus & terrestribus bonis.* Perspicax est Frantzius, qui, ubi nos nihil cogitamus reconditum vel abstrusum, id tamen se indagare gloriatur. Non enim, quòd salventur veteres ante Christum, nempe pii, affirmamus, sed quòd servandi sint. Non affirmamus etiam, illos veteres remuneratos fuisse corporalibus bonis, si remuneratio pro integra mercede, quæ veterib⁹ contigerit, accipiatur: sed dicimus, Deum tantùm promisisse corporalia bona in lege. potuit autem Deus dare quibusdam etiam spiritualia bona, etiamsi ea illis in lege lata non promisisset. plus enim Deus dare solet, quàm promittit.

Thesi 68. *Propositio igitur Apostolica, Fide justificamur, secundùm Photinianos hunc habebit sensum: Illam habemus fiduciam in Deum & Christum, nomine Dei verbo Dei nobis prolocutum, & virtute divina præditum, quòd mandata Dei olim promulgata & in novo Testamento completiùs reddita servantibus vitam æternam dare velit & dare possit.* Non valdè felix est Fr. in affingendis nobis explicationibus, itaq; poterat hoc labore prorsus supersedere. Fide justificari est apud Apostolum, pro justo haberi & ita servari non absq; fiducia in Deo per Christum collocata, quæ obedientiam mandatorum, licet non perfectam, ut lex, talem tamen, quæ omnium virtutum habitum, & ad perfectionem aspirationem complectatur, requirit. Fides enim apud Apostolum

v. Regu. f. 466.

postolum plærumque opponitur *operibus*, qualia lex requirebat. Quanquam & ea, quæ Frantzius affert, verissima sunt, & facillimè defendi possunt, licet non ita propria sint loci istius, ubi ista verba habentur. Istud Latini sermonis novum studium, cujus etiam specimen in thesi præcedenti apparuit, *Christum nomine Dei verbo Dei prolocutum nobis & divina virtute præditum*, nunc non perstringo. Moneo tamen Frantzium, ne ita negligenter scribat ea, quæ in omnium manus & oculos incurrere possunt. Addit deinde eadem thesi hæc verba: *Si petis confirmationem hujus explicationis, en inquiunt, tota S. scriptura V. & N.T. unanimiter testatur. 1. hac fide justificatos & salvatos fuisse omnes, quotquot ab origine mundi usque ad Christum Deo placuerunt & justificati fuerunt. 2. & hac ipsa fide justificari oportet omnes, quotquot a Christo usq; ad ultimum diem Deo placere volunt, justificabuntur & salvabuntur.* Addit adhuc thesi 69. nos adjicere, *Quicquid unquam Deus fecit, ut homines ad se adduceret, illud omne fuisse tale, ut solummodo talem & non aliam fidem erga Deum & Christum in illis accenderet.* Quæ omnia, ut sunt verissima, ita ex animo amplectimur, & defendere semper paratissimi sumus. Audiamus quomodo ea refutanda aggrediatur Frantzius.

Thesi 70. ait: *Itaque adversus ipsos in hoc articulo de bonis operibus duo præcipua capita consideranda, & ex verbo Dei dijudicanda veniunt. 1. An (cùm semper omnes eodem pacto salvari necesse sit) scriptura testetur, omnes veteres non nisi propter obedientiam erga mandata Dei Deo placuisse, justificatos & salvatos fuisse, & neminem sub N.T. aliter quàm propter obedientiam erga mandata legis Dei & Christi, Deo placere, justificari & salvari posse.* Cavillos & calumnias deserat Fr: & plana erunt omnia. Non propter obedientiam, sed fide, cujus forma & complementum est obedientia, omnes olim servatos esse, & sine tali fide neminem servari posse, constanter affirmamus. Itaque cum umbra sua pugnaturum Frantzium prævidemus.

Thesis 71. est. 2. *An omnes scripturæ Propheticæ Apostolicæque & inprimis conciones Christi tantummodo obedientiam mandatis moralibus præstare jubeant, & in specie an Christus in N.T. legibus moralibus V.T. plurima completiora & perfectiora ideo adjecerit, quòd homines N.T. propter vitæ æternæ promissionem non nisi in N.T. sibi revelatam & datam, sanctius & rectius vitæ & obedientiæ genus amplecti voluerit.* Cavillum iterum indico. Non tantummodò, ut ait Fr:, sed tamen necessariò observationem mandatorum Dei, quæ est illa fides justificans, vel anima & perfectio illius, requirunt omnes Propheticæ & Apostolicæ conciones. Sed jam Frantzium audiamus.

v. Slegm. p. 478.

Septima igitur sectione docere conatur, *quòd omnes in V. & N. Testamento justificati & salvati fuerint fide in mediatorem Christum.* In qua inscriptione notanda sunt hæc, quæ universæ disputationi sequenti lucem sunt allatura non minimam. Primùm non antithesin ejus, quod nos affirmamus, probandũ sibi sumsit Frãtzius. nos enim non negamus, Fide esse omnes justificatos, qui justificati fuêre; imò constantissimè id credimus: sed tantùm, quid fides sit, docemus, & ita inferimus, omnes esse per talem fidem servatos, qualem nos describimus. Frantzius autem ita nos traducere nititur, ac si repudiata fide aliquid introducamus, quod reipsa fides non sit. Deinde quid opus erat in titulo addi: *Omnes sub N. T. justificatos esse fide in mediatorem Christum*, quasi aliquis sit nostrûm, qui id ita se habere dubitet. Iustificatum autem esse aliquem in V. T. fide in mediatorem Christum, anilis est fabula, ut & antea ostendimus, & paulo pôst iterum ostendemus. His ita indicatis, videamus quomodo se in probanda hac assertione gerat Frantzius.

Thesis 74. est. *Majoris perspicuitatis causâ prius θέσιν Ecclesiarum nostrarum affirmativam solidiùs roborabimus, quòd nimirum nemo unquam placuerit Deo & justificatus fuerit, & adhuc salvari possit aliter, quàm per obedientiam & meritum Christi: Postea antithesis adversariorum fortiùs contundetur & dissipabitur, quasi nemo salvatus sit aut salvari possit, quàm per obedientiam mandatis Dei a nobis præstitam*, &c. Rem magnam præstabis Frantzi, si hoc viceris.

Thesi 75. *Si igitur secundùm ordinem percurreris omnia sacrarum literarum commentaria, omninò deprehendes, inde ab orbe creato in vera Ecclesia semper sonuisse non aliam doctrinam nisi de gratuita justificatione hominis peccatoris coram Deo propter Mediatorem fide.* Verba adhuc sunt: expectamus argumenta.

Thesi 76. *Primùm enim statim post lapsum per quodnám aliud medium reconciliati fuerunt protoplastæ, nisi per intercedens pro genere humano semen mulieris, contriturum caput serpentis, Gen: 3. 15. Cujus secuturam pro hominibus totius mundi passionem & satisfactionem in sacrificiis considerabant, & sibimetipsis fide confirmabant: quemadmodum istud disputatione quartâ luculenter stabilivimus ex sacris literis.* En quàm miserè cecidit in ipso limine, & quàm turpiter se dedit Frantzius. Non enim interrogandum nunc est, per quodnám aliud medium reconciliati fuerint protoplastæ, nisi per intercedens pro genere humano semen mulieris: sed probandum erat, protoplastas non fuisse aliter servatos, quàm per obedientiam & meritum Christi. At ubi hîc mentio Iustificationis, ubi Christi, nedum

obedientiæ illius & meriti? Agnoſcat tandem ex his tam manifeſtis erroribus Fr:, agnoſcant & alii ſententiæ hujus abſurditatem & falſitatem. Nihil de reconciliatione protoplaſtarum cum Deo teſtantur ſacræ literæ, de intercesſione autem Chriſti tunc temporis facta pro genere humano, verba me facere pudet. Illud denique ridendum etiam eſt: *Cujus* (Chriſti) *ſecuturam pro hominibus totius mundi paſſionem & ſatisfactionem in ſacrificiis conſiderabant.* Capite hæc vobis ſtudioſi adoleſcentes, & hinc quid de tota ſequenti diſſertatione ſtatuendum ſit, diſpicite. Equidem ita perſuaſum habeo, vix aliquid hiſce enunciatis ineptius dici poſſe. Quomodo verò iſta probârit diſputatione quarta, videat ibidem benevolus lector.

Theſis 77. eſt. *Et quia uſque ad diluvium mirabiliter inacceſſibilis manſit, & tamen in oculos patrum, Adami & cognatorum proximorum quotidie incurrit paradiſus, horrendi peccati, ſimul & lætiſſimæ promiſſionis de Mediatore reſtauraturo corporatus teſtis, idcirco hanc ipſam doctrinam de impetrata gratuita remiſſione peccatorum, propter meritum Mediatoris, ab Adamo per annos vitæ ſuæ 930. non modò conſtanter aſſervatam & creditam; ſed etiam concionando & ſacrificando omnibus filiis & poſteris, quotquot eorum συγχρόνους ad mortem uſque ſuam habuit, purè, fideliter & aſſiduè inculcatam fuiſſe, nemo dubitabit, nemo etiam contradicere ſolidè poterit.* Nihil hîc præter verba tumida Frantzii: Rationum vel argumentorum ne mica quidem. Quis unquam ſic locutus eſt, paradiſum, ex quo ejectus fuit Adamus, fuiſſe teſtem corporatum promiſſionis de Mediatore reſtauraturo? Quis unquam audivit de doctrina tunc tradita de remiſſione peccatorum, eáque jam impetrata, & impetrata non tantùm per Chriſtum, ſed per ejus meritum? Quid verò eſt aliud, affirmare, ab Adamo non modò conſtanter aſſervatam & creditam, ſed etiam concionando & ſacrificando filiis & poſteris purè fideliter & aſſiduè inculcatam iſtam doctrinam fuiſſe, quàm audacter quidvis comminiſci, & lectoris patientiâ abuti? Hac ego ratione utopica omnia pro oraculis poſſem venditare, ſi, quod in buccam venit, ſcribere liceat. Non tantùm igitur dubitare his de rebus aliquis poterit, ſed mirari etiam debet, talia unquam in mentem homini ſenſato venire potuiſſe, quæ non tantùm probari non poſſunt, ſed nec digna ſunt, quorum probationem homo cordatus ſuſcipiat. Solidè autē hiſce nugis contradicere quid opus eſt? Satis eſt ea negaſſe, & tanquam futiliſſima repudiaſſe. Nulla nobis ſoliditate in contradicendo opus eſt: At Frantzio in probando adhibenda erat iſta ſoliditas.

Theſi 78. *Quî enim aliā ſalutis rationem filiis pater dediſſet, quam*

eam

eam quâ ipse salvabatur. Sed petit id, quod est in principio, Frantzius. Hoc enim probare debebat, Adamum rationem salutis talem, qualem ipse de eo fingit, propositam sibi aut cognitam habuisse.

Thesis 79. *Vixerunt autem cum Adamo pientissimo patriarcha plurimi, quod monstrat contextus cap:5. Genes: longè post illorum mortem exaratus, ipsius Adami filii, nepotes, abnepotes & posteriores cognati, & quidem plurimos annos, nimirum Sethus*, &c. Adamum appellare pientissimum patriarcham, ejus est, qui quidvis, extra sacras literas, affirmare non dubitat. Hæ autem quia tacent hujusmodi de Adamo, nos etiam tacere de iisdem tacitè jubent. Catalogus verò eorum, qui cum Adamo vixerint, quid ad rem? non nunc genealogia deducenda erat, sed rationes afferendæ, quòd isti omnes non aliter, quàm per obedientiam & meritum Christi justificati fuerint. hoc enim propositum erat.

Thesis 80. est. *Deinde post diluvium quænam viguerit de justificatione doctrina in Ecclesia, satis apparet utique ex eo, quòd Hebr: 11. 7. Noah scribitur fuiße factus hæres justitiæ fidei. At cujus fidei? certè nullius nisi istius, quæ semen promißum amplectebatur, & quam ipse didicerat fidelis discipulus ex fidelissimis patribus antediluvianis, cum quibus plurimis plurimos annos idem Noah in his terris etiam paradiso vicinioribus vixerat.* Hîc putat Fr: se aliquid invenisse, quo causam suam stabilire possit: sed non animadvertit, quàm infirma sint & falsa ea, quæ ad verba sacrarum literarum ipsemet assuit. Verba sunt sacrarum literarum, Noam factum fuisse hæredem justitiæ fidei. Frantzius verò quid assuit? *At cujus fidei? certè nullius nisi istius quæ semen promißum amplectebatur*, &c. Non voculâ *certè* vel *utique*, ut alibi solet, sed argumento ostendendum erat, de hac fide (si modò ea fides est, & non potiùs stultissima opinatio) autorem illum ad Hebr: locutum esse. Hoc quia non facit Frantzius, causam suam deserit tacitè & turpiter prodit. Iustitiæ fidei fit mentio, & in hoc consentimus: at qualis ista fides fuerit, hoc inquirendum relinquitur. Sciat autem, Fidem illam aliud nihil fuisse, quàm quod ibidem ab eodem autore affirmatur v: 1. *Fides est sperandorum substantia, rerum argumentum non conspectarum. In hac enim testimonium consecuti sunt majores.* et horum unus est Noah, qui credidit Deo, revelanti sibi universi mundi destructionem, &, etiamsi illud adhuc futurum esset, tamen ita fidem Deo habuit, ac si jam ante oculos illud videret, & ideo etiam illud, quod Deus præceperat, fecit, nempe arcam ædificavit. Vnde similiter postea infert autor ille, nobis etiam Christianis eandem fidem esse imitandam, ut nimirum fidem habentes Deo, qui revelavit nobis voluntatem su-

am de æterna vita, faciamus ea, quæ nobis præcepit. Hæc enim est natura & substantia fidei. Quid jam habet, quo se tueatur ampliùs Frantzius? Addo adhuc aliam responsionem, nempe autorem ad Hebr: hoc de Noacho prædicare potuisse ex suo tantùm sensu vel ex evẽtu potiùs, quàm ex animo Noæ. Hoc enim prorsus modo paulò inferiùs ait, Abrahamum expectasse civitatem habentem fundamenta, quod tamen nusquam in sacris literis de Abrahamo legitur, nimirum, ut demonstraret autor similiter, non animum Abrahami, sed ipsum eventum. Et hæc verissima esse nemo diffitebitur, qui rem paulò penitiùs consideraverit.

Thesis 81. est. *Vixit enim pius Noachus ante diluvium cum Enocho annos 84., cum Cenano 179., cum Mahalalecho 234., cum Iaredo 366., cum Methusalaho 600., cum Lamecho 595., adeoque per 600. annos ante diluvium ex tot sanctissimis & fidelissimis professoribus & præceptoribus suis, patre, avo, proavo, abavo, atavo, & prioribus cognatis suis omnibus, veram & salutiferam doctrinam de justificatione hominum peccatorum coram Deo, ex ipsorum concionibus & sacrificiis didicit.* At ego primùm dico nihil esse, unde necessariò appareat, Noachum didicisse doctrinam aliquam de justificatione hominum peccatorum coram Deo. Potest enim dici eum factum fuisse hæredem justitiæ fidei, propterea, quòd ipse Deo insigniter confideret: Imò fieri potest facilè, ut Noachus de justitia illa fidei, cujus eum hæredem factum esse ait autor Epistolæ ad Hebr: nihil planè sciverit, ut paulo antè etiam diximus. Deinde dato eo, quòd & ipse illud sciverit, & doctrinam illam ab aliis etiam didicerit, num inde consequetur id, quod vult Fr:, nempe fides ista imaginaria de merito Christi? Nihil minùs. Equidem puto concedi posse, omnes pios ab initio mundi usq; ad ipsum Christum fuisse hæredes justitiæ fidei, quemadmodum & fide præditi fuerant, & tamen nihil inde concludi posse, quod vel tantillum juvet Frantzium. In hoc enim perpetuò cardo rei versatur, ut investigetur, quidnám sit illa fides, quâ homines isti justificati sunt. Qua de re infrà dabitur occasio plura disertiùs dicendi. Et hac opera responsum est ad theses sequentes Frantzii, 82, 83, 84, 85, 86. In his enim aliud nihil facit Fr:, quàm quòd probare nititur, & ante diluvium & post diluvium de fide notitiam extitisse, & eandem ad posteros fuisse propagatam. Quanquam hæc omnia infirmissimo præterea nituntur fundamento.

Thesi 87. ait. *Nec refert, quod in Genesi non extant hac de re prolixæ conciones. Tota enim facies rerum & prægnantissimæ causæ cogunt credere & asserere, Genesin non longissimè ante exitum ex Ægypto, sed*

circa

circa exitum vel in exitu ipso fuiße à Mose scriptam, & fuiße in hunc finem scriptam, ut Israelitæ ad egrediendum ex Ægypto, & ad occupandam terram patribus eorum, Abrahamo, Isaaco & Iacobo promissam, animarentur, proposita mirabili & multiplici patrum suorum defensione. Nihil quidem refert, quòd non extent prolixæ conciones in Genesi de justitia ex fide: sed multùm refert, quòd ne unum quidem verbum de ea extet ante Abrahami tempora. Et tamen Fr: plusquàm sesquipedalibus verbis per integra duo folia eam ab Adamo usque ad Abrahamum pertexit. Quo enim fundamento totus hic ejus conatus nitetur, nisi mero commento humano? Multa alia extitisse & facta fuisse, quæ non sint scriptis comprehensa, nemo negat: sed si quis ex illis, quæ conscribi poterant, scripta verò non sunt, aliquid ariolari vellet, & Frantzium in religione illis premere, nonne indignaretur Fr: & ludificatum se esse jure conquereretur?

Thesis 90. est: *Tertiò ab Abrahamo usque ad Christum natum, quæ sonuerit in veris Ecclesiis sententia de justificatione hominis peccatoris coram Deo, nimirum itidem gratuita per fidem, apertissimè docetur Gen: 15. 6. Rom: 4, 3, 5, 9, 11, 13. Credidit enim Abraham Deo & reputatum est illi ad justitiam v: 3. sed quid credidit? Credidit in eum, qui justificat impium v: 5. hoc est, ut explicat ibidem scriptura: Credidit hanc esse beatitudinem hominis, si, ut vetus versio habet, homini Deus accepto fert justitiam sine operibus, hoc est, ut græca verba sonant, si Deus imputet ei justitiam absque operibus versu 6. si remittat iniquitates & tegat peccata versu 7. si non imputet peccatum versu. 8.* Primùm aliud concludit Frantzius quàm concludendum erat. Thesi enim 74. dixerat, se probaturum, quòd nemo unquam salvatus fuerit aliter, quàm per obedientiam & meritum Christi. Hîc verò concludit, Abrahamum justificatum fuisse per fidem. Idemne sunt obedientia & meritum Christi, quod fides? Fides actio est, quæ hominis voluntatem requirit: obedientia & meritum Christi extra nos omnino sunt, nec nostram actionem ullo modo requirunt. Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam, fateor; credidit in illum, qui justificat impium; credidit, hanc esse beatitudinem hominis, si Deus ei imputet justitiam sine operibus, si remittat iniquitates & tegat peccata, si non imputet peccatum; concedam totum. At quid hinc sequetur? Nihil, quod vel minimùm juvare possit Frantzium. Itane disputatur in Academiis? Saltem ista non publicasset Frantzius, rectiùs famæ suæ consuluisset. Sed voluit Deus, hac ratione hominibus innotescere hominum non indoctorum summam ignorantiam, & veritatis suæ immota fundamenta. Non est autem verum,

Paulum de Abrahamo affirmare, quòd is crediderit in eum, qui justificat impium, & quòd crediderit, hanc esse beatitudinem hominis, si Deus ei imputet justitiam sine operibus. Nam Paulus ista sic effatus est, ut pro ipsius argumentatione habenda sint, eáque tali, quâ docet, Abrahamum non ex operibus, sed ex fide justificatum esse, & ita, si de Abrahamo idem dixisset, credidit in eum, qui justificat impium, ejusdem rei duplex affirmatio esset, & non argumentatio. Præterea de Abrahamo ista Paulum non dixisse inde etiam apparet, quòd nemini prorsus ante Evangelii tempora revelatum, vel, ut rectiùs dicam, fœderi inclusum fuerit, Deum velle justificare impium. Novi fœderis hæc propria promissio est, ut ex cap: 8. Heb: videre est. Nam quæ de Abrahamo fide justificato leguntur, & quæ David de beatitudine hominis, quæ consistat in remissione peccatorum, affirmat, ea nihil adversus ea, quæ modò affirmavimus, faciunt. Exemplum enim Abrahami unum tantùm est. Non exemplis autem, vel exemplo potiùs uno in hujusmodi rebus agendum est, sed legibus & promissis. Potuit autem Deus uni atque alteri tale quid exhibere, quod nemini alii ad se pertrahere licet. Et nusquam apparet, Deum id aliis promisisse, quod de Abrahamo uno legitur: David verò tantùm affirmat, hanc esse hominis beatitatem, si Deus ei peccata remittat: an verò Deus ea remissurus sit, nihil dicit; multò minùs affirmat, Deum id promisisse cuiquam tunc temporis.

Thesis 91. *Sed fuitne fides personæ istius talia credentis isti personæ imputata pro justitia? Omnino, omnino &c.* Hujus modi interrogatione & per iterationem vocis *omnino* responsione, nihil prorsus opus erat. Nemo enim est, qui hac de re dubitet.

Thesis 92. *Ergo non per legem (quæ non lata erat tum temporis, & si pectoribus omnium erat inscripta) cessit promissio Abrahamo & semini ejus* &c. Quis itidem hoc negat, ut tantopere laboret in eo asserendo Frantzius?

Thesis 93. est. *At ne quis hominum intelligat fidem, ex qua justificatus fuit Abraham, de nuda credulitate, præstanda verbis & mandatis Domini, sicut cum Pontificiis ex magna parte disputantibus sese conjungunt hodierni Photiniani, en quomodo in capite quàm proximè antecedente omnem dubitandi ansam præripit Apostolus, cum vers: 20. 21. ita habet: Ex operibus Legis nullam carnem justificari in conspectu ejus, & nunc absque lege justitiam Dei manifestatam & comprobatam testimonio legis & prophetarum, justitiam nimirum Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes.* Pontificios hîc non moramur, quòd verò nos ipsis adjungit in hac materia Frantzius, id cavillus ipsius

lus ipsius est. Veritatem semper sequimur, vel saltem sequi annitimur. Hanc verò in quibusdam rebus esse etiam in confessione Pontificiorum, quid prohibet? Nos verò fidem Abrahami intelligere, de nuda credulitate præstandâ verbis & mandatis Domini, tantùm non calumnia est. Quid enim tota ea de re sentiamus, prolixè & apertissimè docemus in libris, qui in manu Frantzii versantur. Non nudam credulitatem, sed fidem habitam Deo promittenti aliquid; (quicquid tandem illud sit) vel, sub spe promissionum Dei, obedientiam præstandam ejus mandatis, sive ea obedientia sit expressa, sive non, pro fide justificante habemus tam sub Veteri quàm sub Novo fœdere. Verba verò Pauli, dum ait: *nunc absque lege justitia Dei manifestatur, testimonio comprobata a lege & prophetis, justitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes*, qua ratione ausus est pertrahere Frantzius ad tempora, quæ Christum antecesserunt? Nonné enim apertissimè Paulus hæc verba sua ad novum fœdus vult referri, dum ait, *Nunc*, opponens hanc vocem tempori, quo lex, hoc est, justificatio legalis duravit, quæ fuit *per opera*, cui opponitur justificatio nova *per fidem*? Nonné iterum apertissimè dicit, justitiam Dei *manifestatam esse* nunc. Si nunc manifestata est, quomodo antè manifestata esse potuit? si antea manifestata fuit, quomodo nunc manifestata esse dici potest? Nonné denique dum dicit, eam fuisse testimonio comprobatam a lege & prophetis, tacitè innuit, nullam hujus rei manifestam revelationem in lege & prophetis extitisse, sed tantùm quædam levissima ejus rei indicia, ex quibus constare possit, istam justitiam Dei olim patefaciendam esse? Eatenus enim testimonio comprobata est a lege & prophetis justitia illa, quæ nunc manifestata est sub Evangelio, quatenus lex & prophetæ remissionis alicujus peccatorum & vitæ dandæ illis, qui Deo obedirent, meminit; vel quatenus ex lege & prophetis colligi potest ab eo, qui jam Christi spiritu illustratus est, Deum non ex operibus, sed ex fide hominem justificaturum, quod tamen tunc illi ipsi, qui ea tradiderunt, potuerunt non intelligere, ut pote qui non sibi, sed nobis istis rebus ministrarint, ut de prophetis testatur Petrus. Nolo denique Frantzio adscribere, quod tacitè fortassis sumere videtur, per verba *in omnes & super omnes*, intelligi etiam illos, qui ante Christum fuerunt. Hæc enim magna nimis aut ruditas aut audacia foret. cùm neminem, vel semel locum inspicientem, latere possit, Paulum id, respectu omnium hominum, qui sub novo Fœdere fuerunt, hoc est, Iudæorum & Græcorum dicere. Addit enim mox: *Non est enim distinctio:* & deinde, exposita ratione justificationis vera, v:29. sic ait, *An Iudæorum Deus tantùm?*

[Margin: Quid sit fides justificans.]

[Margin: Locus Rom: 3. 21. excutitur.]

[Margin: Quomodo lex & prophetæ testētur de justitia Evāgelii]

[Margin: 1. Pet: 1. 12.]

tùm? nonnè verò & gentium? imò & gentium, &c. Sed parat argumenta Frantzius, quibus doceat, eandem fidem Iesu Christi extitisse ante promulgatum Evangelium.

Thesi enim 94. sic ait: *Quod autem eadem fide Iesu Christi fuerit justificatus Abraham, os veritatis Christus suffragatur Ioh: 8.56. Abraham pater vester exoptavit videre diem meum, & vidit & gavisus est, hoc est, ut Ep: ad Hebr: interpretatur, a longè ἐπαγγελίας seu promissiones vidit, hoc est, quoties ei de benedicto semine promissionem dixit & repetivit Deus, toties salvatoris sui incarnaturi meritis exultavit, seque consolatus est singulari affectu.* Hìc antequam ad thesin respondeam, aliquid expediendum esse video, cujus paulò antè & suprà alicubi mentionem feci, quod ad totam hanc de fide tractationem potissimùm pertinet. Fides dupliciter considerari potest & debet, & quoad substantiam suam vel naturam, & quoad quædam sui accidentia. Substantia & natura fidei est, sub spe promissorum obedire ei, in quem quis credit. Et hactenus fides eadem fuit sub V. F., cum ea, quæ nunc est sub novo. Sub V. Fædere credebant homines in Deum, quando sub spe promissorum sibi a Deo factorum, vel ante legem qualicunq; modo, vel per Mosen, vel per prophetas, ejusdem præceptis obtemperabant. Et propter hanc causam omnes illi, quos commemorat autor Epistolæ ad Hebr: per caput 11. fideles fuisse perhibentur, ut unicuique, sic a nobis monito, caput illud semel perlegenti constabit. Sub novo Fædere credunt homines in Deum vel etiam in Christum, quatenus sub spe promissorum sibi a Deo vel a Christo propositorum, Deo & Christo obedire conantur. Accidentia quædam fidei sunt, quæ sub novo Fædere ad eam accesserunt, sine quibus nullo modo fides hodie datur in ipsum Deum. Alterum est, ut non tantùm Deo sed etiam ipsi Christo tribuatur fiducia. Verba enim sunt Christi: *Creditis in Deum, & in me credite.* Alterum, ut ea ratione homines obtemperent Deo, quem Dominus Iesus præscripsit, quem multò perfectiorem esse eo, qui in lege Mosis traditur, ostendemus, Deo bene juvante in responsione ad sequentem, septimam scilicet disputationem Frantzii. Hoc ita statuto, facilè patebit, quid de fide & antiqua illa, & Christi, ut loquuntur Apostoli, statuendum sit. Iam ad thesin me converto, & dico, nihil a Frantzio futilius dici potuisse, ad demonstrandum, Abrahamum fide Iesu Christi fuisse justificatum. Nam nec certum est, Christum dixisse, Abrahamum exoptasse, ut videret diem suum, & vidisse eum, & gavisum esse. Possunt enim illa verba Domini Iesu ita explicari: Abraham pater vester exultasset vel cupivisset diem meum videre, & si eum vidisset, gavisus fuisset, ut su-

[Margin notes: De Fide. Utilissima consideratio fidei. — Quæ sit natura fidei. — Quæ sint accidentia fidei. — Ioh: 14.1 — v. Wolzog. 2, 343.]

prà disput: 3. in respons: ad 101. thesin prolixè docuimus: Et etiamsi certissimum esset, Christum ita dixisse, quòd Abrahamus diem suum viderit & gavisus sit, num hinc sequitur, Abrahamum fide Iesu Christi justificatum esse? ô frigidas conjecturas. Primùm enim, quid commune habet dies Iesu Christi cum fide Iesu Christi? Nonné dies Christi dici potest & est id tempus, quo aliquid ad honorem Christi extitit, nempe quo Christus in mundo fuit & munere suo perfunctus est? Quemadmodum alibi dies Domini vel Dei id tempus nominatur, quo aliquid in honorem Domini vel Dei extitit, vel extiturum est. Hinc ultimus ille dies judicii, Domini & Dei dies appellatur. Quod rursus ita considerari potest, ut nullius hominis fidem requirat. Nam certè Iudæi, quibus Christus hoc de Abrahamo exprobrabat vel narrabat, diem Domini videbant, & tamen in eum non credebant. Deinde nonné potuit Abraham Christi diem videre, etiamsi Christus ipse nondum esset, cùm certum sit prophetarum proprium esse futura videre, Abrahamus autem propheta in scripturis nominetur? Epistolam ad Hebr: hæc verba Christi interpretari, futilissimum commentum est. Verba sic habent, cap: 11.13: *Iuxta fidem mortui sunt isti omnes, non acceptis promissionibus, sed a longè eas aspicientes & salutantes & confitentes, quia hospites & peregrini sunt super terram.* Diversa verò sunt, diem Christi videre, &, a longè aspicere promissiones. potest enim dies Christi esse absque ulla promissione. Deinde dies Christi ad unam tantùm actionem pertinet: promissiones iterationem includunt. Dies porrò Christi res est, quæ ad tempora N. F. necessariò referri debet, & beneficium continet spirituale & æternum: Promissiones, de quibus in Epistola ad Hebr: sermo est, ad tempora V. Fæderis pertinent, & res tantùm continent temporales, nempe benedictionem terrenam vel ipsam terram Canaan. Diei denique Christi visio (ex mente etiam ipsius Frantzii) tantùm Abrahamo a Christo tribuitur: at ista aspectio promissorum a longè, pluribus. Itaque ad hoc tegendum usus est istâ astutiâ Frantzius, quòd ita verba Epistolæ ad Hebræos allegârit, ac si de uno etiam Abrahamo dicta essent, quemadmodum Christi verba. Quid verò est, quòd Fr: semel dicit, Epistolam ad Hebr: verba Christi interpretari: & tamen iterum suum *hoc est* post verba Epistolæ ad Hebr: addit? Iam enim non est justa interpretatio, ubi iterum explicatione opus est. Quæ tamen interpretatio Frantzii tantum abest, ut aliquid veri in se contineat, ut potiùs pro glossa putida censenda sit. Sic autem habet: *hoc est, quoties ei de benedicto semine promissionem dixit & repetivit Deus, toties Salvatoris sui incarnaturi* (sic habent Frantzii verba) *meritis exultavit seque consolatus*

Quid sit dies Christi.

2. Pet: 3.10, 12.

Dies Christi promissiones Dei differunt.

latus est singulari affectu. Quid est nunc, lector benevole, quod hanc glossam Frantzii verisimilem efficere possit? Nonnè novâ iterum ad eam stabiliendam non glossa sed argumento opus est? Ego enim regero, nihil hoc falsius, nihil audacius dici potuisse. Fabulas de incarnaturi Salvatoris meritis & de exultatione ea de re Abrahami narrare, facile est: sed argumenta ad has fabulas probandas afferre, hoc opus, hic labor est, & Frantzii & omnium hominum humeris longissimè impar.

Thes. 95. est. *Nec enim ita semel (ut alii quidem pii existimant & docti viri) sed sæpiùs vidit diem Domini, nimirum quando Gen. 12. 3. primam accipit promissionem de benedicendis in eo omnibus gentibus, quãdo Gen. 12. 7. secundam accipit promissionem de terra Canaan semini Abrahami danda, quando Gen. 13, 15, 16, tertiam, & Gen. 15. 5. 6. quartam, quando Gen. 17, 5. 6. quintam accipit promissionem de multiplicanda posteritate sua, & ita ulterius.* Nihil juvat Frantzium, etiamsi vel millies diem Christi viderit Abrahamus, siquidem dies Christi nihil cum fide in Christum commune habet, & si Abrahamus futuri Christi futurum diem more prophetico vidit. Falsum præterea est, Abrahamum diem Christi vidisse, quando ei promissio de terra Canaan vel posteritate multiplicanda data est. Quid enim terræ Canaan promissio commune habet cum die Christi, cùm dies Christi non possit continere nisi beneficiũ spirituale: terræ verò Canaan promissio fuerit merè terrena? Multiplicatio autem posteritatis Abrahamicæ, quid ad diem Christi facit? poterat enim sperare multiplicationem posteritatis suæ Abrahamus, etsi diem Christi nunquam vidisset. Et hactenus ita respondi, ac si certum esset, Abrahamum Christi diem vidisse. Quod si negetur, ut negari posse antea docuimus, quid est tota hæc assertio Frantzii, præter verba vana & inania?

Dies Christi nihil pertinet ad promissiones terrenas.

Thesis 97. *Ecce verò pulcherrimam harmoniam & verissimam synopsin doctrinæ de gratuita justificatione peccatoris coram Deo, quæ a mundi principio usq; ad Christum ipsum sonuit in purissimis Ecclesiis. Abraham justificatus est per fidem in Christum, ut probatum dedimus.* Huic thesi ut opponatur aliquid aliud, præter meram negationem, non est opus, pura enim affirmatio est, nulla suffulta ratione. Falsissimum autem & futilissimum esse, quòd Abrahamus per fidem in Christum justificatus sit, jam intellexisti pie & cordate lector.

Thes. 98. est. *Noah factus est hæres justitiæ ejus, quæ est per fidem, utiq; itidem & non aliter quàm per fidem Christi. Quomodo enim fidelis præceptor Noahus aliam fidem a fide Abrahami fidelissimi discipuli jactasset? Sed quin justitiam eandẽ, quæ est ex fide, Noah discipulus ex præ-*

ceptoribus

ceptoribus antediluvianis acceperit, ecquem vacillare vel dubitare sinent ea, quæ huc usq; breviter delibavimus? Noahum factum esse hæredem justitiæ fidei, quomodo intelligendum sit, explicatum est antea. Illud verò, *Utiq; & non aliter quàm per fidem Christi*, cantilena est Frantzii, quæ vix digna est repetitione, nedum refutatione. Sed Abrahamus discipulus fidem illam habuit. Ergo etiam eandem jactavit Noah. Egregia sanè probatio. Quid est incertum per incertum probare, si hoc non est? Iam enim docuimus, falsum esse, Abrahamum fide in Christum præditum fuisse. Ineptissimè autem dicitur, Noahum non aliam fidem, a fide Abrahami jactasse, quia præceptor Abrahami fuerit. Quasi scilicet id revelari Abrahamo, discipulo (ut Frantzium sequar) Noahi, non potuerit, quod Noah nesciverit; & res ipsa non ferat, ut, qui tempore sunt posteriores, plura de Dei voluntate & bonitate cognita habeant? Illud verò quàm vanum est, Noahum jactasse fidem vel justitiam fidei? cùm nusquam in sacris literis quicquam ea de re legatur. Si dicat Frantzius, Autorem Epistolæ ad Hebr: id de Noaho affirmare, quòd sit factus hæres justitiæ fidei, jam hoc longè aliud esse ab eo, quod Frantzius ait, quis non videt? Potuit enim, ut antea docuimus, autor Epistolæ ad Hebr: aliquid de Noaho dicere ex suo sensu, vel quod eventum potiùs, quàm mentem Noahi respiceret.

Thesis 99: *Quod autem inde ab Abrahamo usque ad Christum eadem doctrina de Iustificatione in omnibus piis Ecclesiis retenta fuerit & floruerit, iterum in nobis confirmat Apostolus, quando Rom: 4.11. docet, Abrahamum ab eo tempore, quo justificabatur ex fide, semper fuisse patrem, id est, exemplum propositum justificandis tum præputiatis, tum circumcisis, ut scirent universi & singuli, se quoque aliter justificari non posse, nisi credant, ut & ipsis imputetur justitia tam in præputio quàm in circumcisione, tamque in circumcisione quàm in præputio.* Ecclesias istas pias ab Abrahamo usque ad Christum Frantzio donamus: Doctrinam in eis de justificatione, qualem ipse fingit, conservatam fuisse, quomodo dici potest, nisi probetur priùs, extitisse aliquam de justificatione doctrinam. Longè enim differunt, de uno Abrahamo dictum esse, quòd Deo crediderit, & hoc illi ad justitiam sit imputatum: & doctrinam ea de re extitisse. Exemplum unum atque alterum doctrinam generalem, quæ ad omnes pertineat, constituere nullo modo potest. Paulum verò confirmare, quòd doctrina, quam Frantzius fingit de justificatione, ab Abrahamo ad Christum duraverit, tam est ab omni veritate alienum, quàm quod alienissimum. Verba Pauli sunt, Rom: 4.16. *Propter hoc ex fide, ut secundùm gratiā (sit) ut firma sit promissio omni semini, non ei quod ex lege solùm, sed & ei, quod ex fide*

Exemplum non constituit regulā.

V. Sleyn. p. 368.

fide (est) *Abrahæ, qui est pater omnium nostrum. Sicut scriptum est, quia patrem multarum gentiũ posui te.* Quis, nisi præjudicio fastinatus, hinc extruere conetur, Abrahamum ab eo tempore, quo justificatus fuit, semper fuisse patrem justificandorum tam Ethnicorum, quàm Iudæorum? Cùm Paulus per id, quod scriptum esse ait, hoc tantùm ostendere proposuerit, tam gentes quàm Iudæos sub N.F. ad Christum pertinere. Et nedum, ut incircumcisis Abrahamus ab eo tempore, quo justificatus fuit, exemplum propositum fuerit, sed nec ipsis Iudæis exemplum propositum fuit, nisi Christi demum tempore. Ostende enim, ubinám aliis Iudæis a tempore Abrahami modus justificationis per fidem sit vel indicatus, nedum promissus? nonné lex successit post tempora Abrahami, quæ opera exigebat, Fidei vero ne mentionem quidem faciebat? Quæ igitur temeritas, quæ audacia est, loco verborum Pauli, quibus, quid sub N. fœdere factum sit, docet, talem nobis substituere explicationem, quæ quid a tempore Abrahami usque ad Christum factum sit, persuadere nobis conatur? Crediderim equidem Deum ideo Abrahamum ante legem latam justificasse, ut constaret, hominem absque lege justificari posse, & legem aliam ob caussam latam fuisse quàm ut hominem justificaret: sed hoc notum tunc temporis vulgo fuisse, nullo modo affirmari potest. Semper enim homines, quod Deus præceperat, & omnibus in lege & fædere cum eis sancito promittebat, tenebantur sequi, non verè id, quod uni atque alteri divina contigerat benignitate.

Quando Abrahamus exemplum justificationis propositus fuerit.

Thesis 100. *Quænám à Christo & ab Apostolis prædicata & ad finem usque mundi prædicari jußa fuerit doctrina de Iustificatione hominis peccatoris coram Deo, iterum Spiritus S. per Apostolum in mirificum compendium redegit quando Rom:3.28,29, Iudæos & gentes colligit (ex argumentis quæ præmisit) fide (nimirum in Iesu Christo, facta propitiatione in sanguine ejus, ut habent antecedentia) justificari absque operibus legis.* Verum quidem est, Paulum Rom:3. docere, Iudæos & gentes fide in Christum justificari absque operibus legis. Sed hoc tantùm ad gentes & Iudæos, qui sub N.F. vixerunt, referendum est, quatenus nimirum fides, hoc est, iustificatio per fidem in fædere proposita est. Nam qui ante Evangelium fuêre gentes & Iudæi, qui Deo placebant, licet illi etiam omnes nullo alio modo, quàm fide iustificandi sint: tamen fides illa nec fidem Christi continebat, nec fædere inclusa erat, sed ex sola misericordia Dei totum illud negotium pendebat. Falsum autem est, Paulum dicere, propitiationem factam esse in sanguine Christi, quod affirmat Frantzius. Sic enim Paulus ait v: 24. *Iustificati gratis ipsius gratia per redemtionem, quæ in Christo Iesu, quem proposuit*

Iustificatio per fidem tantum in N.F. proposita.

proposuit Deus propitiationem per fidem, in sanguine ipsius, &c. Non propitiationem, ait, factam in sanguine Christi, sed Deum ait proposuisse Christum propitiationem per fidem, in sanguine ipsius, &c. Vnde colligi potest, jam extitisse propitiationem, priusquàm sanguis Christi accederet. Quomodo enim is, qui adhuc iratus est, propitiationem proponere potest? Proposuit autem Deus propitiationem Christum, quatenus per eum universo mundo uberrimè demonstravit, se propitium ei esse & fore. Quemadmodum etiam olim operculum arcæ fœderis propitiatorium appellabatur, quia scilicet Deus per illud declarare solebat, quando propitius esset populo suo. *Per fidem* addit, quia effectus istius benignitatis divinæ, quam in Christo mundo obtulit, nemini continget, nisi qui fide, nempe in Deum per Christum, præditus sit. *In sanguine ipsius* denique addit, quia mors Christi evidentissimum argumentum & perfectissima confirmatio fuit ejus rei, quam Deus per Christum mundo revelavit & promisit, se scilicet propitium peccatis illius futurum.

Christ⁹ quomodo Propositus sit propitiatio à Deo in sanguine ipsi⁹.

Thesis 101. est. *Satis igitur modum veræ justificationis hominum peccatorum coram Deo inde ab initio mundi semper unum & eundem fuisse, quemadmodum etiam Apostoli in Synodo Hierosolymitana concludunt: per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi. Act: 15. 11. hactenus ostendimus: nunc adversariorum objectiones intuebimur.* Quomodo id, quod ait, ostenderit Frantzius, judicabunt pii lectores, ex eo, quod breviter ejus thesibus opposuimus. Apostolos verò Act: 15. 11. conclusisse in Synodo Hierosolymitana, modum justificationis ab initio mundi semper unum & eundem fuisse, ô quàm ineptè dicitur! *per gratiam*, ajebant, *Domini nostri Iesu Christi credimus servari, quemadmodum & illi.* Ergo verba *& illi*, ex mente Fr. tantundem valebunt, & omnes qui ab initio mundi fuerunt? Quis unquam tale quid cogitare potuisset, si vel semel locus inspiciatur? Sed quid multis opus est exagitare istam negligentiam vel audaciam. Omnes fatebuntur, qui locum consuluerint, verba illa, *quemadmodum & illi*, de gentibus fidelibus dicta esse, quæ ista in oratione aliquoties opponuntur Iudæis fidelibus, per hoc ipsum relativum. Nam de his sermo erat institutus, non verò de patribus; & ridiculum planè fuisset, Petrum, qui de gentibus cæperat disserere, & docere, tam gentes quàm Iudæos ad Christum pertinere, orationem finire affirmando, quòd patres etiam sint servati per gratiam Christi. Opponitur gratia jugo legali, quod quidam imponere volebant gentibus fidelibus. Si quis dicat, in Græco esse relativum masculinum κἀκεῖνοι, vocē autem Gentes significationis esse neutrius ἔθνη, huic respondeo, vocem ἔθνη

Locus 15. 11. (catur.

esse

esse collectivam, quam vocant, & ideo sæpissimè cum relativis masculini generis conjungi. Exemplum habes Matth: 28: Docete, vel discipulos facite omnes gentes, πάντα ἔθνη, baptizantes eos, αὐτοὺς, & iterum, docentes eos, αὐτοὺς. Deinde dico, posse illud relativum referri ad discipulos, utrumque enim Græcum verbum ejusdem generis est. Si etiam aliquem offendat, quod remotius sit antecedens gentium vel discipulorum, quàm patrum, is non uno in loco id accidere comperiet, si ad id animum adverterit. Vide Act: 7.19. & 10.6. 2.Thess:2.9. 1.Ioh:2.29. & 3.5. 2.Epistolæ v:7. Si quis me semel antea dicta iterare ægrè ferat, is Frantzium potiùs quàm me accuset. Illius enim vestigiis insistens, non possum non, veritati, quam hisce suis iteratis assertionibus opprimere conatur Frantzius, subinde suppetias ferre, & summam ejus non dicam argumentorum, sed leviuscularum conjecturarum futilitatem iterum ad oculum demonstrare. Sed jam persequamur Frantzium objectiones nostras refutaturum.

Repetitio semel dictorũ excusatur.

Thesi igitur 102.103.104.105.106. testimonia nostrorum affert ex Psal: 78.21.22. Daniel: 6.23. Ion: 3.5. Hebr: c.11. Vnde constat, fidem justificantem aliud nihil esse, quàm sub spe promissorum divinorum mandatorum ipsius executionem. Ad hæc verò parat responsum hoc modo:

Thes: 107. *Verùm ad hæc omnia est responsio expedita, quòd credere multoties in sacris literis capiatur pro eo, quod est fidem habere (& simul obedire) omni verbo Dei revelato, adeoque obedientiam præstare mandatis ejus, sed an non aliud singulare, præcipuumque in primis in doctrina justificationis complectatur fides, illud hoc loco est ζητούμενον & κρινόμενον. Negant adversarii, nos affirmamus.* Est quod debeamus Frantzio, qui hoc, quod nos affirmamus, negare ausus non sit. Concedit igitur, credere, esse fidem habere verbo Dei revelato, adeoque obedientiam præstare mandatis ejus. Quo concesso, nonné frustra nostram de fide sententiam impugnat? Affirmat autem, aliud singulare præcipuumque inprimis in doctrina justificationis complecti Fidem, quod nos negare ait. Videamus quidnám illud sit.

Thes: 108. *Affirmationis nostræ fulcimentum egregium & firmissimum præstat Apostolus Rom: 3. 28. quando in decisione huius ipsius quæstionis manifestè distinguit inter fidem & inter obedientiam mandatis Dei præstandam, iisque debitam, & ita dicit, fide hominem justificari sine operibus legis.* Primùm quænám sit affirmatio sua de fide hîc non expressit Frantzius, quod omnino faciendum erat, nam ex loco citato singulare illud vel præcipuum, quod in doctrina justifi-

cationis

cationis fidem complecti statuit Frantzius, nullo modo apparet. Sed nec illud apparet, quòd Paulus manifestè distinguat, in loco citato, inter fidem & obedientiam mandatis Dei præstandam, iisque debitam. Quod enim Paulus secundùm quid dixit, id Frantzius simpliciter accipit. Paulus ait, hominem fide justificari sine operibus legis, hoc est, sine obedientia qualem lex requirit: Frantzius hoc ad omnem obedientiam mandatis Dei præstandam refert. Sunt autem mandata Dei præter legem, & est obedientia alia, præter obedientiam, quam lex requirit, nempe ea, quam evangelium postulat. Quæ ista obedientia fides simpliciter appellatur: Et sensus est: nos hodie justificari quidem obedientia sed non tali, qualem lex exigebat. Opera quidem Legis opponuntur fidei, sed non omnia opera simpliciter. Manifestè enim D. Iacobus ait, Fidem sine operibus esse mortuam, & fidem perfectam fieri per opera. Opera verò quæ opponuntur fidei, sunt perfecta & perpetua divinorum mandatorum observatio. Qualia opera, legis appellantur, quia talem in lege Deus obedientiam requirebat, & maledictus is erat, qui non omnia perpetuò faceret, quæ lex præcipiebat. Quomodo opera legis fidei opponantur.

Thesi 109. 110. 111. probare nititur, Paulum per opera legis non intelligere ceremonialia legis præcepta: sed quia nemo nostrum id affirmat, patiamur eum cum sua umbra ita pugnare.

Thesi 112. ait, & Pontificios & nos exponere ea de operibus moralibus. Cur igitur docuit thesibus præcedentibus, de moralibus esse accipienda ea verba, siquidem nemo contrarium dicat? Quomodo tractet Bellarminum non est, quod curemus. Sententiam porrò nostram thesi 113. super hæc verba explicat, quæ etiam a nobis suprà thesi 108. repetita est: Sed tamen non omnino fideliter. Affingit enim nobis, quòd dicamus, nos justificari fide, idem esse, quòd fiducia & obedientiâ eâ, quantam quisque præstare potest, & quotidie quàm maximam præstare studet & connititur. Non enim quantam præstare possimus simpliciter, & quantam præstare studemus & connitimur, debemus obedientiam Deo, sed quantam Deus præcipit & exigit. Facillimè enim nobismetipsis imponeremus, & nosmet ipsos seduceremus, si penes nos situm esset, quousque in pietate progrediendum sit. Ea autem, quam Deus exigit, non superat vires nostras, si ex animo contendamus, & insuper Dei auxilium, quod omnibus semper paratum est, quotidie imploremus, nempe ut omnium peccatorum habitui valedicto, omnibus virtutibus ita studeamus, ut, data eas exercendi occasione, necessariò, si non semper & perpetuò, saltem ut plurimùm, eas reipsâ exerceamus: & ad ipsam perfectionem Obedientia unde metienda & cur.

 semper

semper aspiremus. Sed quid ad hæc Fr: dicat, operæ pretium est considerare diligentiùs.

Thesi igitur 114. ait *Hæc interpretatio, præterquam quod satis coacta & ficta est, fortiter convellitur à cap. 6. ejusdem Epistolæ ad Rom: Si enim in fidei vocabulo Apostolus complecti voluit mediocre studium obediendi præceptis Dei, quid opus fuit demum capite sexto à credentibus mediocre illud studium exigere, cùm jubet, ne permaneant in peccato, ne adhuc vivant in peccato, ut in nova vita incedant, ut enervent corpus peccati, ne posthac serviant peccato, ne regnet peccatum in mortali corpore ipsorum, ne sistant membra arma injustitiæ, ne peccatum ipsis dominetur. Hæc enim omnia non de absolutissima obedientia, sed de possibili diligentia cavendi peccatum intelligi debere, ostendunt accommodatissimæ phrases, ubi non dicitur, ne sit in vobis peccatum, sed ne regnet, ne dominetur, hoc est, non vincat peccatum, ut vos ei serviatis, ex malitia in peccatum progredientes, licet interim imbecillitas & incuria in aliquot crimina sæpe vos conjectura est.* Primùm cur interpretatio hæc nostra coacta & ficta est? Non tantùm id dicendum sed docendum etiam erat, alioquin fidè nullam reperiet apud cordatum lectorem Frantzius. Sed deinde quomodo fortiter refellitur hæc explicatio a cap: 6. Epistolæ ad Rom:? Respondet Fr: *Si in fidei vocabulo Apostolus complecti voluit mediocre studium obediendi præcepis Dei, quid opus fuit demum 6. cap: à credentibus mediocre illud studium exigere? &c.* Acutum argumentatorem. Primùm cavillatur & calumniatur etiam Frantzius, dum id, quod nos ad fidem constituendam pertinere affirmamus, per mediocre studium obediendi Deo describit. Nam non mediocre, sed perfectissimum obediendi præceptis Dei studium, nos ad fidem requiri statuimus. Aliud enim est, perfectissimè Deo neminem obedire posse vel potiùs obedire: & aliud, perfectissimum Deo obediendi studium in nobis non requiri. Potest enim is, qui perfectissimè Deo obedire studet, tamen perfectissimè Deo non obedire, ob carnis scilicet, subinde impedimenta objicientis, infirmitatem: Perfectissimè Deo non obedire fragilitatis est: At perfectissimè non conari vel studere Deo obedire, improbitatis est. Et non tantùm studium obediendi præceptis Dei ad fidem requiri asserimus, verùm etiam ipsam obedientiam. Studium enim obediendi Deo, licet nescio quomodo magnum, si effectu obediendi careat, tantùm non est simile illius, quod Apostolus prohibet, *Ne errate, Deus non illuditur.* Deinde ineptissimè interrogat Frantzius, cur Paulus sexto demum capite a credentibus, non studium, nedum mediocre studium Deo obediendi, sed ipsam obedientiam requirat. Cùm nihil impediat, quominùs quis

Perfectissimum Deo obediendi studium requiritur.

Perfectissimum Deo obediendi studium ad salutem per se parum est. Gal: 6. 7.

nus quis semel de re aliqua loquatur, & de eadem iterum alio in loco agat. Dicam tamen, quod quærit Frantzius. Egerat Paulus in capitibus præcedentibus de fide, an scilicet per eam solam hodie detur justificatio, nihil de natura & proprietate illius disserens. Ut verò constaret omnibus, quid per fidem sibi vellet, & ne quis suspicaretur, ut hodie plærisque etiam accidit, fidem, quia tollit opera legis, omnia opera bona tollere, ex professo Paulus cap: 6. & 8. in genere, cap: verò 12, 13, 14. in specie fidei istius naturam prolixè & disertè describit. Explicatio autem Frantzii super verba Pauli Rom: 6. nimis prophana & irreligiosa est: Putat enim, peccatum tunc demum non dominari alicui, si non ex malitia in peccatum progrediatur. Cùm tamen simpliciter tantùm prohibeat Apostolus, ne peccatum nobis dominetur. Sive enim ex malitia nostra sive incuria accidat, ut peccatum nobis dominetur, & nos in peccatum progrediamur, peccatum tamen in nobis regnat, & ita, nisi resipiscamus, salutem certò sperare non possumus. Putat etiam Frantzius, nihil obesse homini Christiano, etiam si in aliquot crimina *sæpe* conjiciatur ab imbecillitate & incuria: At si sæpe conjiciatur in unum tantùm crimen, iam peccati habitu implicatus est; iam peccatum ei regnat, iam secundùm carnem ambulat, & ita in statu salutis eum esse, dici non potest.

Cur Paulus Rom: 6. de obedientia demum agat.

Habitus peccati qualicunq; de causa isq; unicus tantùm damnat.

Thesis 115. *Manet igitur inconcußa Ecclesiarum nostrarum doctrina, nos justificari, opposita omnibus operibus divinitus præceptis seu mandatis, sola fide, nimirum fiducia in Mediatorem, qui in paradiso pro toto genere humano intercessit, pœnam in sese derivavit, tandemque pro nobis omnibus æterno suo patri persolvit.* Falsum est, fidem omnibus operibus divinitus præceptis opponi. Docuimus enim esse opera, quę fides necessariò in se continet, & quæ forma sunt & complementum fidei. Sola fide nos justificari verum est, si fides ita describatur, quemadmodum nos eam ex sacris literis describimus. Si verò ita describatur, quemadmodum eam Frantzius & omnes Lutherani describunt, falsum est, nos solâ illâ justificari. Necessariò enim ad salutem requiruntur bona opera: *sine sanctimonia nemo videbit Dominum*. At in fide, qualem Fr: tradit, non necessariò opera bona reperiuntur, sed tantùm effecta illius sunt. In eo verò, quòd *Mediator in paradiso pro toto humano genere intercesserit, pœnam in se derivârit, tãdemque pro nobis omnibus æterno suo patri persolverit,* plus omnino errorum est quàm verborum, ut hactenus abundè demonstravimus, quæ facilè esset repetere, nisi crambe bis cocta mors esset. Et quia hæc Frantzii fides, est illa justificans, ipsa luce meridiana clarius est, eum super lubrico & arenoso fundamento salutis suæ spem collocare.

Fides absq; operibus describi non potest.

Heb: 12. 14.

Thesis 116. est. *Quod attinet ad locum ex novo Testamento Hebr: 11. iste nihil omnino pro adversariis facit. Istud fateri necessum habebunt, si aquilinis oculis introspicere contextum voluerint integrum, qui est à v: 19 cap 10. per totum caput 11. usque ad v: 14. cap: 12.* Locum Heb: 11 pro nobis nihil facere, ostendendum erat. Iampridem enim locum illum a v: 19. cap: 10. introspeximus, & non incognitum habemus: & tamen, quomodo ex illis, quæ ibi scripta sunt, consequatur, non eam esse naturam fidei, quam nos ex cap: 11. ostendimus, hactenus perspicere non possumus. In toto cap: 11. exempla fidei sanctorum proponuntur: At in omnibus & singulis aliud nihil commendatur, quàm quòd Deo, quem esse noverant, sub spe promissorum illius, ejusdem præceptis obediverint. Ergo Dei præceptis sub spe promissorum illius obedire, est vera in Deum fides.

Natura fidei ex c: 11: ad Heb: elicitur.

Thesis 117. *Postquam enim capite decimo sermonem de ceremoniis Mosaicis in Christo completis finivit, mox v: 19. redit ad illam νουθεσίαν pro confirmandis Hebræis imbecillibus, quam mox capite secundo v: 1, 2, 3, &c. & toto 3. & 4. v, 1, 2, 3, &c. 5. & cap: 6. instituit, ne propter pericula se à Christi exhibiti & crucifixi confessione ad ceremonias Mosaicas retrahi patiantur, sed in Christi professione permaneant, magna cum patientia ac constanti fide etiam inter media pericula immortalitatem expectent, inter alia ducto argumento ab antecessoribus.* Hoc totum nihil subsidii suppeditat ad ea, ad quæ respondendum est Frantzio. Tunc agnosce lector benevole, Frantzium non habere, quod directè respondeat, cum talibus utitur ambagibus, &, in ipsam sese obscuritatem quasi involvens, aliquid more concionatoris disserit. Non quomodo *νουθεσίαν* instituat autor Epistolæ ad Hebr:, narrandum, sed, quòd id, quod nos affirmamus de natura fidei, ex cap: 11. non possit deduci vel apparere, hoc demonstrandum erat. Nescio autem quid hoc sit, quod ait Fr:, autorem nostrum mox v: 19. cap: 10. redire ad *νουθεσίαν*, quam mox cap: 2. v: 1, 2, 3, &c. & toto 3. & 4. 1, 2, 3. & cap: 5. & cap: 6. instituit. Ergo post caput 10. mox sequuntur cap: 2, 3, 4, 5, & 6. Hujusmodi negligentiam ab opponentibus animadversam fuisse credo: in publicum autem prodiisse miror.

Thesis 118. *Annon enim Abel propter fidem in Christum sincerius obtulit sacrificium & passus est, similiter Enoch à rabiosis sui seculi hominibus sine dubio multa ideo passus, quòd extremi diei à Christo instituendum judicium, ut in Epistola Iudæ habetur, eis denunciavit.* Nihil hæc omnia ad rem. Docendum erat, nostram de fide justificante sententiam non contineri in cap: 11. ad Hebr:. Hunc scopulum declinat astutè Frantzius: sed simul etiam se prodit & causæ suæ pravitatem.

Interro-

Interrogat, *an non Abel propter fidem in Christum sincerius obtulerit sacrificium & passus sit?* Respondeo, per summam audaciam summum errorem obtrudi. Nulla enim fidei Abelis in Christum mentio, nullum vestigium. Ait, *Enochum proculdubio multa ideo passum, quòd extremi diei à Christo instituendum judicium eis denunciavit.* At illud *proculdubio* solvitur per contrariũ, *magno cum dubio.* Sed quid tandem est, unde fides Enochi in Christum colligi vel somniari possit? Nonné extremum judicium annunciari potuit absque Christo vel fide in Christum? Nonné pati poterat quævis adversa ob istam annunciationem, & tamen in Christum non credere? Et ut hæc omnia, quæ falsissima sunt, concedamus, quid fides in Christum cum persuasione de merito illius commune habet?

Thesis 119. *Eadem fuit conditio Noë, per quem λόγ⊗ æterni Patris tunc prædicavit immorigeris, quum eos expectabat patientia Dei,* 1. *Pet:* 3. 18. Neque hoc ad rem quicquam facit. Fabula autem egregia est, per Noam λόγον æterni patris tunc prædicasse immorigeris. Scilicet hoc ajebat Petrus cap: 3. 18. cum de Christo dicit: *Mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu, in quo & illis qui in carcere (erant) spiritibus profectus, prædicavit incredulis aliquando.* Parumné liquet, Apostolum de Christo loqui a mortuis resuscitato, & de eodem affirmare, quòd in eo spiritu, quo fuit vivificatus, profectus prædicaverit spiritibus, qui in carcere erant, qui olim erant increduli, intelligens eam gentem Iudaicam, quæ antea semel eum spreverat & crucifixerat, ut ita Christi patientiam perfectam commendans, nos etiam ad eandem imitandam cohortaretur, quod propositum ipsi fuisse quivis facile animaduertere potest, si a v: 16. verba Apostoli legerit. Verba autem illa, *quando expectabat illa Dei longanimitas in diebus Noë*, adduntur ad illustrandam Christi patientiam, quòd scilicet non secus Christus Iudæam gentem tunc tulerit, quemadmodum olim Deus homines, qui erant tempore diluvii, patienter diutissimè tulerat, ita ut vox *sicut* per ellipsin omissa, subaudienda sit. Quam nostram explicationem speramus, vel ob hoc ipsum fidem faciliùs inventuram, quòd nihil in ea dicatur, quod per se non sit verissimum: In sententia verò Frantzii id sumitur, quod omnino est controversum, nempe Christum fuisse, antequam nasceretur. Sed de hoc alibi plura.

Locus 1. Pet. 3. 18 explicatur.

Thesis 120. *Similiter Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Moses, &c. & Prophetæ, quòd certò scirent in terra Canaan affuturum Messiam, pro ea terra obtinenda & defendenda mirabilia tolerarunt, designârunt, nihilque omnino subterfugerunt.* Ridiculum est dicere, omnes hos scivisse in

se, in terra Canaan affuturum Messiam. Vnde enim hoc scirent? Nec necessarium est id dicere. Aliam enim causam habere potuerunt & habuerunt, cur pro terra Canaan obtinenda & defendenda multa tolerarent & designarent, præter scientiam, quòd ibi affuturus esset Messias. Et his omnibus concessis, quid hoc ad fidem in Christum, & quod majus est, ad meritum ejus?

Thesis 122. *Etsi verò in genere Messiam fidei istorum omnium propositum generaliter docet (nec enim aliud sentire permittit Catalogi conclusio v:39. cap:11.) tamen interim specialia extraordinaria opera, ex eadem tamen vera & viva fide in Christum promißum prodiiße, ex singulorum historiis demonstrat.* Nec in genere nec in specie Messiam fidei istorum, de quibus scribit autor noster, propositum fuisse, docet. Catalogi autem conclusio v:39. aliud sentire non tantùm permittit, verùm etiam omnino suadet, & tantùm non cogit. Sic enim habet: *Et hi omnes testimonio probati per fidem, non reportârunt promissionem.* Primùm incertum est, an verba, *Hi omnes*, ad omnes qui toto isto cap: enumerantur, an verò ad proximè præcedentes tantùm referenda sint. Certè nihil vetat, quo minùs ad hos tantùm referantur: Imò sunt, quæ cogunt, ad proximè ante nominatos ea referenda esse omnino. Nam de multis illorum, quos ab initio usque ad finem ferè cap: nominaverat, & res ipsa & ipse autor testatur, quòd fide obtinuerint promissa, quæ scilicet tunc illis proposita erant. Sed esto, ad omnes in universum ibi commemoratos pertinere. Quid confidentiloquius (ut sic dicam) esse potest, quàm quòd Messiam fidei suæ propositum habuerint illi, qui testimonium per fidem consecuti sunt: Cùm posito genere non statim ponatur species? Fidei testimonium habuerunt. Ergo fidei in Christum spectantis. Simile huic est, quod dicit, ex hac eadem fide in Christum promissum prodiisse opera illa extraordinaria, quæ fideles perpetrasse ibidem testatur autor. Nam nec in Christum credere potuerunt illi, qui ante eum natum vixerunt, & quibus is tantùm promissus fuerat. cùm ad fidem in aliquo collocandam non tantùm illius præsentia, sed etiam summa potētia requiratur necessariò: Nec etiamsi in Christum promissum credidissent, vana ista de ejus merito opinatio per id stabiliri posset. Poterant enim credere, Messiam promissum olim venturum, & multa sibi de eo polliceri, absque isto meriti somnio.

Locus Heb: 11. 39. explicatur.

Non omnis fides est fides in Christum.

Fides in Christum nō continet fidē in meritum illius.

Thesis 123. est. *Hunc eße nativum scopum ex capitibus tribus, nimirū. cap:10. & 11. & 12. utique Ostorode inficias ire non potes. Manente igitur hoc scopo, jam statim concidit superbia tua, jactantia & inepta tua definiendi*

finiendi fidem salvificam, non nisi ex hisce effectis historicis & exemplis specialibus ac extraordinariis libido. *Utique* illud Frantzii, efficere non potest, ut quis non possit negare, hunc esse nativum scopum capitis hujus 11. ad Hebr. Nam nihil Frantzius de thesi, quæ habetur v:1.cap:11.dixit, cujus probatio vel declaratio est universum deinceps caput. Thesi autem illa inspecta, manifestè apparet, autorem illum naturam & proprietatem fidei generalem, quæ scilicet omnibus Dei cultoribus competat, describere voluisse. Quæ est, quòd ea, quæ Deus revelat aut promittit, licet nondum appareant, vel quæ quis futura sperat, licet ea Deus nec revelaverit, nec promiserit, habeat pro ita certis, ut nihil eorum causâ facere detrectet. Hãc fidem in omnibus, quos ibi commemorat, fuisse docet, & tandem etiam nobis Christianis persuadere conatur, ut ex initio cap: 12. quod est conclusio præcedentium, apparet. Quia verò ista generalis fidei descriptio, quantumvis multùm prodesse poterat ad efficiendum in istis Hebræis, quod autor iste volebat, parum sufficiens erat, post enumeratam nubem testium, jubet eos tandem respicere Iesum fidei ducem & consumatorem. Is enim longè alio modo nos Deo confidere docuit, & ipse etiam Deo confisus est, quàm omnes ante eum sancti. Et ex his omnibus infert, non esse eis deficiendum a Christo, metu persecutionis ingruentis, &c. Hunc esse scopum orationis autoris illius divini, nos quidem affirmamus: sed non hoc nunc agitur. Illud jure jactare possumus, quòd natura fidei in cap:11. describatur, quo stante corruat necesse est, quicquid de merito Christi fingitur. Hi enim omnes Deo confisi sunt, nec tamen, de merito Christi eos quicquam vel scivisse, ullo modo constat.

[Margin: Quæ sit generalis proprietas fidei.]

[Margin: Christus fidei exemplar est.]

Thesis 124. est. *Abi jam & insist: tua cap:2. circa finem jacta, nullo exemplo vel testimonio doceri posse, veteris instrumenti homines fuisse salvatos fide in meritum Christi, & adhuc clama, contrarium extare in Epistola ad Hebr: & in illa nullam fieri mentionem obedientiæ, justitiæ & meriti Christi.* Imò tu ipse abi, & desine jactare ullum meritum Christi, quo vel unus mortalium servatus sit. Hoc enim nec in sacris literis extat, nec ex illis deduci, nec ulla denique ratione aut verisimilitudine sustineri potest. Dolum Frantzii, qui obedientiam vel justitiam Christi, cum merito illius ita copulat, ac si unum & idem essent, non perstringo. Satis enim est cordato lectori, digito eum tantùm monstrasse.

Thesis 125. est. *Omnino aliam causam, cur Abel sacrificaverit & quidem sacrificium amplius seu pretiosius de primogenitis pecudum suarum quàm hunc, nimirum in honorem & symbolum sacrificandi & passuri,*

tu Ostoro-

tu Ostorode, in æternum non excogitabis. Qua de re prolixius in Disp: 4. Infirmum hoc totum est. Potest enim alia esse ejus rei causa, quæ nos lateat. Quid si dicam, Abelem ideo sacrificasse, quòd aliqua ratione vel ipsi vel parenti ejus revelatum fuerit, hoc Deo placere, ut scilicet, quemadmodum tunc ista puerilis ætas ferebat, Deum coleret, & gratitudinem suam testaretur, quid opponet Frantzius, quod, id ita se non habere, firmiter ostendat? Sed & ego cum Frantzio ad 4. Disput: lectorem remitto.

Thes: 126. *Eundem Mediatorem cum gaudio per fidem ab Abrahamo fuiße prævisum & apprehensum, qua fronte negabis: quâ fronte à Davide ignoratum aßerere audebis, qui Dominum suum Messiam professus est, teste ipso Christo, Mat: 22.43. Quomodo à Mose, qui διαῤῥήδην Heb: 11.26. majores arbitratus fuit divitias probrum Christi, quàm Ægyptiorum thesauros, licet tuus Eniedynus hoc dictum mirificè sed frustrà in explicatione locorum communium, pro Trinit: allegari solitorum, depravare conatus est.* Antea tantùm probare conatus fuerat Frantzius, Abrahamum diem Christi vidisse: nunc cum auctione tacitè intrusa, loco diei Christi, ipsum Christum, eumque ut mediatorem, substituit, & ad visionem, etiam apprehensionem addit. Interrogabo ego etiam, quâ fronte hoc ausus sit facere? Nonné enim dies Christi sine Christo esse & videri potest, præsertim a propheta, cujus proprium est ea videre, quæ non sunt reipsa, sed tantùm futura sunt? Nonné aliquid videri potest & tamen nulla fide apprehendi, si scilicet id non ejus, qui illud videt, sed aliorum subsequentium causâ fiat? Et ita se habuisse omnia, quæ prophetis olim evenerunt, testatur Petrus. (1.Pet:1.12.) Sed quid porrò hoc totum ad rem? Esto, Abrahamum Christum prævidisse & apprehendisse. Num hinc consequetur, Abrahamum de merito Christi aliquid vel cogitasse? Hoc verò, non illud, potissimùm probandum erat. Christum a Davide ignoratum fuisse nemo nostrum affirmavit unquam. Iniquus igitur est Frantzius, qui ita nos interroget: qua fronte a Davide ignoratum Christum asserere audeamus? Non an David Christum ignoraverit, quæritur. (Quatenus David Christum noverit.) hoc enim facilè suo modo concedi potest, quatenus scivit, futurum olim Regem promissum: sed an David sciverit & crediderit, futurum Messiam merito suo satisfacturum pro peccatis nostris, hoc in quæstione, & hoc probandum Frantzio erat. Dominum suum aliquem agnoscere, quod de Davide dicitur Psal: 110., non est, credere eum merito suo pro peccatis nostris satisfacturum, sed tantùm significat, Messiam futurum ejus potentiæ, ut etiam in ipsum Davidem imperium sit habiturus. Quod nos de Domino

Domino Iesu libenter confitemur, & ubi opus est etiam contendimus. Est enim Iudex & Dominus a Deo constitutus mortuorum & vivorum. Quod ad Mosen attinet, nihil usquam legitur, unde appareat, illum Mediatoris vel Christi cognitionem habuisse vel minimam. Nam quæ verba leguntur Act: 3. 22. a D. Petro citata, ea, ex mente tantùm & explicatione Apostoli, ad Christum pertinent, quæ explicatio nemini unquam, nec ipsi Mosi nota fuit. Nulla enim prophetia proprii est intellectus, teste eodem D. Petro. Quod verò Hebr: 11. 26. de Mose legitur, quòd majores thesauris Ægypti arbitratus sit divitias, probrum Christi, id vel probrum fuit populi Israelitici, qui tunc erat unctus Dei suo modo: vel probrum illud, quod tunc subiit populus Dei, Christi appellatur, quia simile aliquid tunc patiebantur Israelitæ ei, quod Christus passus est, cum in mundo adhuc esset; & statuendum omnino est, autorem nostrum non de mente vel consilio Mosis id dicere, sed ex suo sensu de eventu ipso, cujus rei non unum in hac Epistola exemplum extat, quod etiam suprà annotatum fuit. Simili loquendi modo spiritus Dei, qui in prophetis erat, spiritus Christi appellatur, licet tunc Christus nondum esset, nec Spiritus S. datus, quia scilicet ea per prophetas Deus revelabat, quæ ad Christum, hoc est, ad ejus mortem & gloriam spectabant, ut ibidem D. Petrus addit. Quæ Eniedynus supra hunc locum scripsit, quia non refutat Frantzius, hoc ipso immota esse tutò credi potest.

Act: 10. 42.

Verborum Mosis de Christo sensus.

2. Pet. 1. 20.

Quid sit probrũ Christi.

Heb. 11. 7, 10, 16.

1. Pet. 1. 11.

Ioh. 7. 36.

Thesi 127. responsionem ad ea parat, quæ de Rahab meretrice ex Heb: 11. 31. ab Ostorodo dicuntur, quòd scilicet illa etiam fide in Deum prædita fuerit, de qua tamen, quia Ethnica fuerit, nihil constet, quòd Christi meriti cognitionem ullam habuerit, quæ responsio talis est:

Thesis 128. *Sed quod ex hoc exemplo Rahab tibi victoriam partam esse confidis, utique totus falleris. Falsissima enim illatio est. Rahab fuit Ethnica mulier, ergo de Christo atque de merito Christi nihil scire potuit. Simili enim modo concludi potuisset ex Ioh: 4. Samaritana est Ethnica, ergo de Christo nihil scivit. Magi fuerint Ethnici, ergo nihil de Christo nascendo sciverunt: Certè Christo ibidem egregiè ita respondit Samaritana, Scio quòd Messias veniet, qui dicitur Christus, cùm venerit ille, annunciabit nobis omnia: magi illustriorem confessionem Christo publicè perhibent, quàm vicini proximi Iudæi.* Exempla, quibus illationem nostram refutare voluit Frantzius, nihil huc faciunt. Nam primùm differunt, esse Samaritanam, & esse Ethnicam. Et falsum est Samaritanam esse Ethnicã. Vnde etiam disertè distinguuntur a Christo Samaritani

Samaritani & Ethnici differunt.

Mat: 10. 5.

maritani enim Deũ Iſraelis colebant, licet nõ ſuo loco nec omnino legitimè; & legem, ex qua ſpes futuri Meſſiæ concipi poterat, non minori diligentia legere poterant, quàm Iſraelitæ. Magis, præterquam quòd ſtella apparuit, miraculoſa proculdubio præterea ratione revelatum fuiſſe dici poteſt natum eſſe D. Ieſum. Quod de Rahab affirmare nemo poteſt. Deinde differunt ſcire aliquid de Chriſto: & ſcire de ipſius merito. Facilè enim poterat pervenire ad Samaritanos fama de Chriſto, & etiam ad alias gentes, quòd ſcilicet eum ſperarent Iudæi, quod theſi 129. & 130. fruſtra probat Frantzius: At de merito Chriſti (hoc enim perpetuò eſt in quæſtione) hominem eum, qui Ethnicus ſit, vel cogitare potuiſſe, nemo niſi planè mentis inops affirmare poteſt.

Fama de Chriſto nõ infert Chriſti meritum.

Theſis 131. *Et nullum eſt dubium, etiam hanc famam ex parte evocaſſe magos ex oriente ad adorandum Chriſtum, eumque donandum auro, myrrhâ, thure.* Imò magnum eſt dubium, & conjecturis tam levibus niti in re tanti momenti, eſt, rem divinam extenuare. Nam omnino credibile eſt, miraculoſum aliquid præterea interceſſiſſe, quod Magos illos compulerit, ut in Iudæam profecti, Chriſtum adorarent. Nam & in reditu, legitur, eos fuiſſe per revelationem monitos, ne in Iudæam Bethlehema reverterentur, ſed aliâ viâ domum ſe conferrent.

Matt:2.12.

Quæ theſi 132. & 133. ex Cicerone de Sibyllis affert, ea Frantzio donamus, cùm, etiamſi veriſſima eſſent, nihil ad rem probandam faciant. Non enim, an fama de Chriſto percrebeſcere ante eum natum potuerit, ſed an illi, ad quos fama de Chriſto naſcituro percrebuit, de merito Chriſti aliquid ſciverint, præcisè quæritur, quod quia, quomodo probaret, non habebat Frantzius, terminos turpiter mutat, & id probandum ſuſcipit, quod nemo noſtrûm, cur neget, cauſam habet ullam.

Quòd ait theſi 134., *Ethnicos ſcientiam qualemcunque de Meſſia accepiſſe ex vaticiniis Eſaiæ & Danielis*, id & incertum eſt, & extra oleas. Quæ de Æthiope Eunucho affert, docent quidem, literas ſacras ad manus etiam extraneorum pervenire potuiſſe; ſed tantũ abeſt, ut aliquid de merito Chriſti aliquem docuerint, ut etiam, an de Chriſto intelligenda eſſent ea, quæ ad ipſum pertinent, docere non potuerint. Ignorabat enim Æthiops, an de ſe propheta loqueretur, an de alio, & intelligere ſe illa non poſſe affirmabat ſine interprete.

Act:8.34.

Theſi 135. ait, ſermones de Chriſto eos factos fuiſſe tempore Ioſuæ, Moſis & Abrahami, quemadmodum tempore Eſaiæ & Danielis. Sed & hoc totum incertum eſt, & ad rem nihil facit. Nam de fama meriti Chriſti, non de Chriſto controverſia eſt.

Thesis 136. est. *Quò enim viciniores terræ promissæ facti fuerunt Israelitæ, post egressum ex Ægypto, eò quoque rumores jactârunt confidentiores, crebrioresque de Messia propediem affuturo, & quidem tales, ecce posteritatem magnam promissam Abrahamo nunc præstitit Deus, ecce miraculosè illam posteritatem Abrahamicam Deus adjuvat in occupanda promissa terra: ergo mox tertium quoque promissum, nimirum de Messia ipso, huic posteritati Abrahamicæ exhibebit, ubi simul Messiæ merita attexuerunt. De his nemo nisi Lucianista desperatissimus ambiget.* Hanc thesin asscripsi integram, non quòd in ea quicquam esset dignum responsione, sed ut præsumptio Frantzii ex ea tantò appareret evidentiùs. Concedam totum, quod ille vult, nempe Israelitas jactasse ista tria, & ipsum etiam promissum de Messia, quod tamen, nempe de tertio, valdè est dubium, imò vanissimum: quid hinc sequetur? Ergo, addit Fr:, *simul merita Messiæ attexuerunt.* non illi unquam hæc attexuêre, sed Frantzius hæc attexit. Et tamen ita ausus est perorare Frantzius, *De his nemo nisi Lucianista desperatissimus ambiget.* Vt agnoscas scilicet ingenium ejus, qui, cùm argumentis destituitur, rem propositam petulantibus dicteriis conficere satagit. Argumenta fortissima in fronte & fine collocanda esse docent, qui artem dicendi tradunt, ut res, quæ persuadetur, animis audientium tantò hæreat tenaciùs: Idem etiam facit Frantzius, scilicet. Fætor, quem jam peroraturus relinquit, quid de tota oratione præcedente sentiendum sit, unumquemque cordatum commonefacere potest. Lucianista desperatissimus est, qui commenta aliena, absurda, puerilia, inepta & pernitiosa respuit? Deus tibi mentem det meliorem Frantzi, & efficiat, ut magis sobriè loqui, & solo Christi Evangelio ab erroribus ad veritatem alios adducere discas. Frantzius monetur.

REFUTATIO THESIUM D. WOLFGANGI FRANTZII, De Bonis operibus.

Quæ est Disputatio ipsius septima.

Thesis 1. est. *Præcedente disquisitione, pro thesium captu, & modulo, adversus Photinianos nostros, ex sacris scripturis, satis planum & expeditum dedimus, omnes homines ab origine*

mundi, eodem pacto, justificatos & salvatos fuisse, nimirum, non propter propriam obedientiam exhibitam legi morali ab ipsis, seu propter bona opera, sed propter obedientiam Christi Mediatoris, adeóque propter satisfactionem ab eo Patri suo præstitam. Gloriationem vanam esse, quam Frantzius hîc thesibus suis præfixit, agnoscet, quisquis responsionem nostram non oscitanter legerit. Cavillum esse, quòd nos, propter obedientiam propriam exhibitam legi morali, seu propter bona opera, hominem justificari dicamus, is fatebitur, qui & libros nostros ea de re editos revolverit, & quid non semel a nobis etiam in hac responsione dictum sit, consideraverit. Illud autem est: nos statuere, hominem justificari ex Dei misericordia, non tamen sine obedientia mandatis divinis præstanda. Causa efficiens principalis est Dei vel Christi gratia: causa efficiens adjuvans & administra vel sine qua non, est nostra fides, cuius forma & complementum est obedientia.

Sententia de causis justificationis vera.

Thesis 2. *In hac συζητήσει refutandum nobis restat illud, quod asserunt, 1. Omnium prophetarum, Apostolorum & Christi conciones nihil aliud ab hominibus postulare, quàm ut Legi morali debitam obedientiam exhibeamus,* &c. Hæc verba aliquam requirunt illustrationem. Falsum enim est, nihil prorsus ab hominibus postulare prophetarum Christi & Apostolorum conciones, quàm ut Dei voluntati (sic enim nos loquimur, non autem legi morali, ut Frantzius ait) obtemperemus. Cùm constet multa alia esse, quæ a nobis in eorum scriptis requirantur: Sed quod ad justificationem hominum ex parte illorum requiratur, nihil aliud esse dicimus, quàm obedientiam Dei præceptis præstandam, quæ est forma & complementum fidei. Quid contra hæc deinceps afferat Frantzius, videamus ordine.

Quaten⁹ dicatur, nihil a prophetis præter obedientiam requiri.

Sectione secunda thesi 4. fatetur, legem moralem & bonorum operum exercitia & studia semper fuisse inculcata. Sed nescio quo fine, cùm, ea ad salutem omnino necessaria esse, alibi neget.

Thesis 5. est. *Nihil autem unquam aliud in Ecclesia præter bona opera fuisse postulatum, & salvari cupientibus præscriptum, hoc nimirum pernegamus.* Nos verò id constantissimè affirmamus, si, quod 2. thesi addidimus, observetur, nempe ad nos justificandos, & gratiâ divinâ præmissâ.

Thes: 6. *Si enim sacram consulimus paginam, satis apparebit, semper omnes homines salvari cupientes, fuisse jussos sperare & confidere in Mediatore.* Hoc verò & falsum esse antea docuimus, & deinceps docebimus: & etiamsi verissimum esset, rem tamen, quæ nunc agitur, non conficeret. Relinqueretur enim investigandum, an sperare & confi-

& confidere in aliquo, aliquid aliud sit reipsa, quàm ei obedire. Quod nos planè negamus, & falsum esse ante docuimus. Ratione quidem ista distingui possunt, sed reipsa unum sunt, & semper alterum alterum necessariò comitatur. Vide Disp: præced: thesin 63. Fides nihil reipsa differt ab obedientia.

Thes: 7. *Sit principale probationis nostræ hac vice fundamentum in Gen: Cap: 12. & 13. & 16. & 17. & 18. & 21. & 22. ubi Deus init fædus cum Abrahamo hac ratione, ut Patriarchæ aliquid promittat, & vicissim à Patriarcha aliquid reposcat.* Quomodo verò primùm hoc Abrahami exemplum ad omnes eos pertinget, qui ab initio mundi fuere; cùm certum sit, duobus ferè mille annis post conditum mundum, cum Abrahamo demum fœdus constitutum esse? Deinde quid opus erat disserere de eo, quod Deus aliquid Abrahamo in fœdere isto promiserit, cùm id sit extra omnem controversiam, & tantùm inquiratur, an Deus præter obedientiam aliquid ab illis, qui justificari debent, postulârit. Sic tempus terendo latebræ quæruntur: sed frustra: Donemus enim Frantzio totum, quod thesibus sequentibus ab 8 usque ad 17. asserit, Deum promisisse Abrahamo ea, quæ hîc commemorat (quanquam multa sunt ineptè dicta) negamus tantùm, quod thesi 16. concludit: *Habemus sole hoc meridiano clarius, in fœdere Abrahami cum Deo præcipuum membrum fuisse, promissionem de semine benedicto, nimirum contrituro caput maledicti serpentis.* Verba enim illa: *nimirum contrituro caput maledicti serpentis*, additamentum sunt Frantzii. De semine mulieris, de quo sermo est Gen: 3. dicitur illud. At semen illud mulieris, & semen Abrahami sanè diversa sunt. Cùm semen Abrahami, in sensu proprio, aliud nihil sit, quàm Isaacus, quem Christi typum fuisse non negamus: sed, quòd typus Christi Isaacus esset, Abrahamū scivisse, nemo docere unquam potest.

Thes: 17. *Videamus jam, quid ab ipso Patriarcha postulaverit Dominus. Illud autem quid sit, iterum ex textibus jam allegatis optimè prodibit. Hoc nimirum postulavit ab Abrahamo, quod etiam fecit Abraham, capite 15. nimirum ubi credidisse scribitur.* Putat Frantzius, se jam bene rem confecisse: Interim non attendit, se nihil proficere, nec profecturum, nisi ostendat, Deo confidere, aliquid tale esse, quod sine obedientia Deo præstanda existere aut consistere possit. Nam si obedientia est complementum & forma vel anima fiduciæ vel fidei, de nemine dici potest, quòd Deo credat & confidat, qui eidem non obediat. Forma enim dat esse rei.

Thes: 19. *Nam Epistola ad Hebr cap: 11. 8. testatur, Abrahamum per fidem auscultasse Deo, ut abiret in locum, quem accepturus erat, & exivit, nesciens quò esset venturus, id quod non ad caput 15. sed ad caput*

12: *referri potest, & evincit, toties credidisse Abrahamum Deo singulari fide, quoties tria promissa & inprimis illud de semine ipsi repetivit Deus.* En quàm eleganter fidem descripserit autor Epistolæ ad Hebr: & quàm aptum ad se jugulandum gladium attulerit Frantzius. Nam si fidei Abrahami pars in eo erat, quòd Deo auscultavit, ut abiret in locum, quem accepturus erat, & in eo quòd exivit, nesciens quò esset venturus, quis non videt, fidem in Deo collocatam esse, ipsius voluntatem facere, sub spe promissorum sibi factorum? Itaque non quid Deus ab Abrahamo requisierit, quod ad verba, inquirendum esset, sed quid illud significet, quod requisivit, in primis attendendum est.

Fidei Abrahami pars.

Thes: 21. responsionem parat Frantzius ad id, quòd Deus Abrahamum jubet, ut ambulet coram se, & ut sit perfectus, quod fidei à se confictæ adversari videt, nostræ verò de fide sententiæ nihil repugnat, imò eandem stabilit. Hic enim, fidem se habere, testatur, qui coram Deo ambulat, & perfectus esse studet.

Iubet autem nos thesi 24. contextum consulere, ut hæc intelligamus, quem ait esse, quòd postquam Abraham cum Agara ancilla concubuisset, prolis suscitandæ causâ, Deus eum monuerit, his verbis, ne in fide inchoata vacillet, ex se scilicet & Sara omnino proditurum semen, nec in vitæ sanctioris moribus, tanquam veræ fidei in Deum & Messiam indubitatis indiciis, & tandem quid ad hæc pro Socino quivis nostrûm responsurus sit, interrogat thesi 27. Satis audacter Frantzi. Ego quidem responsione nulla ad hæc opus esse credo. Mera enim hæc sunt coniectura, in qua placeat sibi quantum velit Frantzius, hoc tamen non efficiet unquam, ut, licet tandem esset verissima, solum hoc istis verbis, *Ambula coram me, & esto perfectus*, contineri dici possit. Imò verba illa ad sequentia potiùs, quàm ad præcedentia respicere, ipse contextus & ratio docet. Quid enim opus erat, Deum, hac verborum obscuritate, Abrahamum reprehendere & monere, quòd parum sibi confisus, cum ancilla concubuisset? Nonné, si peccatum ab Abrahamo in eo fuisset, manifestis verbis utrumque reprehendere Deus poterat? Et si Deus his verbis Abrahamum reprehendit, cur peccatum Abrahamus priùs non est confessus, quàm Deus cum eo fædus novum pangeret? Cùm verò Deus pactum cum Abrahamo novum constituere vellet, cuius deinceps cap: 17. Gen: fit mentio, tum primùm omnium, qualem eum esse vellet, his verbis admonet. Ambulare porrò coram Deo, significare, omnem vitam suam ad nutum divinum componere, nemo omnium unquam negaturus est, qui loquendi modorum sacrarum literarum

Quid sit ambulatio Abrahami coram Deo.

plané

planè non est ignarus. Perfectum autem esse, significare in ista vitæ suæ compositione ad nutum divinum, quododam studium singulare, vel etiam idem esse cum priori, & exegesin illius, nemo similiter negare potest. Sed præterea falsum omnino censendũ est, quod Fr: his verbis affingit. Non constat enim, Abrahamum in fide sua vacillasse quicquã imò eum constanter in illa durasse, testis locuples est Apostolus Rom: 4. ubi ait: *Qui* (Abrahamus) *contra spem in spe credidit, ut fieret Pater multarum gentium, secundùm dictum, sic erit semen tuum* (hoc autem scriptum est cap: 16. Gen:) *& non infirmatus fide, non consideravit suum ipsius corpus jam emortuum, centum annorum ferè existens*, &c. Quòd verò de Agara Abrahamo associata legitur, illud non indicium erat diffidentiæ de nascituro semine. sed error tantùm erat Abrahami, inde ortus, quòd, cùm primùm ei Deus filium promitteret, nulla Saræ mentio facta fuisset. Poterat igitur Abrahamus cogitare, quia Sara erat emortua, non ex ea filium illum nasciturum, nec sperandum, ut ex Sara nasceretur, sed satis esse si ab Abrahamo progeneraretur. Cùm verò deinde audivit, ex Sara uxore filium proditurum, quantumvis esset effæta, hîc etiam nihil dubitavit, nec ut Apostolus in loco citato Rom: 4. ait, *in promissionem Dei disceptavit diffidentiâ, sed confortatus est fide, datâ Deo gloriâ, & plenissimè persuasus, quia quod promisit potens est & facere. Ideo & reputatum est illi ad justitiam.* Semper igitur Deo credidit Abrahamus promittenti sibi filium: sed Deus non semper eadem ratione filium promiserat. Iam enim tantummodo promiserat filium ex Abrahamo oriundum: Deinde verò filium ex Abrahamo & Sara uxore ejus nasciturum. Viden' benevole lector, quomodo evanuerit illud, quod tam speciosum se invenisse credebat Frantzius, ad evertendum sensum verborum Dei, quibus summa integritas ab Abrahamo requirebatur, quæ idem est ex mente veritatis & nostra, cum fide, quam in Deo Abraham⁹ collocatã habuit. Quid sit perfectio Abrahami.

Frustra igitur est, quòd thesi 28. ait Fr. Abrahamo hanc Dei admonitionem plurimùm profuisse, ad id, ut filium suum etiam Deo immolare non dubitaverit. Nam non ex admonitione, sed ex fide, quę perpetuò in Abrahamo erat, id fluxisse, statuendum omnino est. Ista verò glossa Fr. super hæc verba: *Ambula coram me, & esto perfectus*, quæ in thesi 29 talis est: *non amplius Saræ speculationibus indulgeas, tibiq; modos præscribas ex ratione tua, sed tantùm promissioni meæ innitere, de producendo Messia, semine illo benedicto, contrituro caput serpentis, & liberaturo te & omnes tuos pios ex morte æterna, in quem statim a lapsu primi parentes sperârunt*, pro narratione ex multis fabulis consuta

habenda

habenda, & exsibilanda potiùs quàm examinanda est. Quanquam nihil eorum, quæ in ea affirmantur, in superioribus disputationibus refutatum non est.

Thes. 30 est. *Quod Abraham facere jussus fuit in pacto inito inter Deum & inter sese, hoc sine dubio etiam facere jussi fuerunt omnes posteri ejus, quasi in infinitum: hoc est, vera fide sperare in venturum semen restauraturum generis humani perditionem.* Huic thesi contrarium opponere, satis est, eam refutare, nempe, Quemadmodum Abraham nunquam jussus fuit, vera fide sperare in venturum semen restauraturum generis humani perditionem: sic etiam omnes ejus posteros jussos id nunquam fuisse; & posteros ejus omnes tantò minùs, quantò incertius est, promissionem Abrahamo factam, deinceps ipsis fuisse repetitam.

Thesi. 31. *Nam Gen. 17. Deus non tantùm cum Abrahamo sed etiam cum omni posteritate ejus fœdus iniit, imò istius Ethnicos quoq; vult fieri participes, quos etiam ad circumcisionem admittit, sicut Abraham dicitur pater credentium præputiatorum & circumcisorum ab eo statim tempore, quo fuit circumcisus, Gen: 17. Rom: 4. 11, 12. & Deut: 18. mandatur, ut audiant illũ Prophetam, quem Dominus mißurus sit, sicut etiam fit Esaiæ 53.* At fœderis, cujus fit mentio Gen: 17. non hoc erat requisitum, ut crederent in Messiam, sed ut circunderentur, & ut hoc etiam aliis faciendum traderent. Ethnicos ab ipso tempore, quo Abram Abrahamus a Deo fuit nominatus, ad fœdus cum Abrahamo initum admissos fuisse, nullo argumento confirmatur. Nam quæ in Gen: leguntur, ea ad populum Israeliticum referri possunt primo respectu, quem voce multarum, vel etiam omnium gentium, vel omnis terræ, ob varias tribus, sæpe indigitari nemo est qui nesciat. Non negamus, ex Ethnicis quosdam interdum ante Christum ad Deum & fœdus illius admissos fuisse: sed id & rarissimè fiebat, & non tam procurante quàm permittente Deo, vel interdum curiositate quorundam, qui laudem inde captabant, quòd unum proselytum fecissent, ut Christus Pharisæis exprobrat. Itaque ex hoc fœdus tam ad Ethnicos quàm ad posteritatem Abrahami pertinuisse, concludere velle, est planè insolens aliquid & divinæ veritati contrarium. Cur enim Deus tunc, cùm fœdus cum Abrahamo percussit, voluit, ut & ipse & tota domus & posteri ejus circumciderentur, nisi ut hac ratione differrent illi, quibuscum fœdus pepigerat, ab aliis, qui signo isto circumcisionis carebant? Verba porrò Gen:, quod ad mentem Dei attinet & sensum mysticum, quem nunc nos intelligimus, quia ab Apostolis revelatum eum habemus, de re tũc

Ethnici ad fœdus cum Abrahamo pactum ab initio illius non pertinebant.

Psal: 19. 5. 45. 17. 100. 1. 105. 7.

Mat: 23. 15.

prorsus futura accipienda, & ad tempora Christi referenda sunt. Hîc enim denuo Deus ita procurare cæpit salutem gentium ut Iudæorum, & his temporibus tam ad gentes quàm ad Iudæos fœdus divinum pertinet, quod antea nunquam factum fuisse ipsa res testatur. Qua de re etiam suprà dictum est in responsione ad disputationem primam & tertiam.

Thes: 32. *Porrò quòd omnes ab Adam usque ad Iohannem Baptistam jussi fuerint sperare in Mediatorem, qui non tantùm sit doctrinam cælestem revelaturus, sed etiam sua morte nos redempturus (hoc enim maximè attendi debet) probationis fundamentum expressum & invictum nobis suppeditat divina ordinatio & institutio de sacrificiis mactandis.* Hîc præter verba vana, nihil est. Quæ, tanta cum præsumtione iterum atque iterum dici posse, est quod miremur. Nihil autem efficitur verbis apud eos, qui veritatem ex sacris literis excerpendam esse didicerunt. Audiamus igitur rationes Frantzii.

Thes: 33. *Sacrificia mox à lapsu divinitus fuisse instituta, & fieri jussa nemo negabit.* Esto, quid hinc efficies?

Thes: 34. *Quòd autem jußa fuerint peragi in repræsentationem Christi morituri pro peccatis totius mundi & satisfacturi justitiæ Christi, satis est æstimare ex illo unico, ubi auctor Epistolæ ad Hebr: recitat summam concionum, quam absque omni dubio antiqui soliti fuerunt habere in solennibus sacrificiorum actibus.* Iterum verba, eáque ita insolentia, ut non sine dolore animi ab eo legi possint, cui Deus oculos mentis aperuit. Sacrificia jussa fuisse peragi, & peragi in repræsentationem Christi morituri pro peccatis totius mundi, & satisfacturi justitiæ Dei (Christi habet Frantzius,) colligine potest ex aliquo sacrarum literarum testimonio? Ausus est hoc affirmare Frantzius. Audiamus iterum, quo modo id probet.

Thes: 35. *Habebantur enim sacrificia ab antiquis donaria quidem & sacrificia pro peccatis, pro peccatis (inquam) tum populi tum sacerdotis ipsius Hebr: 5. 1. 3. At hæc dona & sacrificia oblata non poterant in conscientia sanctificare cultorem Heb: 9. 9. Tantummodo igitur exemplari & umbræ rerum cælestium deserviebant sacerdotes Levitici Hebr: 8. 5. & mandatum (Ceremoniale) tandem abrogabatur, quod nullis viribus præditum, & quod inutile esset Hebr: 7. 18.* Thes: 3. 6. *Lex ergo (Ceremonialis) nihil sanctificavit sed adscita spes melior Heb: 7. 19. hoc est, Christus, qui per proprium sanguinem ingreßus est semel in sacrarium æternam redemtionem nactus Hebr: 9. 12. alioquin oportuisset eum sæpe passum fuisse à condito mundo Hebr: 9. 26. sicut à condito mundo fuit promissus, & idcirco spes melior appellatur Heb: 7. 19.* Thes: 37. *Ecce hoc*

pacto veteres inter sacrificiorum solennia populum erudierunt de morte & merito Christi, sicut ex Epistola ad Hebræos retulimus & confirmavimus. Quid quæso his omnibus dici potuit ineptius a Frantzio? quid intolerabilius? Probandum illi erat, sacrificia ab initio mundi peragi jussa fuisse in repræsentationem Christi morituri pro peccatis totius mundi, & satisfacturi justitiæ Dei: ille verò narrat nobis ex Epistola ad Hebr:, quænam sacrificiorum legalium imperfectio fuerit, & quomodo sacrificium Christi præstet legalibus. Hoccinè est ad rem respondere? Quid commune habent sacrificia legalia cum sacrificiis quæ a mundi initio fiebant usque ad legem? Quomodo in illis hæc includentur? Non inclusis autem, quomodo judicium de illis idem fieri potest, quod de his? Deinde quæ hæc est collectio? Autor epistolæ ad Hebr: disserit de fine sacrificiorum legalium, & imperfectionem eorundem respectu sacrificii Christi ostendit. Ergo veteres in antiquo fœdere hoc pacto populum inter sacrificiorum solennia erudierunt de morte & merito Christi? Ergo, quod autor Epist: ad Hebræos intellexit de sacrificiis, omnes isti sub V. fœdere intellexerunt, qui sacrificia peragebant? Quid hoc est aliud, quàm ex rudibus istis legis auditoribus, Apostolos vel Apostolorum similes facere? Typi tunc agebantur: nunc per Apostolos & eorum socios ipsa res revelata est. Nunc facilè est divinare, quid de illis sacrificiis & Christi sacrificio sentiendum sit: At tunc ipsissimæ erant tenebræ & obscuritas, & pauci fortasse fuerunt, qui, quid se fieret in istis sacrificiis peragendis, satis rectè intelligerent. Pudeat igitur Frantzium huius modi nugarum, & desinat affirmare, ab initio mundi usque ad Iohan: Baptistam omnes sperare jussos fuisse in mediatorem, qui morte sua esset satisfacturus pro peccatis hominum.

Non omnes sub V. F. intellexerunt de sacrificiis, quæ nos hodie intelligimus sub N. F.

Thes: 38. *Quod in N. T. præter bonorum operum studium inprimis fiducia in meritum & sacrificium Christi nobis inculcetur, non opus est prolixè & operosè docere, quia vel cuivis sese primo intuitu aphorismi aurei ingerunt. Ioh: 1. v: 29. Ioh: 3. 14. 15. 16.* Fiduciam requiri in N. T. in Christum affirmamus & contendimus: Hanc autem nihil aliud esse itidem affirmamus & contendimus, quàm fiduciam in Christo collocatam, hoc est, obedientiam Christo præstandam sub spe promissorum illius: vel saltem fiduciam absque obedientia nullam esse contendimus. Inculcari autem in N. T. fiduciam in meritum & sacrificium Christi, phrasis est exotica, & sacræ scripturæ prorsus ignota. Legimus, quæ allegat Frantzius: *Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccata mundi:* Sed non legimus, inculcari nobis fiduciam in meritum & sacrificium Christi; & quomodo hoc ex illo deduci possit, nemo unquam

V. Slegm. p. 665.

quam docebit: Legimus, *sicut Moses exaltavit serpentem* &c. *Sic enim Deus dilexit mundum* &c. *Non enim misit Deus filium* &c. *Qui credit in eum non condemnabitur:* Sed non legimus, inculcari nobis fiduciam in meritum & sacrificium Christi. Nam credere in Christum, aliud nihil est, quàm illi confidere, hoc est, ipsi sub spe promissorum ab eo nobis factorum obedire. Dolemus ex animo, homines ita seductos & excæcatos esse, ut ferè, quid dicant, ipsimet non intelligere videantur, & alios etiam hisce suis fædissimis opinionibus, & ineptissimis simul ac absurdissimis earū probationibus, irretitos tenere conentur.

Thes: 39. *Apostolus Rom: 3. quam quæso aliam justificationem docet, quàm illam ex fide in Christum, quem Pater constituit placamen in sanguine suo.* Fatemur nullam aliam justificationem Paulū docere, quàm illam ex fide in Christū, vel potius ex fide Christi, ut Paulus loquitur, quem Pater cōstituit propitiationem per fidem in sanguine illius (Fr: habet suo) sed quid sit ista fides, & an vel meritum & satisfactionem Christi contineat, vel absque obedientia præceptis divinis præstanda existere & consistere possit, hoc hoc erat investigandum & demonstrandum. Fides (ut antea etiam docuimus) differt ab obedientia ratione tantùm, quatenus mens nostra concipere potest aliud esse, Deo promittenti aliquem confidere, & aliud, ejusdem voluntatem facere: sed reipsa distingui ista non possunt. Quia enim Deus nemini quicquam promittit simpliciter, sed cum hac conditione, si ei obtemperemus, fieri non potest, ut is Deo confidere dici possit, qui ei obedire, eo ipso momento, quo ei confidere incipit, non proponat sibi, & deinde, data Deo obediendi occasione, non obediat. Quemadmodum medico is tantùm confidere dici potest, qui præscriptis ab eo curandæ valetudinis consiliis paret. Hæc quia Frantzius: non intelligit, semper errabit, & imprudenter Fidem, tanquam aliquid longè diversum, obedientiæ opponet.

Quæ sit fidei natura.

Thesis 40. *Et ex his, quæ breviter delibavimus, satis apparebit, falsum esse, quod Photiniani clamant, in toto veteri & novo Testamento Deum nihil aliud ab hominibus postulare, quàm ut obedientiam præstent homines legi morali.* Imò firmum stat, quod nos affirmamus, Deum nihil aliud ab hominibus, ad justificationem illorum, postulare, quàm fidem, cujus complementum & forma est obedientia divinis præceptis præstanda.

Sectione tertia Frantzius probare conatur, vitam æternam ante Christum revelatam & promissam fuisse. Quod quia nos falsissimum esse constanter affirmamus, audiamus illius argumenta.

Thesibus 41. 42. 43. 44. 45. 46. sententiam nostram de compensationi-

fationibus diversis, pro diversa fœderum ratione, exponit. In quo non ita se gerit, ut decet. Primùm enim nemo nostrum ita loquitur, *ideo demum post Christum vitam æternam innotescere & promitti debuisse, ut constaret, Christum præ omnibus aliis sortitum esse officium melius & factum mediatorem fœderis præstantioris:* sed ex eo, quòd Christus est mediator fœderis melioris, colligimus, vitam æternam ante Christum nemini promissam fuisse. Alioquin enim non esset melius novum fœdus veteri, si idem, quod in novo promissum est, in veteri promissum fuisset. Deinde nec hoc dicimus ita præcisè: *Differentiam V. & N. T. in diversis promissionibus & in legibus moralibus diversimodè perfectis*, (quanquam nec sic loquimur) *tantummodo consistere.* Plura enim esse, quibus Testamenta invicem differunt, non nescimus: sed hæc potissima esse affirmare solemus. Denique pro cavillatione id habemus, quod ait; *Ergo sancti patres ab initio mundi usque ad Christum pro obedientia, Deo præstita, recompensationes acceperunt eas, quæ consistebant in bonitate, multitudine, dominatione & voluptate corporalium bonorum, vitæ æternæ revelationem & promissionem ne unam semel à Deo consecuti sunt.* Nam non de eo, quid acceperint patres ante Christum, sermo est, sed de eo, quid illis promissum sit; maximè verò in fœdere. Potuit autem Deus id alicui non dare, quod in lege promiserat, & interim eum singulari modo consolari spe alicujus alterius boni, quod nemini promiserat. Itaq; sententiam nostram breviter hîc asscribemus. Vitam æternam negamus, unquam alicui promissam fuisse, nec in ipsa etiam lege Mosis, apertè & manifestè: Non negamus autem, omnes pios, qui ante Christum vixerunt, vitam æternam consecuturos. Potest enim Deus plus dare quàm promisit: Nec negamus, potuisse homines sperare vitam æternam, etiamsi eis promissa non fuerit. Extabant enim quædam, quæ spem illius excitare poterant. In novo demum fœdere, vitam æternam apertè revelatam & promissam omnibus in Christum credentibus fuisse, contendimus. Nunc ad theses Frantzii revertamur.

De revelatione vitæ æternæ.

Thesis 48. est: *Primò enim servantibus legem primævam de arbore vetita in eo fuisse revelatam & promissam vitam æternam, Genes: 2. quia eandem violantibus vitæ æternæ contrarium denunciabatur, scilicet mors æterna, utique nemo negabit, nisi qui ex lege de non dicendo falso testimonio, concludere non vult, vel non potest, vera testimonia dicenda esse de proximo.* Primùm dico Frantzium causam suam prodere, dum ejusmodi deductionibus uti eum necessitas cogit. Nam si alicubi revelata est & promissa vita æterna ante Christum natum, cur locus non affertur, ubi vel verba talia vel eis similia habentur, qualia fere insi-

Quod deducitur, nō exeat expressè.

re infinitis in locis N. T. reperiuntur? Deinde collectionem Frantzii dico esse fallacissimam. Potest enim Deus minari alicui mortem æternam, si sibi non obediat aliqua in re: at non sequitur inde, Deum daturum vitam æternam, si sibi obediat. Omnes leges minantur facinorosis supplicia & mortem: At eædem nemini, qui non sit facinorosus, promittunt aliquod insigne bonum. Satis enim est, eum non puniri, qui malè non facit. Hodie etiam Deus omnibus adulteris, homicidis minatur æternam damnationem: nec tamen quisquam inde concludere potest, ergo non adulteris, non homicidis dabitur æterna vita. Sunt enim multi, qui nec adulteri sunt nec homicidæ, qui æternam vitam nunquam consequentur. Ad hanc enim consequendam, tota pietatis Christianæ perfectione opus est. Instantia porrò Frantzii ad rem nihil facit. Non enim in quæstione est, an prohibendo vitium, virtus ei contraria tacitè etiam præcipiatur: sed an posita pro peccato pœna, pro abstinentia ab illo peccato, statim etiam præmium ponatur, idque tam sublime, quale esset vita æterna: imò sic in Frantzium retorqueri hæc instantia potest: quemadmodum is, qui falsum testimonium dixisset, jure puniebatur; nemini verò qui verum testimonium de proximo perhiberet, quicquam præmii dabatur: sic etiam Adamus, si de arbore vetita comederet, jure puniri potuit; si verò non comederet, præmii pro eo nihil sperare potuit.

Pœna peccato destinari potest, absq; promisso præmii pro virtute.

Thesis 49. *Deinde annon tunc iterum de novo revelata fuit primis parentibus vita æterna, quando à lapsu promittitur eis semen mulieris, quod debeat & velit conterere caput serpentis, cujus capitis serpentis pars præcipua fuit mors æterna. ubi enim promittitur mortis æternæ destructio; ibi vitæ æternæ beneficium sperare jubetur.* Hîc iterum hoc dico, quod etiam antea dixeram. Nulla est revelatio, nulla promissio aperta. nam conjecturis, iisque obscurissimis, utitur Frantzius. Deinde addo, nec promissum esse Genesis 3. ullum, sed simplicem denuntiationem rei futuræ; nec, promissio licet sit, quicquam in ea contineri, ex quo vel per speciem mortis æternæ abolitio colligi possit. Satis enim contritum est serpentis caput, si homini data est potestas superandi serpentem, quem odio habiturus erat, quomodocunque tandem id accipiatur. Ergo nihil dixit Frantzius.

Thesis 50. *Atque ex his principiis derivatæ sunt consolationes multiplices in toto V. T. de Messia apud Esa: 29. 26. quòd perdet mortem in sempiternum: item illa de eodem Os: 13. Ero ô mors, mors tua, &c. & aliæ innumeræ, quas huc accersere supersedemus.* Egregia sanè principia, & certæ ex iis derivatæ consolationes, scilicet. Si hæc sententia Frantzii hisce principiis nititur, quis hinc non perspicit, quàm sit futilis

ista doctrina? Esto consolationes multas esse de Messia in V.T., ecqui persuadebit Frantzius, eas ex his principiis pendere? consolationes, si quæ sunt in V. T. illas ex promissione facta suo tempore Abrahamo (ut testantur sacræ litteræ) pendere, necesse omnino est.

Thesis 51. *Huc respexit Christus, quando Ioh: 5.39, 40. remittit Iudæos (certè hostiles & suo verbo suisvé patefactionib⁹ & promissionibus de vita æterna non credentes) ad scripturas V.T. his verbis: scrutamini scripturam, quia vos putatis æternam vitam in illis habere, & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me, & non vultis venire ad me, ut vitam habeatis.* Vel hinc etiam videre est, quanta sit hujus sententiæ, quam Frantzius defendendam suscepit, vanitas; & quanta sit Frantzii in ea defendenda negligentia, vel potiùs quale judicium Dei pudefacientis Frantzium. Locum enim affert, ex quo tantùm non contrarium ejus, quod asserit, probari potest. Nec enim Christus dicit in sacris literis V.T. esse vitam æternam, sed ait, Iudæos putare, se habere in iis vitam æternam. Potest autem quis putare se aliquid habere, & tamen revera illud non habere.

Thes: 52. *Quomodo igitur ipsos potuißet pro æterna vita accipienda remittere ad testimonia scripturarum, si scripturæ illæ nihil habuissent de vita æterna in Christo promißa, & per Christum expectanda? Expreßè enim dicit, scripturas testificari de se, quòd credentibus & venientibus ad Christum sit parata vita æterna.* At falsum est, Christum eos remisisse ad scripturas pro æterna vita consequenda. Falsum etiam est, Christum dicere, scripturas testificari de se, quòd credentibus & venientibus ad Christum sit parata vita æterna. Remittit (ut ita cum Frantzio loquamur de hoc loco, ex communi sensu. Nam alioquin vox græca ita converti potest, ut Christus non jubeat quicquam, sed affirmet, Iudæos scrutari scripturas, quæ de se testetur, nec tamen velle in se credere) remittit, inquam, Iudæos Christus ad sacras literas, ut indedíscerent, fidem Christo esse habendam. Hoc enim solum in sacris literis continebatur, & hoc illæ testabantur de Christo. Quæ verò esset merces proposita fidei in Christum, id propriè & manifestè in Evangelio revelatum est. Vitam æternam ex conjecturis quibusdam, in sacris literis descriptis, apparet sibi somniasse & spem ejus concepisse Iudæos: sed Christus asserit, spem istam vanam esse. Nam quæ spes non nititur promissionibus divinis, ea non potest esse absolutè certa.

Spes vitæ æternæ certa unde pendeat.

Thesi 53. ait: *Huc quoque spectat evidentissimus locus Actor: 24. 14. ubi Apostolus Paulus coram Felice præside Romano protestatur, quòd ita colat Deum patrium, credens omnibus, quæ in lege & prophetis scripta sunt, & spem habens in Deum, fore, quam & ii ipsi expectant, resurrectionem*

rectionem justorum simul & injustorum. Ecce Iudæi (non facti Christiani) sed manentes hostes Pauli expectant resurrectionem justorum & injustorum æquè, sicut ipse eam expectabat, nimirum promißam in veteribus scriptis legis & prophetarum, quibus sese credere dicit expreßè, &c. Sed falsò ex hoc loco infert Frantzius, *æquè* Iudæos sperasse vel sperare potuisse resurrectionem, sicut Paulus eam expectabat. Nam Paulus de se dicit, se in Deo spem habere fore resurrectionem justorum & injustorum: De Iudæis verò tantùm dicit, eos expectare eandem resurrectionem vel spem. Quis verò non videt, quantum differant inter se, spem habere in Deo, futurum aliquid, & simpliciter tantùm illud expectare. Hoc quivis extra ullum promissum facere potest, quia scilicet valde id cupiat: illud non nisi promisso divino nititur. Vnde etiam hac phrasi, in Deo spem habere, alibi describitur fides hominum Christianorum. Frantzio autem probandum erat, revelatam & promissam fuisse ante Christum vitam æternam. Itaque turpem committit fallaciam consequentis, dum ex expectatione revelationem & promissionem concludere nititur. Cui promissa est æterna vita, is eam expectare jure potest: At non, qui eam expectat, ei illa proposita est.

Differentia spei Christianorum & aliorum.
v. Hort... [illegible]

1. Pet: 1. 21.
1. Ioh: 3. 3.

Thes: 54. *Quod verò regerunt adversarii nostri, Israelitas sperasse quidem vitam æternam, licet nunquam ipsis fuisset promissa, illud refutatione dignum non est, nec profundioris Theologiæ, qualem isti reformatores totius Ecclesiæ jactitant, quicquam redolet.* Cur verò id non est dignum refutatione, si constet, extra promissum spem alicujus rei esse posse? Non necesse est etiam, omnia redolere profundam Theologiam, quæ in controversiam veniunt: sed satis est, si veram redoleant Theologiam. Porrò non sentit Frantzius, non nostram esse hanc Theologiam, sed suam, qui affirmat, vitam æternam revelatam esse & promissam ante Christum, quod quia ex eo probari posse contendunt, quia spem illius habuerint ii, qui ante Christum vixe- ,, nos illud repellimus hac ratione: Quòd spes alicuius boni detur, quod promissum non est, & ideo Theologiam valdè non profundam esse eorum, qui ita argumentantur, docemus. Sed satis profunda est Theologia pro Frantzio, si non habeat, quo probet id, quod affirmat. Sed probat:

Thesi 55. *Quomodo sperassent nisi credidissent? Quomodo credidissent, de quo non audivissent? Quomodo audiissent, nisi prædicatum ipsis fuisset? Quomodo verò prædicaßent ipsis aliqui, nisi ad hoc ipsum prædicandum à Deo missi, & hoc ipsum affirmatè prædicare jussi, ut Rom: 10: in simili negotio argumentatur Apostolus gentium. Siccinè addere &*

adimere

adimere verbo Dei expresso decuisset? siccine sperare licuisset, quod nunquam patefactum, nunquam etiam promissum ipsis fuisset? ô Vanitatum summarum summa vanitas? Rectè quidem Paulus suum nectit soritem: At non ita Frantzius. Nam in primo statim membro impegit valdè turpiter: *Quomodo sperassent, nisi credidissent.* Falsum enim est, cum etiam credere, qui aliquid sperat, si credere, ut potest, accipiatur pro firma persuasione & fiducia, quam quis de aliqua re concepit; & manifesta iterum inest consequentis fallacia. Potest enim homo sperare aliquid, etiamsi nullam de eo habeat certitudinem, quia scilicet illud, quod sperat, sit valdè desiderabile, & præterea possibile ut dari possit, nec quicquam obstare videatur, quominus id evenire ei possit. Si verò Frantzius vocabulum spei accipiat pro perfecta quadam spe, sumit id, quod est in controversia. Duplex enim datur expectatio vel spes alicujus rei, ut ex loco Act: 24. vidimus. Altera infirmior, quæ est nuda expectatio & vana persuasio, quæ conjecturis, tantùm nititur, qualis erat pharisæorum de resurrectione: altera firmior, quæ in Deo, hoc est, promissis divinis nititur. Hęc ubi est, ibi etiam fidem esse necesse est: at talem fuisse in iis, qui ante Christum vixerunt, nunc probandum est. Puerilis autem & ineptus est Theologus Frantzius, dum hoc nominat addere & adimere verbo Dei expresso, si quis speret, quod nunquam patefactum aut promissum fuit. Nam quid commune habet, sperare aliquid, quod non sit revelatum aut promissum, cum ademtione? Is enim adimit, qui minus tribuit verbo Dei, quàm in eo continetur. Si dixisset, addere non licuisse tolerabilius esset. Sed nec addere verbo Dei expresso aliquid is jure dici potest, qui conjecturis fultus, quas ex ipsis sacris literis excerpit, aliquid sibi persuadet, quod apertè non testantur sacræ literæ, dummodo id non contrarium sit sacris literis, & dummodo non dicat id, quod ipse sperat, testari sacras literas, si quidem id non testantur. Et etiamsi tandem aliquis sibi persuasum haberet, id quod in sacris literis non extat, esset id quidem inter errores censendum, sed non esset tamen peccatum illud, quod Deus perstrinxit, dum noluit addi aliquid verbo suo. Is enim verè aliquid addit verbo Dei expresso, qui doctrinas tradit contrarias aut dissentaneas verbo Dei: quemadmodum vicissim is adimit aliquid verbo Dei, qui ea, quæ in eo sunt expressè scripta & præcepta, dissimulat vel opprimit. Exclamatio igitur illa Frantzii, ô vanitatum summarum summa vanitas, quid redoleat, judicet lector cordatus.

Quatenus spes datur sine fide.

Duplex spes vitæ æternæ

Quid sit adimere & addere verbo Dei.

Thes: 56. *Sed ne promissiones de vita æterna veteres κατὰ τὸ ῥητὸν defuisse nobis videantur, ecce Ezech: 18. illi, qui fecerit judicium & justiciam*

tiam, qui super montes non comederit &c. vita promittitur per prophetam Ezechielem, tunc inter captivos in exilio Babylonico degentem, sicut ibidem contraria iis, quæ jam recensui, facientibus mors denunciatur. Primùm falsum est κατὰ τὸ ῥητὸν promitti *vitam æternam* per Ezechielem. nam vita tantùm promittitur: Ad τὸ ῥητὸν autem non voce vitæ, sed vocibus vitæ æternæ opus erat. Deinde si τὸ ῥητὸν ostendi posset, quid opus erat docere, quod facit Fr: thesi sequenti, vocem vitæ de vita æterna intelligendam esse? Vbi enim collectione quis utitur, ibi, τὸ ῥητὸν non esse, præsupponitur: ubi τὸ ῥητὸν est, ibi nulla collectione opus est. Itaque quàm bene sibi constet Frantzius, & quàm diligenter tractet controversias, iterum videat benignus lector. Sed tamen audiamus argumentum.

Thes: 57. *Quod autem illa vita de æterna, & illa mors de æterna sit intelligenda, ex eo satis constat, quia talis vita tantùm pio, & talis mors tantùm impio continget, cùm temporalis vita & temporalis prosperitas, ut & corporalis calamitas & corporalis mors alioquin pio & impio sit communis.* Falsum est, quod ait Frantzius, vitam temporalem prosperam & longævam fuisse communem pio & impio sub V. F., de quo sunt verba Ezech: accipienda. Apertissimè enim legimus, Deum multa mala & vitæ ipsius abbreviationem minatum esse impiis: & experientia ipsa testata est, Deum ultum esse iniquitatem illorum, quicunque legem illius non servarent. Et si tamen aliquid fortasse afferri possit, unde constet, Deum non semper pœnas irrogasse eis, qui legem ipsius violabant, id pro singulari facto habendum, & causam Deum habuisse credendum est, cur aliter faceret, quàm minatus erat, vel illam generalem nobis cognitam, quòd semper tardus ad iram fuerit, vel alias speciales nobis incognitas. Quis enim judicia Dei investiget? Sub novo verò fœdere non est mirum, homines impios etiam interdum vitâ frui prosperâ & diuturnâ. Nunc enim tempus gratiæ est, quo satis Deus habet, homines æternâ vitâ privatum iri, qui ipsi non obtemperent. Quanquam nec hîc cessat divina ultio. Solet enim Deus sæpenumero horrenda supplicia immittere contemtoribus Evangelii, & tarditatem pœnæ supplicii gravitate compensare. Itaque certum esto, sub V. Fœdere vitam prosperam & longævam propositam fuisse pro præmio obedientiæ. Quam si quando Deus negavit alicui eorum, qui ipsi obedientes esse videbantur, id, ut rarò factum esse dicendum est, pro singulari etiam facto Dei habendum est, nec quicquam ob id dubitari potest de promissis Dei generatim omnibus factis. Potuit enim Deus alia ratione compensare iis ipsorum obedientiam, quibus interdum adversa immisit, nempe singulari revelatione

Vita prospera & longæva fuit promissio V. F.

velatione mercedis futuræ, & interim tamen fidem eorum probando, omnibus exempla veræ pietatis & patientiæ eosdem exhibere. Quod ad mortem attinet, similiter falsum est, mortem eam, quam Deus minatur apud Ezech: esse mortem æternam necessariò & absolutè. Non enim opus erat ei mortem æternam minari, qui jam non poterat non mori, & morti æternæ subjectus erat necessariò, & vitæ æternæ nullã habebat expressam promissionem. Sed per mortem illam intelligitur propriè mors truculenta, quam lex minabatur. Quod ad mortem æternam attinet, semper licuit Deo de ea statuere, quicquid vellet, antequam scilicet vita æterna revelaretur. Credibile est, Deum omnibus illis, qui ipsi tunc obediebant, daturum vitam æternam, quæ est illa prospera & longæva vita ex mente Evangelii. Vt ex quibusdam locis sacrarum literarum N. Fæderis colligere, duce Christo & Apostolis, possumus; verisimile itidem est, omnes eos mortem æternam experturos, qui tunc Deo fuerant inobedientes: Interim tamen fieri potest, ut Deus etiam quorundam misereatur, qui sub lege quandoque peccabant, & ita morte plectebantur vi legis, si antea plærumq; Deo obedierunt, & post peccatum etiam admissum sese ad Deum ex animo, quantum ejus fieri potuit, converterunt. Noluit Deus eos inultos esse, qui tunc peccabant, ut ipsius absolutum Dominium esset omnibus notum: potest autem eorundem misereri, ut idem ejus dominium absolutum conjunctum cum summa misericordia tantò appareat evidentiùs. Quemadmodum etiam hodie fieri potest, ut Deus aliquem puniat pæna temporali, & tamen eundem in æternum servet. ut ex loco 1. Cor. 11. colligi evidenter potest. Sed quis tandem explicet vias & judicia Domini? Nulla enim portio sacrarum literarũ difficilior eâ est, quæ judiciis divinis explicandis consumitur.

Mors sub V. F. significat mortem violentam.

Mors violenta non semper adimit vitam æternam.

Thesis 58. *Non licet absurditates Epicureæ istius φαντασίας, quasi veteribus vita æterna nunquam revelata, nunquam promißa fuißet, brevitatis amore enarrare, & multitudine innumeras & in Deum scripturamque horrendè blasphemas.* Me verò pudet Frantzii, qui hanc homine Christiano dignissimam, & ad veram ipsius Christi laudem maximè pertinentem, sententiam, Epicureæ φαντασίας scommate notare non dubitaverit. Epicureumne est, asserere N. T. præstantiam, quam illi, qui hactenus rerum potiuntur in orbe Christiano, per ignaviam & imprudentiam perdiderant? Epicureumne est, veram Christi laudem asserere, &, quam Deus prærogativam dedit populo Christi, præ aliis, ostendere? Quid verò est, quòd Iudæi acutiores, (quos, si ita esset, ut vult Frantzius, causæ suæ non defuturos plusquam verisimile est,)

est,) hodie non negent, vitam æternam nunquam esse revelatam aut promissam in ipsorum fædere? Et Christiani volunt nescio quomodo illud extorquere?

Thesis 59. *Nimirum Photinianos hoc quoque figmentum excogitare oportebat, ut, post meritum Christi penitus ab ipsis exterminatum, hanc tamen maximam Christo prærogativam reliquiße viderentur, quòd nimirum primus ipse & solus vitam æternam post suam nativitatem patefecißet & primus credituris promisißet.* Nihil hîc excogitavimus, sed figmentum ab aliis excogitatum detegimus. Quod dum facimus, quantopere indignantur homines absque ulla causa! Grave scilicet illis est, errores eorum patefieri, & ad normam sacrarum literarum eorum dogmata, quæ jam pacata esse credebant, revocari. Falsum est autem, nos hanc maximam Christo prærogativam relinquere, quòd primus & solus vitam æternam revelârit & promiserit. Vna hæc est Christi prærogativarum: sed non maxima. Maxima est, quòd Christus potentiâ sibi datâ æternùm servare potest *omnes* qui per illum ad Deum accedunt, quemadmodum Deus ipsum unum servavit. Quam ut agnoscant omnes, ex animo optamus: Lectorem verò pium monemus, ut consideret, quàm incerta sit eorum omnium opinio, qui credunt, vitam æternam ante traditum Evangelium vel manifestè revelatam, vel alicui expressè promissam esse. Procul enim dubio optima & firmissima ad hanc rem comprobandam attulit argumenta Frantzius, & nemo firmiora his afferre unquam potest. Quæ si nihil ad rem faciunt, quomoda alia infirmiora & obscuriora ad rē facerent? Quæ maxima sit Christi prærogativa.

Sectione quarta, impugnat sententiam nostram de aucta & perfecta lege morali per Christum.

Thesis 60. *Accedimus jam tandem ad perstringendum ultimum arietem, quo iterum meritum Christi concutere, destruere, evertere nituntur & minantur & nituntur Photiniani.* (ita habent verba Frantzii.) An hoc ariete Christi meritum evertatur, nos quidem non curamus, nec dicimus: Si tamen hoc etiam modo everti possit, jam certè actum est de illo. Nihil enim certius est, quàm præcepta legis moralia per Christum aucta esse & perfectiora reddita.

Thesi 61. mentem & sententiam illam nostram explicat.

Thesi 62. ait: *Quâ igitur operâ perfectioribus bonis operibus hominum N. T. omnem salutem æternam aßignant, eâdem merito Christi eandem omnem neceßariò detrahunt.* Salutem æternam non tribuimus bonis operibus simpliciter. Gratiæ enim etiam Dei eam tribuimus, idque principaliter: sed tantùm dicimus, sine operibus, iisque talibus qualia Christus præcepit, neminem salutem æternam consequi pos-

se. Nam hæc verba sunt sacrarum literarum: *Sectamini pacem & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Dominum.* Hac autem opera nostra, Christi meritum necessariò tolli, libenter ex Frantzio iterũ audimus.

Thesi 63. ubi hoc a nobis affirmetur, & quòd ab uno latiùs, ab altero strictiùs id dicatur, ostendit.

Thesi 64. suam sententiam nostræ opponit, quæ est: *Christum legibus moralibus V.T. nihil novi nec ullum majoris perfectionis momentum adjecisse, sed solummodo explicationem vetustissimam veteris legis moralis in lucem reportasse, & à Pharisaicis corruptelis, quæ irrepserant, magno zelo repurgasse.* Quam sententiam Frantzii erroneam esse, multis modis demonstrari posset, si ipse argumentũ aliquod ad eã stabiliendam attulisset. Hoc unum nunc dico: Si Christus explicationem veterem vel suam opponere voluisset explicationi vel corruptelis Pharisæorum, semel saltem explicationem aliquam vel corruptelam Pharisæorum nominasset. At ne semel quidem explicationem Pharisæorum nominavit, sed semper vel verba legis iteravit, vel saltem sensum legis disertè posuit. Ergo nec illis explicationibus aut corruptelis suam sententiam vel explicationem opposuit.

V. Slegm. p. 211.

Cur Christus legem explicasse dici nequeat.

Quinta sectio est. An Christus aliquid adjecerit 1. præcepto nostro de non habendis diis alienis. Hoc præceptum *suum* in titulo appellat Frantzius, nescio qua de causa. Si fortassis ideo, quòd primum & secundum Decalogi præceptum pro uno habeant Lutherani pudere debebat hujus ignorantiæ Frantzium, qui malit decimum præceptum absque omni causa in duo partiri, quàm agnoscere duo præcepta de cultu divino tradita. Sed de hoc paulò pòst plura.

Thesis 67. est: *Primo præcepto de non habendis Diis alienis, duo per Christum fuisse adjecta; Catechismus sæpius nominatus, indigitat, nimirum 1. Certam formam precandi Deum, tum pro gloriæ suæ incremento operando, tum pro auxilio hominibus indigentibus præstando. 2. admonitionem de invocando etiam Iesu Christo ipso in precibus.* Non opus erat hîc addere contenta precationis Dominicæ. Non hoc enim pro additamento affertur, sed quòd jussi simus a Christo certâ formulâ precandi Deum orare, quod nusquam in V. T. præscriptum extare, persuasum habemus. Deinde alterum additamentum vitiosè & imperfectè asscribitur a Frantzio. Sic enim habet Catechismus, quem se imitari ait: *Id* (addidit præterea Christus) *quòd etiam Dominũ Iesum pro Deo agnoscere tenemur, id est, pro eo, qui in nos potestatem habet divinam, & cui nos divinum exhibere honorem obstricti sumus.* Quæ quantum differant ab iis, quæ Frantzius asscripsit, judicent omnes.

Thesi 69. sic oppugnat sententiam nostram Frantzius: *An non*

ante

ante natum Christum extiterunt in Ecclesia certæ formulæ precandi Deum, præscriptæ ab ipso Spiritu S.? Nec tantùm in divinissimo laudum seu Psalmorum libro (cujus libri secundùm Hilarium in præfat: Psalmorũ, non unum & quidem Davidem, sed alios plures fuisse auctores, quorum aliqui partim longè ante Davidem vixerint, & suos hymnos ex antiquissimorum patriarcharum scholis acceperint, & ἀτίτλυς καὶ ἀνεπιγράφυς iccirco reliquerint, aliqui verò post Davidem vitam habuerint, si negare fuerint ausi adversarii, prolixiùs doceri potest) Sed & in aliis Scripturis canonicis eæ reperiuntur, nimirum Exod: 15. Deut: 32. 1 Sam: 2. & quæ non ampliùs extant, 1. Reg: 4. 32. Esa: 38. Ionæ 2. Abac: 3. Primùm omnium notandum est, thesin a Frantzio perpetuò immutari. Nos enim affirmamus, præcepta *legis* esse aucta & perfecta a Christo, hoc est, plùs esse a Christo præceptum in Evangelio, quàm olim lex per Mosen tradita præciperet. Itaque nisi Frantzius ex ipsa lege Mosis probet, tantum ibi, quantum hîc præceptum esse, nihil agit. Prophetæ enim diversum quiddam sunt certo modo a lege, ut pote qui non ita ad omnes Iudæos pertinebant aut pertinere poterant ut lex, quæ omnibus in universum erat tradita: imò erant & sunt etiamnùm multi ex Iudæis, qui prophetas non recipiebant aut recipiunt, & tamen libros Mosis amplectebantur & amplectuntur. Deinde gravissimè nos cavillatur Frantzius, dum ita nos traducit, quasi negemus, quòd extent formulæ certæ precum, quibus olim usi sint viri sancti. Nos enim in Catechesi tantùm negamus, extitisse antea ullam certam formulam precum, quâ omnes sub lege usi fuerint, & necessariò uti debuerint, qualis est ea, quam Dominus Iesus nobis præscripsit. Nunc verò, ut apertiùs dicamus, quod res est, affirmamus, non tantùm nullam precandi formulam præscriptam, sed nec precationem ipsam olim præceptam fuisse in lege. Preces ad Deum concepisse interdum viros quosdam sanctos, certum est: sed præceptum illud omnibus perpetuò alicubi fuisse, docere nemo potest, cujus rei causæ alibi a nobis explicatæ sunt. Frustra igitur est, quòd Frantzius de autoribus Psalmorum diversis, qui tempore Davide & priores & posteriores fuerint, disserit. Frustra item, quòd formulam precum, quæ in quibusdam locis librorum Mosis leguntur, meminit, nisi etiam doceat, istos modos precandi præscriptos, vel ipsas etiam preces ita eis præceptas fuisse, ut nobis nunc est modus præscriptus, & ipsæ preces necessariò sunt præceptæ. Quanquam & hîc non leviter errat Frantzius, qui non distinguat inter Psalmos, & inter preces vel invocationem. Nam Psalmi, ut ipsum vocis ἔτυμον docet, plærique Dei tantùm

Quomodo lex & prophetæ differant.

In legenullum de precatione præceptum est.

In libello de Divinitare Christi, fol: 17.

Preces a Psalmis differunt.

beneficia commemorant, & gratias illi pro eis decantant. Verba item, Exodi 15. descripta, gratiarum actio tantùm sunt, eaque semel tantùm prolata, nec cuiquam præcepta: oratio verò nullo modo appellari possunt. Verba etiam Mosis Deut:32.1.nihil cum precibus commune habent. (quod idem etiam de verbis Annæ 1. Sam:1.sentiendum est): sed celebratio tantùm sunt divini nominis, quæ etiam extra preces fieri potest. Locus 1.Reg:4. de parabolis & de carminibus tantùm loquitur Salomonis,nec,qualia illa fuerint,exprimit. Hoc verò quid ad preces sacras pertinet & orationem? Verba denique Ezechiæ, Ionæ, & Abacuc, quæ preces horum trium continent, quomodo vel formulam vel necessitatem orandi inferre possunt,quod nunc in quæstione est? Puerile & anile hoc esse dicebat Frantzius thesi 68., quod de hac auctione primi præcepti nos docemus :, an vero, quod ipse opponit, sit aliquid virile, videat, quicunque est veritatis studiosus. Ego sanè video,Frantzium in hac re antea non versatum, parum intellexisse etiam, quid potissimùm ageretur, nedum ut sufficienter responderit.

Thesis 70. *Solitos autem fuiße antiquorum Psalmos retineri à posteritate, luce meridiana clarius efficitur ex Psalmo Mosaico, Exod: 15. Ex hoc enim post annos plus septingentos particula repetitur apud Esa:12.&c.* Non hoc quæritur Frantzi, an virorum sanctorum carmina & gratiarum actiones, post annos nescio quot,vel in toto vel ex parte repeti potuerint: sed an ista carmina sint orationes, & an cuiquam illud in V. T. præceptum fuerit, ut Deum certo modo oraret vel etiam simpliciter,an præceptum fuerit,ut homines Deum orarent,hoc verè in quæstione est. Itaque extra oleas vagatur Frantzius, & quid dicendum sit,non attendit.

Thesis 71. *Deinde in vetustissimis Psalmis plerisque omnibus & præsertim, ut vocantur, petitoriis, utrumque contineri & à Deo rogari, tum quod spectat ad promovendam gloriam Dei, tum quod facit ad juvandam necessitatem nostram, quæ sunt duo orationis Dominicæ principalia capita, itidem exemplorum inductione bene longa à tyronibus theologiæ probatum dari potest, adeò ut in multis Psalmis non obscura prostent cuivis petitionum omnium orationis Dominicæ simulacra seu specimina,&c.* Et hîc primùm non ad scopum collimat Frantzius. Non enim quæritur, an non suo modo etiam eadem orare potuerint, & oraverint quidam viri sancti sub V. F., quæ in oratione Dominica nobis præscribuntur: sed an hic modus orandi præscriptus omnibus generatim fuerit,& an omnes ita vel oraverint vel orare debuerint, hoc verè in quæstione est. Deinde summam injuriam facit

N.T.Fran-

N.T.Frantzius,dum eadem contineri credit in Psalmis Davidis pœnitoriis,quæ in oratione Dominica.Quis enim,ut alia omittam,unquam in V. T. Deum oravit,ut ita facerent Dei voluntatem homines,quemadmodum eam faciunt angeli cælestes? vel quis unquam sub V. T. Deum ita orare potuit, ubi multa licebant, quæ cum ista sanctitate angelica ex diametro pugnant? Quis unquam æternam salutem a Deo oravit sub V. T., vel orare etiam disertè potuit, cùm nondum ea esset promissa cuiquam? Quis unquam talia ad necessitatem suam pertinere intellexit, ut detur nobis Spiritus S.? cùm hoc sit proprium promissum novi fœderis, & nemini datus sit Spiritus S., priusquam Iesus glorificaretur? Quis sub V. T. credidit, vel credere potuit,ad necessitatem suam pertinere, ut Deus peccata remittat?Cùm sub lege nullus esset remissionis peccatorum,quę scilicet verè peccata sunt,locus, sed quicunque legem Mosis transgrediebatur, ei absque misericordia ad testimonium duorum vel trium moriendum erat.Quis unquam sub V.T.Deum commovere ad misericordiam sui potuit, spondendo remissionem debitori suo, ubi licebat par pari reddere, & ubi pientissimus quisque ita plerunque faciebat? ut etiam in ipso Davide apparet, qui, jam jam moriturus, filio Salomoni diligenter commendabat vindictam de Ioab, quem sibi fecisse quædam commemorat, & Semei, qui ipsum olim convitiatus fuerat, sumendam. quod si quis hodie faceret,actum esset de illius salute. Sed quid multa?Christum is nondum verè cognovit, qui eadem olim petita fuisse vel peti debuisse a Deo affirmat,quæ hodie ab eo petuntur,&quæ, ut petamus,præceptum nobis est. Deinde quid hoc ad legem habet Mosaicam, quod in uno Davidis individuo singulare apparuit? Certè nec omnes tales fuerunt,qualis fuit David; nec cuiquam id fuit præceptum, quod David fecit;nec denique quod David fecit,præceptum ei in lege erat, sed spiritu Dei præ aliis præditus,ea sponte sua fecit,quæ hominem religiosum decebant:Interim,quemadmodum id a Deo præceptum ei non erat, sic etiam semper penes Deum erat, illum exaudire vel non, in iis, quæ in lege promissa non erant. Videat nunc Frantzius & alii omnes,quàm verè illud dictum sit,omnium petitionum orationis Dominicæ simulacra seu specimina prostare cuivis in multis Psalmis. Videat etiam, quàm cogitanter dixerit Frantzius, id á tyronibus Theologiæ probatum dari posse.

Orationis dominicæ contenta non haberi in psalmis.

Hebr. 10. 28.

3.Reg. 2.5. 8.

Thes: 72. *Quicquid enim hominis pii animum angere potest, quod in sua formula precum Orator æterni patris γενικῶς in admirabile compendium contraxit, illud secundum multitudinem casuum & varietatem*

statem miseriarum prosequitur liber laudum seu psalmorum, adeo ut nulla sit omnino melior explicatio dominicæ precationis, quàm sunt psalmi, nec omnium veterum psalmorum melior & absolutior epitome, quàm est oratio Dominica. Enumeratio multitudinis casuum aut varietatis miseriarum non potest efficere, ut psalmi sint explicatio orationis Dominicæ, vel oratio Dominica Epitome psalmorum. Primùm enim præter ea, quæ hominem angere possunt, continentur multa in oratione Dominica, quæ nihil cum casibus vel miseriis habent commune, ut sunt sanctificatio divini nominis, Regni Dei ad nos advent⁹, executio voluntatis ejus tam expedita & alacris, qualis in cælis fit ab angelis, Petitio panis illius necessarii, qui non tantùm est cibus corporis, sed etiam, isque multò magis, animi, nempe Spiritus Dei. Deinde eæ, quæ nos angere possunt, miseriæ & casus, nullo modo in psalmis Davidis ita comprehensi sunt, nec comprehendi potuerunt, ut in oratione Dominica, ut in animadversione in thesin præcedentem indicatum est. Nullam igitur esse meliorem explicationem orationis Dominicæ, quàm Psalmos, & omnium psalmorum nullam esse meliorem & absolutiorem Epitomen, quàm orationem Dominicam, affirmare, est cælum terræ miscere, & per imprudentiam id Christo detrahere, & doctrinæ eius, quo Deus eum in primis ornatum esse voluit. Vix scintillula sunt flammæ Evangelicæ psalmi Davidis, ut quidam aiebat: Et Frantzius eos explicationem facit orationis Dominicæ, quæ compendium est rerum Evangelicarum præcipuarum. Contraria sunt in Psalmis non pauca iis, quæ habentur in oratione Dominica, ut sunt imprecationes & diræ, quibus hostes (qui sunt nostri debitores) devovet David: & tamen oratio Dominica Frantzio est Epitome Psalmorum. Sic scilicet cæco impetu quidvis affirmandi feruntur ii, qui præjudicatas opiniones ad cognitionem veritatis afferunt, & scientiam sibi omnem præ aliis arrogant.

Thes: 73. *Fuisse verò vetustati formas quasdam compendiosas usitatiores ex eodem non malè collegeris, quod paulò ante dictum de Psalmo Mosaico Exod: 15. & Davidico 1. Par. 16. aliis in locis repetito.* Iam antea dictum est, differre hymnos ab orationibus. Quæ ex Exod: & 1. Paral: 16. adducuntur, hymni sunt merè: nobis verò de oratione vel precibus sermo est. Deinde nunquam negatum est, sanctos olim Deum hymnis celebrasse, vel etiam precibus sollicitasse: sed negatur, extitisse olim præceptum generale de Deo invocando, & proinde certam Deum invocandi formulam, quorum neutrum adducta loca sacrarum literarum comprobant. Tantùm enim docent, quid olim certo tempore factum, & quomodo factum sit.

Thes: 74. *Secundo ad primum præceptum accessisse demum in N. T. admonitionem de invocando Iesu Christo mediatore in precibus, itidem falsum est, siquidem propter æternam Christi divinitatem ex hoc præcepto ipsi debetur, sed secundùm carnem λόγῳ unitam ipsi Psal: 72. & aliis in locis, quæ nunc prætermittimus, fuit longè ante itidem tanquam debita prædicata.* Iam suprà thesi 67. indicatum est, quàm vitiosè mentem nostram explicuerit Frantzius. Aliter enim scriptum est in Catechismo nostro. Nempe hoc etiam additum esse ad primum præceptum, ut Christum agnoscamus pro Deo, hoc est, pro eo, qui divinam in nos potestatem habeat, & cui nos divinum exhibere honorem obstricti simus. Et porrò itidem explicatur, in quo honor iste divinus Christi consistat, nempe in adoratione & invocatione. Tum, unde pendeat tam Christi adoratio, quàm invocatio, luculenter docetur. Hæc omnia, ubinám quæso, sunt expressè præcepta in V. T.? Quis unquam vel vestigium harum rerum ostendet in universo sacrarum literarum veteris fæderis codice? Quæ verò Frantzius de æterna Christi (nempe a parte ante, ut loquuntur) divinitate addit, ex qua pendere ait Christi invocationem, illa sunt crassa illa principii petitio, cujus tantum virum pudere debebat in tanta veritatis luce. Quæ denique ex Psalmo 72. adducit, ista omnia primo respectu de Salomone dicta esse, ipsa psalmi inscriptio docet: mystico verò sensu ad Christum ex virgine natum accommodari quidem, ad eum autem, quem sibi fingit Frantzius, pertinere nullo modo possunt. Ad oculum igitur demonstrata est perfectio primi præcepti per Christum facta.

Quę in Christo colendo observanda.

SEXTA SECTIO est: An Christus aliquid adjecerit ad præceptionem de sculptilibus.

Thesis 75. est, *Præceptioni de non faciendis sculptilibus, (quæ nihil est nisi appendix & declaratio mandati primi de non habendis Diis alienis) hoc Christum 1. Ioh: 5, 6. 21. 1. Cor: 10. v: 14. per Apostolos addidisse scribit Catechismus, ut non habitemus, ubi sculptilia & imagines coluntur, & ne participemus ex illis, quæ idolis sunt consecrata.* Errat primùm Frantzius, qui pro appendice vel declaratione primi præcepti habet, præscriptionem tam luculentam de vitandis vel non honorandis sculptilibus. Qui error nulla ratione defendi potest, & absurditas ejus ex eo apparet, quòd præceptum ultimum in duo præcepta non nisi coactè & absurdè dividere eos oporteat, qui secundum hoc præceptum non agnoscunt. Esse autem declarationem primi præcepti hoc alterum, vanum est commentum. Quomodo enim declaratio est præcepti alicujus id, quod ab eo ita diversum est, ut alterum sine alte-

Præceptum de sculptilibus nõ est declaratio primi præcepti.

me altero esse possit? Potest enim aliquis habere Deos alienos corā Deo, & tamen sculptile vel imaginē nullā colere vel adorare. Iam pridē erroris huj⁹ convicti sunt ab aliis ante nos Lutherani: sed malunt hactenus autoritatem humanam, quàm manifestam rationem, non sine pertinaciæ suspicione, sectari; de quo infrà plura. Deinde vitiosè iterum mentem nostram explicat Frantzius. Catechismus enim, quem se sequi ait, non affirmat, hoc additum esse ad præceptum hoc, *ut non habitemus in loco, ubi sculptilia & imagines coluntur*: sed ait, auctum esse hoc præceptum, quatenus jubemur, imagines prorsus vitare; & rursus hoc ita explicat, ne illic, ubi adorantur aut coluntur imagines, simus, &c. Quod non de habitatione in urbe vel regione, ubi idola coluntur, accipiendum est. habitabant enim in tali regione & urbe Corinthii, & tamen nunquam a Paulo monentur, ut inde commigrent, sed de frequentatione istius loci, ubi honorari & religiosè coli solent idola, qualia olim erant templa Ethnica, & hodie sunt Pontificia. Quod quid sit, & quomodo novum aliquid sit, quod in lege non ita strictè prohibitum erat, loca allegata 1. Cor: 8. & 10. ostendere poterant. In illis enim Paulus, planè illud, quantumvis per se liceat, non licere, docet, si alium offendat, & si quis illud nihilominus faciat, graviter eum peccare, & salutis jacturam facere posse prolixè demonstrat. Quæ res non ita expressa usquam est in V. F. Licet enim, ut Frantzius thes: 80. ostendit, præcepisset Deus, ne nomina deorum alienorum memorarent Israelitæ; & ex eo colligi possit, non licere etiam in locis illis conversari, ubi ea coluntur: tamen hoc non ita præcisè, nec ob eam causam, quam Paulus affert, interdictum alicui fuisse, apparet. Nam non tantùm ob metum seductionis, aut suspicionem collusionis, quas causas Frantzius affert, non licet homini Christiano adesse in locis illis, ubi idola coluntur, sed etiam ideo tantùm, si inde scandalum, idque valdè subtile, oriri possit. Quod Paulus exprimit 1. Cor: 8. 16. dum ait: *Si autem quis viderit te, qui habes scientiam, in idolio recumbentem, nonnē conscientia ejus, qui infirmus est, ædificabitur ad idolothyta manducandum? Et peribit infirmus frater in tua scientia, propter quem Christus mortuus est*, &c. Cur verò periturus sit, ratio redditur alibi, Rom: 14. v: ult. Quia scilicet edet de illis idolothytis adductus non fide, hoc est, non certa persuasione, quòd sibi id liceat, sed tantùm autoritate fratris, quem id ante se facientem vidit. Quicquid verò fit sine fide, peccatum est. Tam profunda hujus rei consideratio, & ejus tam severa interdictio, quam Paulus tradit, an pro auctione præcepti de sculptilibus non adorandis habenda sit, judicent iterum omnes. Itaque non est, cur immoremur diutiùs in examinandis iis,

Quomodo sculptilia vitare debeamus.

Scandalum quomodo præberi possit.

dis iis, quæ Frantzius hac sectione differit, de causis habitationis inter improbos, quatenus scilicet liceat cum eis conversari, vel non. hoc enim extra quæstionem est. Cùm Paulus præter istam cohabitationem, a qua abest collusio omnis, & in qua est contradictionis testificatio, aliam etiam prohibeat, & peccatum esse doceat. Nec nos sumus ita bardi & obtusæ mentis, ut nesciamus, licere homini Christiano habitare in medio improborum, si aliter fieri nequeat, quemadmodum exemplum Lothi ostendit: Credimus tamen huc referri illud posse, quòd homini Christiano non liceat, ad locum talem se conferre, ut ibi habitet, ubi idololatria exercetur, si alibi vivere possit, ubi est purus cultus Dei, idque non tantùm ob metum seductionis aut suspicionem collusionis, sed quia hoc alios graviter offendere, & ad idem faciendum compellere & ita perdere possit, quia id faciant, quod licere sibi nondum sunt persuasi. Exemplum Naamanis nihil huc propemodum facit, quod thesi 28. meminit Frantzius. Is enim imperfectus erat veri Dei cultor, qui, si legem Dei omnino recepisset, proculdubio sibi tantum non indulsisset, Et satis habuit propheta, eum, qualicunque modo, Deum Israelitarum pro Deo vero agnoscere: perfectè verò eundem docere omnia Dei illius præcepta, non erat illius aut loci aut temporis, nec quicquam eum ad id faciendum cogebat.

Quatenus cum idololatris habitare.

Septima Sectio est: An Christus adjecerit aliquid ad præceptum de non assumendo nomine Dei in vanum.

Refutaturus nostram sententiam de additamento ad hoc præceptum, quod juramenta concernit, quæ est, quòd sub N. F. non tantùm pejerare, verùm etiam jurare non liceat, nisi gravissima de causa, sic ait thesi 84. *Sed responsio est expedita hæc, quòd in utroque Testamento utraque illa juramenta probibeantur. Et vetus quod attinet, ecce 1. Exod: 20. v. 7. Deut: 5. v: 11. probibetur, ne nomen Dei asumatur, (sive extra juramentum sive in juramento) sine causa, in vanum,* ἐπὶ ματαίῳ לשוא. *2. Levit: 19. 12. prohibetur, ne quis juret in nomine Domini fallax, falsum, dolosum,* ἐπ' ἀδίκῳ לשקר. *Ecce & vana & falsa simul juramenta interdicit lex vetus: jam in novo utraque hæc prohiberi demonstremus.* At ego regero, sensum verborum legis petendum esse ex Christi verbis, quæ sunt: *Audistis, quia dictum est antiquis, Non pejerabis, reddes autem Domino juramenta tua.* Hinc enim constat, legem tantùm vetuisse, ne quis falsò juraret; & verba *in vanum*, pro falsò accipienda esse, quemadmodum etiam alicubi pro falso שוא vox Hebraica accipitur ut Exod 23. 1. & Deut: 5. 20. Quod si hæc verba, quæ

Quid de juramentis sub lege statuendum, ex Christi doctrina discendum est.

 Christus

Christus antiquis dicta fuisse ait, pro explicatione & corruptela Pharisæorum habet Frantzius, tacitè id pro concesso sumit, quod nec probat, nec probare unquam poterit.

Thesi 85. *Quod vana juramenta prohibeantur a Christo in iis verbis, (ne omnino juretis) concedunt adversarii. Quod autem simul falsa in iisdem prohibeantur, mox patebit. Sic dicit Christus: Matth: 5. ne juretis omnino. Sed per quod omnino non est jurandum? Ecce è vestigio subjicitur, per quid non velit jurari. Ne juretis, inquit, omnino, neque per cælum, quia thronus Dei est*, &c. Hîc planè vanum sese prodit Frantzius. Probare enim conatur, a Christo in N. T. & vana (hoc est temeraria) & falsa etiam juramenta prohiberi, cùm tamen hac re nullo modo opus sit. Nam quomodo is, qui contendit, Christum juramenta omnino interdixisse, non contendat etiam, eum falsa interdixisse? Non probandum erat, quod omnes fatentur a Christo prohiberi: sed legem etiam prohibere omnino juramenta, ut Christus prohibet, hoc docendum erat. Itaque omnino frustra deinde docet, per quid Christus non velit jurari. Quanquam parum aptè illa, quæ Matth: 5. dicuntur, eadem esse censentur a Frantzio cum iis, quæ apud eundem Matth: cap: 23. leguntur, cùm Matth: 23. nulla nec cæli nec Hierosolymæ, nec capitis fiat mentio, quæ omnia Matth: 5. enumerantur.

Lex non prohibet omnino jurare.

Thesis 86. est. *Ut enim falsa impunè jurare possent, tales formulas Judæi excogitaverant, Matth: 23. Si quis jurat per templum, nihil est, (id est, potest fallere impunè) quicunque autem juraverit per aurum vel per thesaurum templi, debet (i. e. is peccat, quando decipit) Si quis jurat per altare, nihil est (impune fallere potest) si quis verò juraverit per donum, quod supra ipsum est, debet. (non potest sine peccato decipere)* Hoc verò quid ad locum Mat: 5. pertinet; cùm nulla ibi templi vel altaris fiat mentio? et cùm non constet, Christum Matth: 5. de eadem re loqui, de qua cap: 23. loquitur, ut scilicet, quemadmodum Matthæi 23. de corruptelis Pharisæorum sermo est, sic etiam de modis jurandi, qui Matth: 5. extant, idem dici possit. Atque ita nihil planè Frantzius effecit hac sua responsione, dum scilicet aliud quid probando, quod est extra controversiam, illud intactum relinquit, quod merè quæritur: nempe an in lege etiam ea prohibeantur juramenta, quæ in Evangelio prohibentur.

Locus Mat. 5. & 23. differunt.

Octava Sectio est: an Christus præceptis de Sabbatho & de honorandis parentibus aliquid addiderit.

* Thesis 89: *Præceptis de Sabbatho & de parentibus honorandis, ut ut solicitè inquisiverunt, tamen præter veterem doctrinam, aliquid à*

Christo

Christo novi & perfectioris adjectum reperire & indicare adversarii non potuerunt. Cogentur certè de reliquis præceptis idem fateri, si modò veterem scripturam magnifacere, & Deo gloriam dare voluerint. Primùm vanus est Frantzius, qui dicere non erubescit, nos utut inquisierimus, tamen nihil hîc, præter veterem doctrinam, indicare potuisse. Vnde enim ei constat, nos inquisivisse, ut hîc etiam aliquid adderemus? Indefinitè enim dicit Catechesis, Christum legis præcepta perfecisse, & alibi a nobis nominatim præceptum de Sabbatho eximitur ab illis, quæ a Christo perfecta sunt. Quæ verò de parte potiori vera sunt, ea indefinitè vera esse dici posse, nemo sanæ mentis negârit unquam. Deinde quomodo inquirere potuimus, quomodo lex de Sabbatho aucta sit, qui id abrogatum esse omnino docemus? Estne locus auctioni in eo, quod non est? Non entis nulla sunt accidentia.

Quo sensu dicatur, legem a Christo perfectiorem factã.

NONA SECTIO est: An præcepto de non occidendo, aliquid Christus adjecerit novi & completioris.

Hîc a thesi 90. usque ad 103. Frantzius nostram sententiam de vindicta persequitur, non quidem ex Catechismo nostro, sed ex aliis libris nostrarum Ecclesiarum, & in eo ita procedit, quemadmodum ipsi libet. quod nunc perstringere nolumus. Tantùm, sicubi erratum est in nostra sententia referenda, breviter id annotabimus, & deinde, quomodo sententiam nostram refutare aggrediatur, videbimus. Erratum est, quod thesi 93. nobis attribuitur. Non enim est vindicta, ut Frantzius nos affirmantes facit, dum quis efficit per magistratum, ut ii, qui nobis mala fecerunt, vicissim malis afficiantur: sed si paribus malis afficiantur ii, qui nos offenderunt, idque sine ullo fructu nostro, tunc demum, ut talio, ita etiam vindicta est, & ita Catechismus noster apertè affirmat. Alterum est, quòd credit nos statuere, meliùs esse injuriam pati, quàm jure experiri coram infidelibus cum fratre. Hoc enim vel ita præcisè nullibi scriptum est, vel, si alicubi scriptum extat ab aliquo ex nostris, per errorem id factum esse, vel unius sententiam esse, statuendum est, non verò totius Ecclesiæ.

Quid sit vindicta.

Quod verò ad refutationem Frantzii attinet, ea thesi 103. sic incipit: *Nos revocamus totius hujus prolixæ disputationis argumentum ad principalia duo membra, quorum prius est hoc: an in N.T. sit etiam publica vindicta prohibita, & an non in V.T. jussi sint diligere inimicos.* An Frantzius omnia, quæ de vindicta nos sentimus, ad hæc duo capita redigere possit, judicet lector. Nos affirmamus, in V. T. non omnem vindictam prohibitam fuisse, sed tantùm privatam: In no-

vo verò omnem esse prohibitam, tam publicam quàm privatam ostendimus. Iam si rectè procedere voluit Frantzius, ostendendum illi erat non tantùm, quòd in N.T. publica vindicta non sit prohibita, sed etiam, quòd in V.F. prohibita sit omnis vindicta, ita ut in Novo, quod nec facit, nec facere porrò potest. Et apparet Frantzium hac contractione vel *συγκοπῇ* sua, (ut ait) imponere voluisse incauto lectori, qui fortassis non rectè considerabit, quid agatur. Videamus autem, quomodo ista, quæ affirmat Frantzius, licet ad rem nihil faciant, probet.

Thesis 104. est. *Non esse prohibitam vindictam publicam in N. T. patet, quia æquè in N.T. vult Christus oculum pro oculo dari, dentem pro dente, atque in Veteri. Nam Rom: 12.17, 18, 19. præcipitur, Ut si fieri potest, quantum in nobis est, cum omnibus hominibus in pace vivamus, non nosmetipsos ulciscentes.* Quid audio, Christus jubet oculum pro oculo, dentem pro dente dari? ô Christianæ religionis & pietatis assertores egregios! ubinám? Rom: 12. ut, SI FIERI POTEST QUANTUM IN NOBIS EST, cum omnibus hominibus in pace vivamus. Digna sententia, quæ majusculis literis scriberetur: At quomodo ex his verbis tantum scelus colligi potest?

Thesi 105. ait: *Si igitur fieri non potest, utique malum pro malo (legitimo interveniente magistratu) vicissim reddi potest, tum extraneo tum fratri.* Primùm cur Frantzius terminos mutat. Dixerat thesi præcedenti, Christum *velle* oculum pro oculo dari, &c. nunc autem ait, malum pro malo reddi *posse*. Quod potest reddi, potest etiam non reddi: quod verò Christus vult, omnino ut fiat necesse est. Deinde diversa sunt, malum pro malo reddere, & oculum pro oculo. Potest enim is, qui oculum alicui exclusit, puniri, & ita malum ei reddi, etiamsi oculus ei vicissim non excludatur. Porrò quæ hæc est audacia Frantzii, ut, quod Paulus simpliciter prohibet, id ille licere affirmare non dubitet, legitimo interveniente magistratu, cujus tamen nulla in verbis Pauli mentio? Denique quis docuit Frantzium, ex his verbis, *si fieri potest*, ita concludere, Ergo si fieri non potest, malum pro malo reddi potest? Nam si unquam licet malum malo, nempe par pari, reddere, licebit etiam vindictam de aliquo sumere, quod tamen ibidem Paulus, & alibi non semel, & Christus & Apostoli interdixerunt. Indignantur hodie Christiani sensatiores, quoties legunt verba illa Ciceronis: *Vir bonus prodest omnibus, nocet nemini, nisi lacessitus injuriâ:* Et nos tales fingemus nobis Christianos, quibus aliquo modo licere possit, ut sese ulciscantur? Apage istam impietatem. Non igitur ideo dicit Paulus, *Si fieri potest, quantum in*

Malum pro malo, & oculum pro oculo reddere differunt.

Vindicta nunquam licita est.

Off: lib: 1.

tum in vobis est, pacem sectamini cum omnibus, ut significet, fieri aliquando posse, ut pacem nobis sectari cum omnibus non incumbat necessariò: sed ut doceat, non statim esse remittendum a studio pacis cum hominibus, si scilicet id conjunctum sit cum aliqua molestia, labore, sumtu, vel damno, quin omnia ista esse impendenda, ita, ut si pax non succedat, nulla penes nos culpa deprehendi possit, sed tota in adversarios redundet. Et, ut iterum dicam, non quid faciendum sit, si pax non succedat, aut exitum suum non sortiatur, sed quid faciendum sit, ut succedere pax possit, docere censendus est Apostolus. Si verò pax non succedat, patientiâ inprimis opus est, non vindictâ.

Mens Pauli explicatur.

Thesis 106. est: *Quod verò Christus jubet, ne resistamus malo, in eo tantùm privatam resistentiam, privatamque relæsionem oculi & dentis prohibere, adeoque idem præcipere voluit, quod in V. T. Levit: 19. his verbis mandatur: Non ulcisceris te, scilicet privatim, siquidem per publicam potestatem oculus pro oculo eruebatur.* Hîc Frantzius nihil probat, sed tantùm sententiam suam dicit. Itaque non est, quod respondeam. Falsum autem esse, quod ait, in verbis Christi, *ne resistamus malo*, tantùm privatam resistentiam prohiberi, ex eo apparet, quòd verba illa Christi, opponuntur ei, quod licebat sub lege, nempe oculum pro oculo, dentem pro dente curare excludi. Hoc verò nemini licebat sub lege propria autoritate, sed tantùm per magistratum. Vnde apparet, nec per magistratum nobis nunc licere ita resistere malo, ut olim lex permittebat. Et sanè mirum videri debet, quod Frantzius affirmat, licere nunc oculum pro oculo excludere, cùm vix ullæ leges politicæ id unquam approbârint. Nihil enim in eo inest rationis sanæ, si is, qui me offendit, ita puniatur, ut nihil inde ad me redeat commodi: & alia omnino ratione, is, qui alicui oculum excluderet, puniretur hodie, secundùm ipsas leges politicas, quàm oculi exclusione. Indulserat autem hoc Deus populo Israëlitico, ut ingenio illius puerili & vindictæ cupido, aliqua ratione gratificaretur, de quo infrà iterum thesi 170.

Vindicta nec per magistratum licita est sub N. F.

V. Grot. L. de J. Bel. p. 259. 270.

Cur vindicta sub V. F. licita fuerit.

Thesis 107. *Similiter in sequentibus, si quis te percusserit in dextram maxillam tuam, præbe illi & alteram, &c. nimis facilem & sæpe non necessariam contentionem & ultionem privatam & publicam stringit.* Et hîc sententiam dicit Frantzius, quam, quia argumento non comprobat, recipere non tenemur. Falsum esse autem, quod affirmat, eadem ratione, quæ thesi præcedente apposita est, ostendi potest. Verba enim Domini Iesu: *Si quis te percusserit in dextram maxillam tuam, præbe illi & alteram*, explicatio specialis sunt illorum generaliter dictorum, *ne resistatis malo*. Itaque, quemadmodum hæc de

vindicta, per magistratum non repetenda, agunt: sic etiam illa, de eadem vindicta agere, necesse est. Quæ verò cæcitas hæc est, ex verbis Christi, in quibus jubemur, aliam potiùs injuriam ferre, quàm per magistratum vindictam quærere, talem sententiam eruere, quòd liceat ultionem petere, modò non sit nimis facilis, & sæpe non necessaria. Ergo Christus nihil perfectius nos docuit, quàm homines Ethnici: imò minùs quàm illi: Et Christi populus tunc demum reprehendendus erit, cùm muliebri quadam ad vindictam fertur levitate, & absque necessitate cum alio rixatur? Videat Frantzius, quid agat, & quomodo horum dogmatum rationem sit redditurus Domino Iesu judici omnium, memor verborum illius: *Qui solverit unum ex his minimis mandatis, & sic docuerit homines, minimus vocabitur in regno cælorum.*

Matth: 5.10.

Thes: 108. *Ad illud, num etiam in tota vetere lege habeatur similis lex, qualis est illa Christi, Dilige inimicum? Respondetur, nimis clarè eandem legem inculcari & contineri Levit:* 19.17.18. *Ne odio habeas fratrem tuum in corde tuo, sed corripiendo corripies proximum tuum, neque impinges illi crimen, non ulcisceris te, neque reservabis contra filios populi tui, sed diliges proximum tuum, sicut teipsum. Ecce: quemnam proximum hîc intelligit? Certè illum qui nos offendit, & adversus quem nos ipsos non ulcisci debemus, sicut proximè antecedentia ita evincunt, ut contradictioni nullus omnino locus relinquatur.* Quomodo verò clarè lex Christi inculcatur in loco citato, cùm Christus de inimico absolutè loquatur: locus verò citatus, tantùm de inimico tali, qui simul sit civis & filius populi. Duplici enim modo vox inimici in ipsa lege considerari potest. Nam primùm eum significat, qui verè est inimicus, adversus quem hostilem animum gerere licebat, quales erant omnes, extra Israelitas. Deinde eum etiam significat, qui alium offendit, cùm tamen Israelita sit. De diligendo illo inimico nullum præceptum datum est in universa lege, nec dari etiam poterat. Voluit enim Deus populum istum Israeliticum, cui terrena Respubl: promissa erat, terrori semper esse hostibus extraneis; & loco præmii hoc a Deo constitutum erat, quòd de hostibus suis victorias essent reportaturi. De diligendo autem inimico, qui esset Israelita, accipienda sunt verba Lev: 19. & alibi nempe Exod: 23. Deut: 22. ubi de reducendis & juvandis inimici pecoribus præcipitur. Nam qui semel ibi inimici appellantur, illi ibidem filii populi & fratres appellantur, quo nomine nunquam a Republ: Israelis alieni vocari solent. Et hoc præceptum esse omnino oportuit. Aliàs enim facilè Respubl: illa pessum ivisset, & ipsa sese consumsisset, nisi odia & simultates deposuissent

Inimicus quis sit sub lege, & quatenus diligendus.

posuissent illi, qui eam incolebant. Deinde modus dilectionis inimici sub lege longè diversus erat a modo dilectionis inimici sub Evangelio. Dominus Iesus vult nos etiam bene precari imprecantibus, & orare pro persequentibus: hos verò inimicum diligendi modos, in lege præceptos esse, nullo modo probari potest.

Modus dilectionis proximi diversus in V. & N. F.

Thes: 109. *Huc pertinent similes præceptiones de pecoribus inimici reducendis & juvandis Exod: 23.4. Deut: 22.1. Et vel ex solo hoc constat, Christum non dare completiores leges, sed corruptas explicationes reformare. Nuspiam enim in V. T. extat, quod ait, dictum fuisse, inimicum odio habebis. Non Deus sed corrupta antiquitas hoc dixerat.* Ad loca allegata jam responsum est. Quam verò conjecturam affert Frantz: ad ostendendum, quòd Christus non dederit legem completiorem, sed corruptelas tantùm reformarit, quòd scilicet nusquam extet id, quod dicit Christus, *Inimicum odio habebis*, ea infirma est, & planè futilis. Primùm enim potuit extare alicubi scripta in libro, qui postea periit: quemadmodum & illud de D. Iesu, Nazarenus vocabitur, quod *per prophetas* dictum esse affirmat Matthæus, nec tamen iisdem verbis expressum extat. Deinde jure dicere potuit D. Iesus, dictum id fuisse, quia sensus horum verborum in lege inerat. Quæ enim ex libro aliquo necessariò deduci possunt, ea in illis scripta esse, dici jure possunt. unde D. Iesus hîc etiã vocẽ *antiquis* omisit. Sensum autem istorũ verborũ in lege reperiri, quis negabit, si quidẽ tunc non tantùm licebat, verũ etiam interdum necesse erat, hostẽ odisse, & de ipso interficiẽdo cogitare? quod, quomodo cũ dilectione ejusdem conveniat, nec acutus is erit Theolog⁹, qui docere possit, & acuta istiusmodi dilectio est, quæ interficere aliũ permittit & jubet. Quo sensu etiã dici potest, per prophetas dictum fuisse, quòd D. Iesus Nazaræus vocabitur. Hoc enim ex scriptis prophetarũ evidẽter colligi posse, Theologi cõfitẽtur.

Non omnes scripturæ s. extant.

Matth. 2. 25.

Scriptura id dicit quod ex ea colligitur.

Thes: 110. *Hanc claram consequentiam intuitus Ostorodus, in Institut: cap: 27. part: 1. proximum interpretatur Israelitam, sed ineptissimè, cùm Deus toties in veteri Lege eandem charitatem erga domesticum & erga extraneum commendet.* Thes: 111. *Nec opus est, ut aliunde testimonia compilemus, in eodem capite 19. Lev: v: 33. subjicitur: Tanquam indigena ex vobis, erit vobis peregrinus, qui peregrinatur apud vos, & dilige eum sicut teipsum, quia & vos peregrini fuistis in terra Ægypti* &c. Imò ineptissimè Frantzius respondet ad id, quod Ostorodus affirmat. Locus enim ex Levit: allatus, non de extraneo, qui merè sit extraneus, hoc est, hostis Israelitarum, loquitur, sed de advena, qui, licet sit extraneus, tamen inter Israelitas habitet, & ad eos confugiat & ita hoc ipso hostis esse quasi desinat: Nobis verò sermo est

Non omnis advena hostis.

mo est de merè extraneo, qui extra Israelitarum Rempubl: in alio quodam loco degat, & hostis omnino sit, adeoque haberi velit.

Thes: 112. *Posterius in disputatione quinti præcepti est, an liceat Christiano judiciis experiri sub Magistratibus Politicis, Respondetur ex contextu satis liquere, quòd Paulus hîc censeat iniquum, quando Christiani de rebus exiguis & pertinentibus ad hanc vitam inter se apud infidelem (NB. apud infidelem) magistratum disceptare volunt. Longissimè autem differunt, disceptare de re magna apud magistratum, & disceptare de re parva apud magistratum infidelem. Thes: 113. Posterius dissuadet Paulus, ne istorum temporum magistratus infidelis arripiat inde occasionem traducendi & calumniandi Ecclesiam, prius nequaquam.* Malè primùm formavit quæstionem Frantzius, & ideo facilè ei fuit, ad ea respondere, quæ ipsemet sibi opposuerat. Non est quæstio, an liceat Christiano homini judiciis experiri sub magistratibus politicis. hoc enim certo respectu nos etiam concedimus: Sed 1. an liceat fratri cum fratre contendere in judicio apud infideles 2. An liceat adire magistratum ulciscendæ injuriæ causa. Iam si hodie nulli sunt infideles istic locorum, ubi Frantzius degit, hoc ex accidente est. Præceptum autem Apostolicum, quid ibi faciendum sit, ubi sunt infideles, docet. Errat autem Frantzius, dum credit, Paulum hoc iniquum tantùm censere, si quis de rebus exiguis contendat apud infideles. Omnia enim, quæcunque in hoc seculum cadere possunt, comprehenduntur voce illa Paulina βιωτικά. Sed & hoc non omnino concedendum est, licere Christianis disceptare de rebus magnis apud magistratum. Nam omnia priùs tentanda sunt, etiam in maximis injuriis, quàm ad lites & forum eatur, ne homines, sæpe contendendo, discant aliis injurias inferre.

Cur lites fugiendæ.

Thesis 114. *Quod autem Christus in N.T. veterem legem de necandis homicidis non abrogaverit, non modò patet ex illo Christi Matth: 26. 52. cùm ait ad Petrum: Converte gladium in locum suum, omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt, verùm etiam ex illo Iohannis Apostoli & Evangelistæ post ascensionem Christi, Apoc: 13. 10. Si quis gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. De aliis maleficis eadem est ratio.* Equidem hanc quæstionem difficiliorem esse arbitror, quàm ut una thesi expediri possit. Constare verò eam ex locis a Frantzio allatis, incertissimum esse ajo. Nam uterque locus nullam ejus mentionem facit, cujus operâ futurum sit, ut quis gladio pereat vel occidatur, nempe magistratus, quod ad sententiam Frantzii stabiliendam necessariò pertinet: sed simpliciter tantùm affirmat, fore, ut is, qui gladium accipit, gladio pereat. Potest autem aliquis gladio perire, etiamsi eum

V. Steg. p. 62.

magistra-

magistratus non necet. Itaque verba Christi pro comminatione generali potiùs habenda sunt, quâ homines, a recursione ad media violenta, in injuriis repellendis deterrere voluit. Verba verò Apocalypseos minæ similiter sunt, quibus denunciatur divina vindicta illis, qui injurias inferunt, vel etiam morte afficiunt Christi fideles. Hanc verò vindictam non per magistratum irrogari a Deo, vel hinc patet, quòd plærumque Magistratus ii sunt, quorum potentiâ opprimuntur fideles: illi verò, per quos gladio sint occidendi, qui gladio occiderint, censendi sunt, quos Deus excitare solet ad ulciscendum sanguinem suorum, qui sæpenumero non magistratus, sed fex militum, & colluvies mancipiorum esse solent.

Thesis 115. est. *Bella legitima quî improbaßet Christus, qui per Iohannem præcursorem milites jubet suis contentos vivere stipendiis, & neminem concutere, Luc: 3.14. De quibus nunc temporis prolixiùs commentari non libet.* Ioannes Baptista Christi quidem præcursor fuit: sed nihil eum Christus jussit præcipere hominibus, non enim a Christo, sed a Deo missus erat Ioannes. Nimis igitur captiosè dixit Frantzius, Christum jussisse per Ioannem milites suis contentos vivere stipendiis. Deinde non potest id, quòd Iohannes Baptista milites jubet contentos esse stipendiis suis, regulam vivendi cuiquam præscribere. Ioannes enim, ut verbis Apostoli utar, *non erat illa lux, sed ut testaretur de luce, (Christus) erat illa lux vera, quæ illuminat omnem hominem, veniens in mundum.* Christus est Evangelii adeoque novi vivendi generis autor. Ab hoc igitur omnia, quæ ad vitam rectè pieq; ducendam pertinent, discenda sunt. Sed de his, quia prolixiùs commentari non libuit Frantzio, nos etiam prolixiùs disserere nec volumus nec debemus.

Christus est magister morum.

Ioh: 1. 8, 9.

y. Geb. L. de n. Rel. p. 370. Regm. p. 528

Thesis 116. *Interim omnibus modis unicè consultum eße putamus & faciendum suademus, ut antequam res ad judicia & bella deveniat, amicabiles quæcunque compositiones tententur ab universis & singulis, privatis & publicis, inferioris & superioris ordinis personis.* Hoc consilium vanum est, si belligerare nullo modo licet, salva Christi religione. Et tamen nemo fortassis illud sequitur.

Thesis 117. *His quæ hactenus protulimus, inclusa latet responsio, quæ adversariis est danda, quando quærunt, ubinám sub interminatione æternæ damnationis interdicatur in veteri lege, ne frustra fratri irascamur, aut fratrem calumniemur, sicut sub pæna gravi utrumque interdicitur Christianis, Gal: 5.20, 21, &c.* Thesis 118. est. *Etenim utrumq; membrum sententiæ Christi, 1. ne irascamur, ne convitiemur fratri, & 2. quòd talia facientes gravissimam corporalem & æternam pænam mereantur, expreßiùs in veteri scriptura scribi non potuißet, quàm sicuti extat*

Lev:19.17,18. & Deut:27.26. Thesis 119. *Lev:19.17,18. habetur prius membrum his verbis: Ne odio habeas fratrem tuum in corde tuo, Non ulcisceris te, nec reservabis odium contra filios populi tui. Ex hoc fonte natæ sunt aliæ admonitiones: Irascimini, & nolite peccare. Psal:4.5. Ne sis velox ad irascendum Ecclesi:7.10. Sic cum iracundo nec amicitiam ineundam eße docetur, Prov: 22. v: 24. Item ne fias amicus iracundo, & cum viro furibundo ne eas, ibidem.* Respondeo, Verba Levitici primùm non de omni proximo accipienda esse, sed tantùm de fratre, qui est filius populi ejusdem: Evangelium verò de omni proximo, quem etiam fratrem nostrum appellat, loquitur. Deinde dico, longè diversa esse iram & odium. Inveterata demum ira, odium est: at datur ira, ubi nullum est odium. Leviticus tantùm odium prohibet: Christus verò etiam iram. Denique non tantùm iram Christus prohibet, sed etiam voces ex iracundia profectas, quales sunt, *Fatue & Raka.* Clamores item, excandescentias & similia prohibet per Apostolos, quod nusquam in lege reperitur.

Ira & odiũ differunt.

Ephes:4.21. Christus plus prohibet quàm ram.

Ex hoc fonte natas esse alias admonitiones, nempe *Irascimini & nolite peccare: ne sis velox ad irascendum*, vana est conjectura. nam verba Psalmi de ira tantùm loquuntur. Leviticus autem de odio. Verba Psalmi de ira licita loquuntur, Leviticus autem de odio prohibito. Adde, quòd non sunt Psalmi præcisè annumerandi præceptis legis. Non enim ita obligant omnes Israelitas, quæ in Psalmis scripta sunt, quemadmodum ea, quæ in lege extant. Hæc enim ad omnia tempora & ad omnes homines pertinent: Illa longo post legem latam tempore extiterunt demum; & nemini a Deo præceptum erat, ut ex Psalmis disceret legem divinam. Verba item Ecclesiast: de alia ira, quàm ea, quæ a Christo prohibetur, loqui, vel hinc manifestum est, quòd ea non simpliciter a Salomone prohibetur, sed tantùm velocitas ad eam: At, quam Christus prohibet, ad eam nec velocem nec tardum esse licet. Et præcepta Salomonis accensere legis præceptis, vel etiam pro legis præceptis venditare, valdè sanè ridiculum est ob rationes, quas paulò antè, cùm de Davidis verbis ageremus, attulimus. Verba Proverb:, quibus docetur, ne cum iracundo amicitia ineatur, vel ne quis amicus fiat iracundo, & cum viro furibundo non eat; nihil huc omnino faciunt. Consilia enim potiùs censenda sunt ista omnia, data iis, qui vitam amant pacificam, quàm præcepta de non irascendo fratri, de quo nobis sermo est. Et nemo est, qui nesciat, valdè utile esse cum iracundo non habere amicitiam, etiamsi iracundia tandem nullum peccatum esset.

Psalmi & lex Mosaica differunt.

Ecclesi. & lex differũt

Non omnia præcepta æqualia.

Thesis 120.

Thes: 120. *Deut:27,26. habetur posterius membrum in generali regula, Maledictus qui non statuerit verba legis istius, faciendo illa, quæ repetuntur Gal: 3.10. Maledictus, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis hujus, ut faciat ea: inter quæ certè etiam est lex hæc, de cavendo odio erga fratrem.* At jam ostensum est odium illud diversum esse ab ira, quam Christus interdicit, & longè latiùs eam patere, quàm odium illud, de quo in Levit: legimus. Itaque, licet ostensum esset, legem minari maledictionem ei, qui odio fratrem vel filium populi sui persequitur, nondum tamen constaret, eandem legem minari maledictionem ei, qui fratri, hoc est, proximo qualicunque irascitur. Deinde nusquam apparet, maledictionem propositam ei fuisse, qui fratrem vel filium populi sui odio haberet: sed tantùm ad conservandum mutuam pacem & concordiam inter Israelitas, ista præcepta tradita fuisse, censendum est. Verba verò Mosis: *Maledictus qui non statuerit verba legis istius*, vel ad sola Decalogi præcepta, vel ad alia eis, quæ in Decalogo prohibita sunt, paria vel similia, quibus minæ mortis expressè annexæ sunt, referenda sunt; non verò ad ea etiam extendenda, quæ ad nævos quosdam in populo extirpandos, præscripta erant. Et hinc est, quòd nusquam legimus, eum, qui odium alerer erga fratrem suum, punitum sub lege fuisse, quod tamen non potuisset non fieri, si maledictus propterea fuisset. Sed præterea, quàm astutus est Frantzius, qui tantùm de uno odio locum affert, ex quo credidit, se probare posse, sub interminatione æternæ mortis æquè id prohibitum fuisse sub V. F. quemadmodum sub Novo: interim omisit afferre locos, in quibus idem dicatur de convitiis, de clamoribus, de excandescentia; de ira &c, de quibus tamen omnibus expressa extant, ut interdicta in N. T., sic etiam pœnæ æternæ damnationis, si quis in aliquo istorum vitiorum hæreat.

Lex non puniebat ob odium.

Christus plus prohibet quàm odium.

Thes: 121: *Hoc posterius membrum ibi quoque habetur, quando Num: 35.20.21. Deut: 19.4. illud homicidium præcipuè puniendum esse docetur, quod quis commisit ex odio hodierno & hesterno erga proximum, si quis enim cædem perpetravit, casu, sine odio ab heri & nudius tertius concepto, is ab ordinaria pœna homicidii absolutus fuit:* Sed hîc primùm iterum illud regero de differentia odii & iræ, quod jam bis indicatum est. Deinde ex hoc loco constare aio contrarium eius, quod Frantzius affirmat, nempe eum, qui alteri non tantùm irasceretur, verùm etiam odio eum prosequeretur, pœnam nullam subiisse vi legis, ob id ipsum, quòd aliquem odio habuisset: sed si ex odio aliquem interfecisset, tunc demum mortis reus peragebatur: At sub Evangelio non tantùm is, qui odio aliquem prosequitur, sed, qui alicui

Quatenus sub lege odium puniebatur.

alicui irascitur, etiamsi nunquam eum lædat reipsa vel interficiat,
1. Ioh: 3. 15. æternæ damnationis reus est. Imò ut Ioh: testatur, *qui fratrem suum non diligit* (quod minus est, quàm eum odio prosequi vel ei irasci) *manet in morte*. Ergo multò perfectior est doctrina Evangelii in hoc præcepto, quàm Legis. His ita absolutis, possem jure Frantzium ad huc accusare, quòd non ad omnia, quæ nos præcepto huic 6. addita esse affirmamus, responderit: Sed hoc nunc ei & lectori benevolo cogitandum relinquimus.

DECIMA SECTIO est. *An sexti præcepti explicatio in V.T. tradita congruat cum explicatione ejusdē præcepti à Christo Matt: 5. proposita.*

Tacitè hîc duo sumit pro concesso Frantzius. unum est, extare aliquam explicationem in V. T. præcepti (quod ille suo ingenio indulgens sextum vocat) de non adulterando, quæ tamen nulla est. Alterum est. Christum præceptum adulterii explicasse, & non perfecisse, quod falsissimum omnino esse, mox videbimus. Ita dum Frantzius affirmat, quod sibi libet, facilè sententiam suam pro vera, & alienam pro falsa venditare potest.

Thesi 122. nostram sententiam exponit his verbis: *Circa præceptum sextum de non mæchando, adversarii nostri proponūt quinque materias, in quibus V. & N. Testamentum mirificè discrepare contendunt, nimirum 1. De adulterio per solam concupiscentiam alienæ ex solo aspectu, 2. De turpitudine & scurrilitate verborum, 3. de concubinatu, 4. de Polygamia, 5. de repudiis. De quibus breviter agemus.* Si, quod affirmat Frantzius, catechismum nostrum sequitur, paulò aliter ista omnia ibi habentur: si alium quempiam librum nostrum, catechismum se sequi, dicendum non erat. Sed hoc levius est: videamus, quid Frantzius respondeat.

Thes: 123. sententiam nostram iterum exponit, de adulterio per solam concupiscentiam commisso his verbis: *Primum igitur dicunt ipsi, nuspiam in veteri scriptura nominari vel reperiri adulterium, quod committitur (juxta declarationem Christi in N. T.) per solam concupiscentiam alienæ mulieris ex intuitu.* Et ad hoc respondet thesi 124. quæ talis est: *Respondemus nos Ezech: 6. 9. expressè duplicem proponi fornicationem, cordis & oculorum. Cordis fornicatio quidnam erit aliud, quàm desiderium ad alium vel aliam. Talem iterum apud Ezech: 16. 15. Dominus objicit Synagogæ, quòd exposuerit fornicationem suam omni transeunti, ut ejus fieret (nimirum ducta interno amore singularis causæ: sicut iterum Ezech: cap: 23. 26. ait, quòd adamaverit Synagoga filios Ægypti, propterea, quod eorum caro fuerit tanquam asinorum, & fluxus copiosus tanquam equorum, item Ezech: 16. 26.)*

Et thesi

Et thesi 125: *Hanc internam appetitionem & concupiscentiam erga alienas, Ieremias vocat hinnitum ab exemplo huic rei appositissimo equorum saturatorum, corde, clamore, gestu, erga equas exardescentium. Sic enim cap: 5. 8. Vt equi saturati manè fuerunt, quisque ad uxorem proximi sui hinniunt.* Hujus modi responsio Frantzii, quæ his duabus & sequentibus thesibus continetur, si non docet unumquemque cordatum, eum nihil habere, quod opponat veritati manifestæ, præter conatum contradicendi, vix aliquid est, quod eum id docere possit. Primùm enim ex *prophetis* verba affert, quibus talem concupiscentiam prohiberi autumat, qualis a Christo prohibetur: Nos verò in Lege, nempe Mosis, eam extare negamus, quæ scilicet universalis erat & omnibus proposita, quod de prophetis nemo affirmare jure potest; & facile fieri poterat, ut aliquid perfectius in prophetis, tanquam tempore posterioribus, contineretur, quod in lege non continebatur. Deinde tantùm docet Frantzius ex Prophetis, quomodo ibi fornicationem, quam Frantzius internam vocat, reprehenderint: At non docet, quòd eam apertè interdixerint, tanquam eam, quæ hominem maledictum efficiat, & cujus causâ puniri etiam possit eo modo, quo lex peccata alia puniebat, quemadmodum Christus eam apertissimè interdixit. Tum, quæ de formicatione spirituali dicta sunt, per insignem fallaciam ad carnalem pertrahit, de qua mox plura in thesi sequenti. Denique quod præcipuum est, tantùm docet, istiusmodi fornicationem Deo displicuisse: Sed pro adulterio eam fuisse habitam a Deo, quod Evangelium docet, & quod maximè in quæstione est, nusquam docet, nec docere potest.

Prophetarũ scripta perfectiora lege.

Thes: 126. *Etsi verò, in locis jam plerisque adductis, Spiritus S. potissimùm de idololatria & spirituali fornicatione loquitur, tamen nisi coram Deo desiderium erga aliam & aliam verè pro fornicatione & adulterio haberetur, tropis hisce propheta usus non fuisset.* Hîc Frantzius nihil aliud quàm sententiam dicit. Et si tamen aliqua esse videretur consequentia, ego eam prorsus nego. Prophetæ describunt idololatriam & spiritualem fornicationem per cordis fornicationem. Ergo cordis fornicatio est adulterium. Nihil enim aliud, si conjectare licet, ex his omnibus colligi potest, quàm tam externum quàm internum adulterium esse. Internum verò interim pro externo habitum fuisse, id est, æquè illud atque hoc interdictum & punitum fuisse, nemo ex his loquendi modis elicere potest. Præterea etiamsi aliquid tale inde elici posset, jam antè indicatum non semel est, has propheticas locutiones non fuisse omnibus notas, ut pote quæ longo post latam legem tempore demum traditæ fuerant, & quæ ad omnes

omnes in universum poterant non pertinere. Denique non collectionibus, iisque satis obscuris hîc agendum est, si paritatem hac in re Legis & Evangelii ostendere quis velit, sed præcepta afferenda essent aperta ex Lege, qualia afferuntur ex Evangelio, quale est: *Ego dico vobis: Quicunque aspexerit uxorem ut concupiscat eam, iam mœchatus est in corde suo.*

Thes: 127. *Esse internam propriam talem fornicationem, etiam inde patet, quando Malachias cap: 2. 15. monet sacerdotes, multa repudia uxorum facientes, ut custodiant se in spiritu suo, hoc est, cohibeant affectus & cupiditates, ne amorem in alias à conjugibus suis transferant. Item quòd Salomon prov: cap: 6. 24. 25. hanc omnibus viris proponit νουθεσίαν (conserva fili) increpationes eruditionis, ne concupiscas pulchritudinem extraneæ in corde tuo &c. Item quod Iob: quoque cap: 31. fædus pepigit cum oculis suis, ne cernerent virginem, ne ex conspectu con-concupiscentia ipsi suboriretur.* Hîc iterum Malachiæ testimonium affertur, cùm Legis, quæ omnibus lata est, testimonio opus est. Deinde affertur locus, qui ad solos sacerdotes spectat, cùm talis, qui ad omnes spectet requiratur, qualis est Christi præceptum. Poterat enim tale quid requiri a sacerdotibus, tanquam ab hominibus Deo consecratis, quod non ita strictè exigebatur a vulgo hominum. Tum nō tam, quid necessariò faciendum sit, præcipitur, quàm quid deceat, præscribitur. Denique pro vitio vel etiam peccato id habitum fuisse dici potest, quod hîc sacerdotibus interdicitur; Sed an adulterio par fuerit, hoc quæritur. Non fuisse autem par, inde constare videtur, quòd pæna adulterio destinata, huic vitio non itidem destinata fuerit. Et si quis locum diligenter inspexerit, apparebit, aliud nihil in eo prohiberi, quàm ne alienas uxores comprimant: de concupiscentia verò sola nullam istic esse mentionem. Salomonis etiam verba, præterquam, quòd pro præcepto legis censeri non possunt, nec præceptum verè sunt, sed tantùm adhortatio salutaris, quæ virtutem continentiæ commendat: nec etiam constat, istam concupiscentiam extraneæ in corde suo, esse peccatum par adulterio. Factum denique Iobi, quomodo pro præcepto universali censeri potest? & quomodo, si quis fædus tale cum oculis suis non pepigit, sub V. F. pro adulterio censeri potuit, si quidem id nusquam disertè interdictum extat?

Diversitas præceptorũ legis a præceptis evãgelii.

Thes: 128. *Sicut igitur in homicidio iram, ita in adulterio concupiscentiam præcipuum illud esse dicit servator noster, quod pænam meretur. Nam sicut homicidii ordinariam pænam non meretur, qui sine odio occidit, ita adulterium non patravit persona, quæ vel casu vel coactè citra concupiscentiæ internæ electionem & voluntatis maleficum assensum*

sum cum aliena miscetur. Esto primùm ista esse vera omnia, quæ hîc scribit Frantzius, quæ tamen sunt falsa, quid verò ad rem faciunt? num hinc cõstat, æquè interdictam esse tam in V. quàm N. T. concupiscentiam uxoris alienæ, & utrobique habitam pro adulterio? equidem illud perspicere nequeo. Vnde enim constat, Servatorem dicere, in homicidio iram præcipuum illud esse, quod pœnam mereatur? Num ex eo, quòd homicidii pœnam non meretur, qui sine odio occidit? at istud falsum est. Homicidium enim absque odio commissum, nempe ex levitate vel petulantia vel aliis de causis similibus perpetratum pœnam & olim merebantur, & nunc meretur. Deinde si quis ab ipso homicidio sub lege abstinebat, a pœna liber erat, etiamsi millies fratri iratus fuisset. Si dicat Frantzius, se docere hac thesi, quare Christus iram & concupiscentiam interdicat, totum hoc nihil est. Nullum enim ejus rei indicium in verbis Christi extat, sed manifestè est in illis oppositio verborum legis. Lex vetabat solum homicidium, & pœnam mortis homicidis denunciabat: Christus verò etiam iracundis eandem pœnam, quæ ex lege debebatur homicidis, denunciat. Lex solum adulterium vetabat: Evangelium concupiscentiam etiam alienæ uxoris pro adulterio habet. Præterea falsum est, Servatorem nostrum dicere, in homicidio iram præcipuum illud esse, quod pœnam mereatur. Nam sub lege ira nullam pœnam merebatur, & tamen merebatur homicidium: sub Evangelio verò multò gravius etiam est homicidium absque ulla ira commissum, quàm ira, quam, quantumvis concitatam, non consequatur homicidium. licet tam iræ quàm homicidio pœna sit eadem destinata, nempe mors æterna. Nam qui irascitur alteri, in Deum tantùm peccat, & sibi nocet: qui verò occîdit, is & in Deum peccat, & alteri etiam nocet, & nocet gravissimè. Nec concupiscentia præcipuum est in adulterio, quod pœnam meretur, quod Servatorem nostrum itidem affirmare ait Frantzius. Multò enim gravius peccatum est, sub ipso etiam Evangelio, adulterari, quàm alienam uxorem concupiscere, licet utrumque pœnam mereatur æternam, nisi quis utrumque deploret, & seriam ejus pœnitentiam agat.

Sub N. T. homicidiũ gravius est irâ, & adulterium concupiscentiâ.

Thesis 129. est. *Secundò dicunt adversarii, nullas omnino reperiri de vitanda verborum scurrilitate, vanitate, impudicitia, & turpitudine in Veteri scriptura tam severas prohibitiones, quales in nova scriptura extant.* Hîc dolus Frantzii detegendus est iterum, qui pro eo, quòd nos dicimus, in lege, nempe Mosis, non contineri prohibitionem istarum rerum, substituit veterem scripturam, ut ita, ex Ecclesiaste producendi aliquid, occasionem habeat. Sed responsionem audiamus.

Thesis 130. est. *Respondemus ex uno Ecclesiaste, qui cap: 11. in fine*

vel cap:12. in principio aureum proponit aphorismum hunc: Lætare juvenis in adolescentia tua, & exhilaret te cor tuum in diebus juventutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & secundùm aspectum oculorum tuorum, sed scito, quòd propter omnia hæc adducet te Deus in judicium. Esto primùm Ecclesiastem omnia ea prohibere quæ Evangelium, & minari etiam pœnam divinam iis, qui hujusmodi vitiis sunt dediti, quid hoc ad propositum facit? Non enim quæritur, quid aliquis sub lege vivens senserit vel etiam fecerit; sed de eo, quid in lege Mosis præceptum vel prohibitum fuerit, sermo est. Et perpetuò a nobis universalis divinæ voluntatis revelatio, qualis est lex, universali ejusdem voluntatis revelationi, qualis est, Evangelium, opponitur: Ecclesiastis verò præcepta talia non fuisse, apud omnes in confesso est. Nam post legem latam multis seculis vixisse eum certum est. Iam si ex ejus scriptis vitæ norma petenda esset, quid illis fieret, quibus nihil de Ecclesiaste constitit? Deinde longè diversa esse dicimus, ea quæ in Evangelio prohibentur de verborum obscænitate & stultitia & jocis, ab iis, quæ Ecclesiastes in loco citato meminit. Inter hæc enim, fit mentio ambulationis in viis cordis sui, & secundùm aspectum oculorum hominis, ob quæ Deus sit adducturus homines in supplicia, quæ longè sunt graviora ipsis, quæ Evangelium prohibet. Non est igitur, quod insultet Frantzius Ostorodo thes:131. dum ait: *Ecce, Ostorode, Ecclesiasten ideo rejicere conaris in tua Institutione, quasi cap. 2:24. & 3.12, 13. & 5.17. 15.19. & 8.15. & 9. 7, 8, 9. genio indulgere permitteret liberrimè. Sed cur hanc sententiolam itidem reperire & allegare non potuisti, quâ testatur idem, omnes sermones, gestus, facta sub conviviis & in omni alia lætitia, si pugnent cum pietate & honestate, judicii divini severitatem mereri, adeoque sedulò debere caveri.* Nimis enim certum est, suo modo non tantùm permittere Ecclesiasten, quæ ad carnis voluptates pertinent, verùm etiam quodammodo ad ea adhortati. Hoc verò nullo modo permittit Evangelium. Sub lege voluptate uti licebat, si abesset contemtus divini numinis & proximi injuria. At sub Evangelio, simpliciter mũdum, & ea, quæ in illo sunt, quorum pars bona sunt sermones vani & jocosi, diligere prohibemur. Nec porrò dici potest, ab Ostorodo rejici Ecclesiasten. Recipit enim omnia ejus dicta: sed, quæ tunc ille concedebat, & ad quæ quodammodo hortabatur, ea nunc interdicta per Christum & Apostolos esse, Ostorodus asserit, quæ longè sunt diversa. Audacter etiam vel potiùs incogitanter illud dicitur a Frantzio, Ecclesiasten affirmare, omnes sermones, gestus, facta sub conviviis & in omni alia lætitia, si pugnent cum pietate & honestate, judicii divini severitatem mereri. Nam si per pietatem & honestatem eam intelligit, quæ sub Evangelio præscripta est, jam pro

Alia Mosis alia Ecclesiastis autoritas.

Ecclesiastis præcepta differunt a præceptis Christi.

1. Joh. 2.15.

concesso sumit, eam pietatem tunc fuisse patefactam, quod falsissimum est; & multa, quæ tunc in sermonibus & conviviis licebant, pietati Christianę ac honestati cōtravenire, nimis manifestum est: Si verò per pietatem & honestatem eam intelligit, quæ sub lege præcepta erat, quomodo cum pietate & honestate legali id pugnare potuit, quod pietas & honestas legalis permittebat, vel non interdicebat? Et si judicii divini severitatem merebantur multa, quæ in sermonibus & conviviis sub lege fiebant, cur pœna non legitur alicubi expressa? Cur non alicubi ad effectum perducta describitur? Dicam iterum, quod quasi generale est: Quæcunque ex Ecclesiaste & aliis ei similibus adducuntur libris, præcepta ad mores pertinentia, ea ad hominem bene moratum & religiosum efficiendum quidem pertinent, nemo tamen sub lege necessariò ea servare tenebatur, nec cultoris Dei nomen is amittebat, qui ea non observaret.

Quid de præceptis Ecclesiastis sentiendum

Thesis 132. est. *Ad eandem in verbis & factis decentiam commendandam præcipitur Deut: 22.5. ne mulieris vestimentis viro uti liceat, ut & sequente capite 23. v:12. mandatur, ne in bellis propter naturæ opus molestiam alicui alius exhibere ausit, & huic obedientibus Dei benedictio, sed (ecce) inobedientibus ibidem maledictio Dei annunciatur, v:14. & passim scriptura congreßum conjugalem Genes: 4.1. & excretionem naturæ 1. Sam: 24. 4. admodum pudibundè effert, ut omnes a scurrilitate & impuritate ad similem adhortaretur modestiam & venustatem. Sed in his tenuibus non opus est immorari.* Quid verò commune habet cum prohibitione turpiloquii, stultiloquii, & facetiarum, prohibitio legalis, ne vir induatur vestimentis mulieris? Indutio ista factum est valdè leve & obscænum, quod peccati gravioris occasionē etiam facilè præbere potest, & a quo ipsa denique ratio abhorrere videtur: At eorum quædam, quæ Evangelium interdicit, tantùm non pro virtutibus habebantur apud ipsos Ethnicos etiam moratissimos, qualis est ἐυτραπελία. Illud verò, quomodo huc pertrahi potuit a Frantzio, quod de opere naturæ faciendo Deut: 23. legitur, vel etiam de congressu conjugali? In his enim omnibus, non quid homines facere teneantur, sed quid Deus & Spiritus, quo locuti fuerint pii homines, fecerit, describitur. Si hinc peti posse commendationem sermonum pudicorum dicat Frantzius, jam fatetur, nullum ea de re extare præceptum in lege, de qua tamen extat apertissimum in Evangelio. Itaque perfectius est Evangelium, quàm lex, in hac etiam parte. Istam explicationem, quam super locum Deut: 23. 12. & 14. affert Frantzius, aliis judicandam relinquimus. Equidem perspicere non possum, quomodo id verum sit, quòd ibi mandetur, ne in bellis propter naturæ opus molestiam alicui alius (ita habet Fr:) exhi-

Diversa turpitudo V. & N. F.

V. Sleg. p. 216.

Fr:) exhibere ausit. Sic enim habent verba: *Habebis locum extra castra, ad quem egredieris ad requisita naturæ, gerens paxillum in baltheo, cumque sederis, fodies per circuitum, & egesta humo operies, quo relevatus es.* Nec, quomodo huic obedientibus (sic loquitur Frantzius) Dei benedictio annuncietur, video. Sic enim habet v:14. *Dominus enim Deus tuus ambulat in medio castrorum, ut te eruat & tradat tibi inimicos tuos.* Quæ verba causam nullam, nedum hanc, quam Fr: affert, continent aut exprimunt, cur Deus in castris ambulet. Sed quia Deus in castris ambulet, eo fine, ut suos eruat & inimicos illis tradat, ideo indignum esse affirmatur, non extra castra exire ad requisita naturæ. Et sane nimis esset absurdum, benedictionem Dei promitti ob hujus rei obedientiam. Illud denique (ut alia multa) nimis liberè dictum est a Frantzio, maledictionem ibidem annunciari non obedientibus. Nihil enim aliud dicitur, quàm hoc, *nihil in eis* (castris) *appareat fœditatis, ne derelinquat te.* Derelictio verò ista non statim eam afferebat maledictionem, quam alibi Deus minatur legi suæ divinæ inobedientibus. cùm multi sint desertionis extra maledictionem modi, nec rectè ex genere inferatur affirmativè species.

Ad concubinatum & polygamiam, quæ in lege permittebatur, sub Evangelio verò prohibita est, respondet thesi 135. hoc modo: *Respondetur breviter & solidè, quòd in toto veteri Testamento nunquam concedatur concubinatus vel polygamia expreßo aliquo verbo Dei.* Breviter quidem, sed non solidè: nam termini mutantur. Nos enim tantùm affirmamus, in V.T. concessum fuisse concubinatum & polygamiam, non additis verbis illis, *expreßo aliquo verbo Dei.* Et ridiculus est, (ne quid gravius dicam) Frantzius, qui velit expresso aliquo verbo Dei concedi aliquid, cùm omnino satis sit, ad ostendendum, rem aliquam concedi, si nec expresse, antequam fiat, sit interdicta, nec, postquam facta est, reprehendatur. Quod de concubinatu & polygamia verum esse constat. Vbi enim lex ista vetat, ubi ea reprehendit? Evangelium verò apertissimè utrumque prohibet. Perfectiora igitur sunt Evangelii præcepta præceptis legis, frustra reclamante Frantzio.

Vnde concessio rei alicujus pateat.

Thesis 136. *Prima enim creatio tantùm duas constituit personas, marem & fæminam in conjugio, Similiter tempore ingruentis diluvii, quatuor mares & quatuor fæminæ absconduntur divinitus in arcam, cùm si unquam, certè tum utrobique propter celeriorem multiplicationem generis humani opus fuißet uni viro pluribus uxoribus.* Hæc omnia, quid ex mente Dei fieri debuerit, tantùm per consequentias indicant,

indicant, quod nos non negamus: Nunc verò non de eo, quid Deus voluerit fieri, sermo est, sed de eo, quod permissum sub lege fuerit, nec apertè prohibitum. Potuit autem Deus aliud velle, & aliud permittere tunc temporis, pro ratione hominum & fœderis.

Deus interdum permittit, quæ non approbat.

Thesis 137. *Et ut de extremè impiis aliis concubinariis vel polygamis nihil attingamus, certè, ut alii, ita Abraham & Sara gravissimè peccarunt, cùm edocti de semine ex Abrahamo prodituro, propter emortuam vulvam Saræ dubitârunt, ideoque ex dubitatione superinduxerunt Agaram.* Hîc præter meram affirmationem Frantzii nihil est: Nos verò ad argumenta tantùm respondere tenemur. Cur verò Abraham reprehensus a Deo disertis verbis non fuit, si, quod ait Frantzius, peccavit, idque gravissimè? Reliqua pete ex initio responsionis nostræ ad hujus disput: thesin 22.

Thesis 138. *Nec potest polygamia excusari, licet propter duritiem populi illam permiserit Moses, Deut: 24.15. Quod enim iste eam permiserit propter duritiem populo, ex eodem loco colligitur, ubi indigitat, polygamiam per se omnibus exosam esse debere, siquidem plena sit infinitis periculis, contentionibus variorum liberorum, zelotypiis uxorum, difficultatibus in tanto alendo grege hominum, &c. quemadmodum historiæ testantur, apud ipsos Iudæos propter has causas polygamiam fuisse in dies magis infrequentem factam.* Nemo est, qui polygamiam excuset simpliciter. itaque dicendum non erat, eam excusari non posse. Iam verò, quia eam permisit Moses, quantumvis incommoda ejus multa accumulârit Frantzius, hinc apparet, Christi præcepta Mosis præceptis esse perfectiora. Christus enim nulla de causa eam permisit: Moses verò ob duritiem cordis populi, eandem, licet rem non congruentem cum perfectione castitatis, indulsit. Nunquam rem ipsam tangit Frantzius, sed semper extra oleas vagatur, quod malæ causæ vel saltem mali defensoris indicium esse, si quis hactenus dubitavit, nunc pro certo compertum habeat.

Christus nullam ob causam permittit polygamiam, ut Lex.

Thesis 139. est: *Vltimò quærunt, annon Christus, Mat: 5.3. & 19.9. legem veterem de repudiis olim permissis aboleat, dum dicit, adulterium committi ab utroque, tum eo, qui extra casum scortationis suam dimittit, tum eo qui dimissam ducit.* Et ad eam sic respondet thesi 140. *Verùm eandem esse mentem V. T. quæ fuit hoc loco Christi, cuivis obvium erit. Christus concedit repudium ob scortationem: Deus in Deut: 24. ob turpitudinem. 2. Christus non concedit, ut aut quis dimittens suam, ducat aliam, aut ut ab altero dimissa ab altero ducatur, quia utrumque est adulterium, siquidem fit distractio citra causam: Deus in Deut: tantùm unam posteriorem speciem proponit, quia non vult, ut olim repudiata a suo, &*

ducta ab altero possit post secundam repudiationem recipi à primo marito. Subintelligi autem vult priorem speciem, ne quis præter causam dimittat suam & ducat alienam. Vtrumque enim adulterium eßet. Et hæc responsio, si quæ alia, prodit Frantzianæ causæ imbecillitatem, addo etiam falsitatem. Vult enim ea conciliare, quæ longissimè a se differunt. Lex ob quamvis turpitudinem, præter adulterium, divortium permittit, Evangelium ob solum adulterium. Quomodo igitur eadem mens legis quæ Evangelii? Evangelium rursus dicit, eum adulterii causam esse, qui uxorem dimittat extra casum adulterii: Lex verò permittit, ut ea, quæ a marito ob aliquam fœditatem legitimè, cum libello repudii dimissa est, alteri nubat impunè & absque culpa adulterij. Quod verò nolit lex eam, quæ semel repudiata est a viro, posteaquam alteri nupsit, & cum eo commercium habuit, iterum duci a priori marito, nihil hoc commune habet cum eo, quod Christus præcipit. Denique adulterari eum, qui dimissam a viro extra adulterium uxorem, ducit, tantum abest, ut lex dicat, ut potiùs simpliciter permittat, ut ea, quæ dimissa est a viro ob aliquam fœditatem, alteri nubat, ut locus allegatus ex Deut: cap: 24 manifestè docet. Verba igitur sunt Frantzii, dum ait, Deum in Deut: speciem posteriorem, nempe eum adulterari, qui dimissam ab alio ducat, proponere: subintelligi autem velle priorem, nempe eum etiam adulterari, qui extra adulterium uxorem dimittat, insignis audacia & impudens affirmatio est.

Differentia V. & N. F. in repudiis.

Thesis 141. *Quod autem Christus Matth: 19. 8. Matth: 10. 8. ait ab initio creationis ita non fuiße, & Mosen ipsis repudia concessiße, satis indicat, eße repudia V. T. contra mentem legislatoris & legis veteris.* Iam antea ad hoc responsum est thesi 136. Non tantùm concedimus, sed etiam urgere possumus, repudia ista, qualia in lege describuntur, fuisse contra mentem legislatoris: interim verò, quia permissa fuerunt a Mose, mediatore V. F. & prohibita sunt a Christo mediatore N. F., quis non videt, perfectiora esse Christi præcepta præceptis Mosis?

VNDECIMA SECTIO est. An Christus præcepto de non furando aliquid adjecerit.

Thesibus 142. & 143. sententiam nostram strictim proponit his verbis: *Hoc præceptum in novo Testamento etiam insignem προσθήκην accepiße dicunt de vitanda avaritia, nimirum* 1. *ne plus corradere expetamus, quàm sufficit ad necessitatem in cibo, potu, vestitu, ideoque etiam omnem luxuriam in hisce rebus declinemus.* 2. *Si Deus plura dederit quàm usus noster postulat, ne ex reditibus capitalium bonorum ad Dei gloriam & su-*

& sustentationem pauperum largiter erogare cunctemur. Thes: 143. *Hac autem de re in Mose nihil reperiri contendunt, imò luxuriam quandam veteribus ob amplas promissiones corporales, concessam fuiße, modò operum Domini non oblivіscerentur, ex Es: 3. & 5. & alibi demonstrare satagunt.* Ad eam verò sic respondet thesi 144. *Respondemus nos, eße diversas virtutes, 1. studium laboris, 2. studium αὐταρκείας, & 3. studium liberalitatis. Illi navant operam, qui agriculturæ, mercaturæ artificiis manuariis & aliis &c. sunt dediti. Isti verò, qui contenti sunt illis, quibuscunque Deus ipsorum sudorem & laborem compensat. Huic denique qui ἐκ παρόντων pro modulo suo majore, mediocri vel minore, ad Dei gloriam & proximorum præsertim ὁμοψήφων sustentationem conferunt.* Hîc primùm conquerimur de Frantzii vel ignorantia vel crassa subtilitate, qui, cùm non haberet, quod responderet, pro suo nos libitu formârit, & quidvis potiùs responderit, quàm tacere maluerit. Non enim ita nos loquimur, ut nos loquentes facit Frantzius, sed dicimus: In Evangelio non tantùm furtum illud prohiberi, si quis vel per vim vel per dolum qualemcunque aliena ad se pertrahat, verùm etiam illud pro furto haberi in Evangelio dicimus, si quis ea, quæ aliis jure charitatis debentur, non reddat. Hoc verò fieri ab avaris, qui, dum plura appetunt vel servant, quàm eis ad se alendos opus est, aliena servant, & ita pro raptoribus alienorum haberi possunt. Frantzius verò nobis de tribus virtutibus disserit, studio laboris, αὐταρκείας, & liberalitatis, quasi scilicet hoc a nobis negetur. Scimus virtutem esse, ut quis laboret, nam qui non vult laborare, non manducet: sed quomodo iis, quæ quis labore acquirit, utendum sit, hoc nunc quæritur. αὐταρκείαν virtutem esse singularem novimus: sed quousque ea extendantur, quotusquisque intelligit? Liberalitatem virtutem esse cõfitemur omnes, sed quàm liberaliter exercenda sit nunc sub Evangelio, planè ignotum est. Nec diffitemur, nos, tam in V. quàm in N. F. virtutem (si modò virtus est) laboris, αὐταρκείας & liberalitatis præcipi: sed longè aliter αὐταρκείαν in N.T. describi affirmamus, quàm in veteri. Evangelium enim αὐταρκείαν tam angustis limitibus circumscribit, ut, si alimenta & indumenta habeamus, his nos contentos esse jubeat: Lex verò nunquam id præcipit. imò permittit, ut homo millies plùs colligat, quàm ad se alendum indigeat, dummodo id fiat absque alterius damno & injuria. Liberalitatem etiam in lege commendari non diffitemur: sed tantam in ea præcipi, quantam in Evangelio, nemo sanæ mentis affirmare potest. Sub Evangelio enim plus habere vel serva-

2. Thes. 106.

Differentia V. & N. T. in liberalitate

tæ ex omnibus bonis non licet, quàm quis ad se suosque sustentandos opus habeat: sub lege verò pro se & suis, quam plurima servare omnino licebat. Et si quæ ad liberalitatem exercendam in lege, vel apud aliquem sub lege existentem extant, præcepta vel monita, ea vel parum admodum præcipiunt; vel, si multùm præcipere videntur, neminem tamen necessariò & præcisè obligant, sed simplices tantùm sunt admonitiones, quas qui observaret, rectè quidem facere censebatur, interim verò, si ea non observaret, nullam pœnam incurrebat, nec pro injusto aut alienorum raptore censebatur. Itaque non est, quod ad thesin 145. & 146. & 147. quibus de labore, *αὐταρκείᾳ* & liberalitate *νουθετίας* in lege extare ait, respondeamus.

Thesis 148. est. *Malè autem de secundo & tertio tantùm disserunt, & de primo tacent Photiniani.* Nugatur Frantzius, ut aliquid respondere videatur. Vnde enim scit, nos de primo, nempe de studio laboris, tacere? Iam diximus antea ex Apostolo: eum, qui non velit laborare, non debere etiam manducare, nec aliter uspiam scripsimus, nec aliud ex scriptis nostris colligi potest, & tamen Frantzius putavit, se jure nos cavillatum esse.

Thes: 149. *Quod spectat ad superfluitatem in cibis, potu, vestitu, conviviis vitandam, etiam vetus & nova scriptura conspirant. Quod igitur luxuriam in V. F. concessam fuisse docent, falluntur.* Iterum suo more lucem fugit Frantzius, dum veterem scripturam pro Lege reponit. Nos in Lege negamus ea esse omnia prohibita, quæ in Evangelio prohibita sunt. Deinde voce *Luxuriæ* captiosè utitur. Potest enim eâ summus excessus in cibo & potu & vestitu significari, qui etiamsi in lege permissus non esset, non sequeretur tamen, idem in ea prohibitum esse, quod in Evangelio. Hoc enim non tantùm summum, sed omnem etiam minimum excessum in istis rebus damnat, dum nobis continentiam commendat. Præterea lex excessum in istis rebus damnat, quatenus cum proximi in commodo vel injuria & cōtemtu conjunctus est: Evangelium verò simpliciter & absolutè. Vbi enim a mundo sese puros servare, vel mundum, & ea, quę sunt in eo, non diligere jubentur antiqui Dei sub lege cultores? quæ tamen salutaria & magna sunt Evangelii præcepta. Sed audiamus Frantziũ.

Christ⁹ minimũ in cibis, potu &c excessum vetat.

Thes: 150. *Deut: 21. 20. Filium epulonem & potatorem parentes ad judicem deferre, & ut lapidetur rogare jubentur. Si filium talem parentes ita tractare per legem jubentur, an putas, ipsis parentibus commessationes & compotationes immodicas fuisse licitas? sic Esa: 5. 22. væ omnibus denunciatur iis, qui sunt potentes ad bibendum vinum, & ad miscendum inebriativa. Ad hæc dicta certè nihil poterunt regerere adversarii*

versarii. Multiplex in hac priori ratiocinatione vitium est. Nam primùm in certis tantùm hominibus vitium illud comessationis reprehenditur; & longè diversa sunt, filium potatorem ad judicium deferre licuisse olim, & possessori bonorum licuisse illis pro arbitrio suo uti. Non enim ita injuriam inferebat pater filio, & nemini ullam is, qui nullam habebat prolem, si ex suis bonis genio indulgeret, quemadmodum filius patri inferebat, qui bona aliena dilapidabat: Evangelium autem Iesu Christi omnibus, qualescunque tandem sint, & quomodocunque liberi, comessationes interdicit, etiam ipsis principibus & regibus, quibus nunquam sumtus deesse possunt. Deinde aliud est, commessationibus perpetuò vacare: aliud est interdum vel etiam crebrò iis indulgere. Hoc enim absque jactura omnium bonorum esse poterat, illud minimè. Et hæc fortasse lex prohibuisse dici potest: At Evangelium omnem prorsus comessationem interdicit. Porrò non ob id solum, quòd filius comessationibus & conviviis indulgeret, parentibus licebat eum in judicium trahere, sed quòd contumax & protervus esset, & monita patris ac matris audire contemneret, ut ibidem additur, quæ longè graviora esse comessationibus & conviviis nemo nescit: Evangelium verò ob solas comessationes homini æternam damnationem denunciat. Denique licebat quidem parentibus id facere, quod in loco citato describitur; Interim verò poterant id etiam non facere: Nobis verò de eo sermo est, quod præcisè præcipitur, & salutem hominibus adimit. Non constat autem, pœnam fuisse destinatam parentibus, qui talem filium ad judicium pertrahere negligerent. Cur verò iterum addit Fr: *immodicas* comessationes & compotationes licitas non fuisse sub V. T. parentibus? Fortassis dicturit, sub Evangelio comessationes & compotationes non immodicas esse licitas? quod suis quidem facilè persuadebit, at non veris Christianis. Hodie enim sub Evangelio nullæ comessationes, nec modicæ etiam, licitæ sunt. Quod ex Esaia affertur, illud huc nihil facit, primùm quòd non in lege prohibitum esse censeri possit id, quod, multis post latam legem seculis, ab uno homine divino, non omnibus in universum præceptum, sed quibusdam tantùm annunciatum fuit: cùm in Evangelio omnibus in universum disertissimè id a Christo prohibitum sit. Deinde quòd ibi non omnis voluptas, quæ in potu consistit, prohibeatur, sed tantùm excessus isque crassus, qui per surrectionem mane ad potandum, & per durationem usque ad vesperam, & æstuationem vini, ut ibidem additur, significatur: cùm in Evangelio minimus excessus disertissimè prohibeatur. Prohibetur enim, ne corda nostra aggraventur crapula

Lex quibusdã, Christus omnibus comessationes interdicit.

Christus omnem comessationem vetat.

Christus ob solam comessationẽ minatur mortem.

Sub N. F. precisè damnatur comessatio.

pula & ebrietate, minimo autem excessu crapulæ & ebrietatis aggravari cor hominis, nemo nescit.) Denique quòd non simpliciter ista a propheta reprehendantur, sed certo respectu, qui v:11. his verbis exprimitur: *Væ qui confugitis mane ad ebrietatem sectandam & potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis. Cythara & lyra & tympanum & tibia & vinum in conviviis vestris. Et opus domini non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis:* Cùm in Evangelio simpliciter omnino ista omnia prohibeantur. Viden' benevole lector, quàm facilè & quàm non pauca responderi potuerint ad hanc frivolam Frantzii elusionem potiùs quàm refutationem: Et tamen Frantzium ita gloriari non puduit: *Ad hæc dicta certè nihil poterunt regerere adversarii.* Quam cautè igitur ei fides adhibenda, & quid de ejus ante victoriam triumpho cantato sentiendum sit, tibimet, pie lector, judicandum relinquimus.

Thes:151. ait. *Quod Ostorodus putat Es:3. luxum vestium muliebrium non per se taxari, sed propterea, quòd Dei oblitæ fuißent filiæ Sioniæ: absonum est. Quid enim quæso ibi recitatur, quod non per se dignum sit magnis execrationibus, ut superbia & lascivia gestuum* &c. Ostorodus verò planè non affirmat taxari luxum vestium muliebrium apud Esaiam. Quomodo igitur ob causam aliquam, vel eam, quam Frantzius affert, eum taxari diceret? Ait enim, beneficia divina eo in loco filiabus Sioniis exprobrari, & minas eis proponi secuturæ mutationis. Qui verò beneficia exprobrat, is ea, quæ exprobrat, non taxat, sed tacitè commendat, & commendata esse vult: Qui itidem minatur ademtionem vestium elegantium ob peccata, is vestium elegantiam obedientiæ præmium fuisse, satis manifestè docet. Nec ideo Deus minatur filiabus Sioniis, quòd sordidas vestes & nuditatem eis immissurus sit, quia luxu vestium in Deum peccassent: sed quia tunc, cùm vestium luxu, Dei benignitate, abundarent, Dei oblitæ fuissent, & superbiâ & lasciviâ suâ in Deum peccassent. Ineptè igitur addidit hæc verba Frantzius: *Quid enim quæso ibi recitatur, quod non per se dignum sit magnis execrationibus, ut superbia & lascivia gestuum* &c. Quasi non sint diversa, luxus vestium & talis gestuum lascivia, & quasi non possit hujusmodi lascivia abesse ab ea, quæ vestibus induta est splendidissimis & pretiosissimis.

Causa minarum. Esa. 3.

Sectio Duodecima est. An Christus aliquid adjecerit præcepto de non dicendo falso testimonio.

Thes:152. *Ad hoc præceptum in novo testamento etiam novam ἐπεισαγωγὴν venisse*, Ostorodus & *Catechismus Schmaltzianus produnt, nimirum admonitionem de vitandis mendaciis, conviciationibus, contentionibus,*

tentionibus,& similibus. Hîc tantùm moneo, in Catechismo nostro non dici, quòd hæc sint addita ad præceptum legis, sed quòd huc pertineant. Deinde non dicitur, ad præceptum hoc pertinere admonitiones de vitandis mendaciis, sed dicitur de mendaciis qualibuscunque, sive ab animo fallendi cupido, sive ex levitate proficiscantur. Nam mendacia quædam aliud nihil sunt, quàm falsum illud testimonium, quod adversus proximum dicere, lex ipsa prohibet, quæ interim mendacium profectum ex levitate non ita præcisè damnare videtur. Denique in Catechismo nulla fit mentio convitiationum & contentionum, sed obtrectationis & damnationis, quæ vicina esse dictioni falsi testimonii nemo negabit: at ista huc non itidem faciunt.

Thesi: 153. est. *Operæ prætium autem est, expendere Verba Ostorodi de his rebus, quæ sic habent:* Thes: 154. *De temperantia in sermone, nihil legimus in Mose, quòd Deus expressè prohibuerit inutiles sermones, iocos, aulicas scurrilitates, imo etiam mendacia, convicia, maledicta, quemadmodum hæc omnia sunt interdicta in* N. T. I. *Cor*: 5. 11. *&* 6. 10. *Galat*: 5. 20. *Eph*: 4. 31. *&* 5. 4. *Colos*: 3. 8. 9. *Iacob*: 3. Hîc iterum monemus, Ostorodum ista quidem verba scribere in institut: sua Germanica fol: 221: sed non addere, se ea habere pro additamento ad hoc præceptum nonum Decalogi, quod ei affingit Frantzius. Itaque cum sua umbra pugnat Frantzius, & interim susque deque habet, respondere ad ea, quæ in Catechismo ad hoc præceptum pertinere indicata sunt, & in lege interdicta esse probari non potest, nempe de obtrectationibus, detrectationibus & damnationibus. Sed nunc audiamus Frantzium.

Thesis 155. est. RESPONDEMUS, *Explicationes octavi præcepti multas esse in V. T., & sunt Exod*: 23. I. *&* 7. *verba nimis clara, Non assumes rumorem falsum mendacii, Item à sermone falso recedes. Levit*: 19. II. *Nec mentiamini quisque in proximum suum. Psal*: 15. 2. *In monte sancto habitabit, qui loquitur veritatem in corde suo.* At ea, quæ ex Exod: & Levit: adducuntur, nihil sunt aliud, quàm hoc ipsum, quod in hoc præcepto nono prohibetur; nec explicatio ejus ullo modo, sed iteratio censenda sunt, quemadmodum etiam alia Decalogi præcepta, aliis in locis repetita, non pro explicatione eorũ habenda sunt. Idem etiam statuendum de istis locis, quæ de mendacio prohibito afferuntur. In illis enim mendacium illud, quod est falsum testimonium, & quod animo nocendi alii suscipitur, & nullum aliud, significatur: ad mendacia verò, quæ extra hanc speciem varia esse & ex alia causa proficisci possunt, non nisi ineptè pertrahuntur.

Repetitio præceptorum, & eorum declaratio differunt:

Thes:156.est.*Similiter adversus obtrectatores, calumniatores, convitiatores loquitur Psal: 15. 3. quòd in monte sancto habitabit, qui non detrahit lingua sua, non facit proximo suo malum, & opprobrium non accipit contra propinquum suum. Vide etiam Ps: 34. 14. 15. Unde patet easdem esse prohibitiones in utroque Testamento de his vitiis.* Hîc primùm nihil ex lege Mosis affertur, sed ex Psalmis. Psalmi autem nec ita Evangelio opponi possunt, nec ita ad omnes pertinere potuerunt, quemadmodum Lex, ut jam non semel docuimus. Deinde possunt quidem eadem ferè verba reperiri apud Davidem, vel prophetam alium, quæ in Evangelio inveniuntur, & tamen alium sensum sub Evangelio, alium sub Lege admittere. Sub lege is detrahebat proximo suo, & opprobrium admittebat adversus proximum, qui alienæ famæ insidiaretur, & eandem omnibus rationibus pollutam cuperet: At sub Evangelio longè hoc latiùs patet. Nam & is alicui detrahere dicitur, qui, licet de tali nequitia non cogitet, interim tamen, vel iracundiâ vel levitate ductus, sæpe id facit aut dicit, quod alicujus existimationi nocere possit. Hoc, quod de duplici sensu eorundem verborum, secundùm duplex fœdus, diximus, ita se habere, sequentia Psalmi verba etiam docet, *nec fecit proximo malum*. Facere enim malum proximo suo, secundùm Evangelium ita latè accipi potest, ut multa comprehendat, quorum nulla in lege fit mentio, qualia sunt illa omnia de vindicta in lege permissa per magistratum: At secundùm legem ad ea tantùm mala restringenda sunt hæc verba, quæ tanquam mala lex prohibet disertè, & non ad ulla alia. Idem etiam de Psal: 34. v: 14. & 15. sentiendum omnino est. Dum enim ait David: *Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Recede à malo & fac bonum*, non de omni in universum malo vel bono, quod nunc etiam sub Evangelio malum vel bonum est, eum loqui, sana dictat ratio: sed de eo tantùm, quod tunc bonum vel malum esse sub lege constabat. Quomodo etiam paulò ante in eodem Psal: v: 13. dicitur, *quis est homo, qui vult vitam (&) diligit videre dies bonos*. Quæ verba ex mente legis, ad vitam hanc temporalem diuturnam & beatam, ex mente verò Evangelii ad vitam æternam referenda sunt. Sunt autem pro sapientia divina ita expressa, ut ad utramque, pro diversis temporibus, referri possint: nempe ad eam vitam & eos dies bonos, qui pro ratione fœderis promissi fuerunt. Præterea facilè concedi potest, Davidem & alios prophetas, spiritu, quo præditi erant, multa perspexisse, quæ alii ante eos non perspexerunt; & literis etiam prodidisse, quæ sibi tunc a Spiritu sancto dictabantur, non in eum finem, ut omnes dicto illorum audientes essent, sed ut constaret iis, ad quorum

Eorundem verborum diversus sensus esse potest, sub diverso fœdere.

Plus scientiæ in prophetis aliis, quàm in Mose esse potuit.

aures

aures illa pervenerunt, quàm multa Deus ab hominibus requirere jure potuerit, quæ tamen, generatim loquendo, non requisierit. Itaque non ex his norma & regula vivendi petenda erat: sed ex iis, quæ Deus omnibus patefacta publicè esse voluit. Non potuit autem Frantzius invenire locum ullum in V. T., in quo prohibeatur, ne judicent alii alios aut damnent: Et tamen Christus ita ista interdicit, ut judicatum eos & damnatum iri affirmet, qui ista faciant. Et si tamen aliquid, quoad verba simile, invenisset: sensu tamen longè diversum esset ab eo, quod Christus præcipit. Addam autem hîc insuper unum, quod, quàm graviter Frantzius & omnes alii cum eo errent, qui hanc differentiam legis & Evangelii non agnoscunt, unumquemque docere potest. Eandem proximi in genere & in specie dilectionem fuisse sub lege, quæ nunc est sub Evangelio, quis sanæ mentis dicere audebit? cùm diras imprecationes ex ore eorum, qui tunc sanctissimi habebantur, prodiisse legamus, ut inter alios Eliæ & Davidis in non paucis Psalmis exempla docent, quas si quis nunc ita proferret, & seriam ejus rei pænitētiam non ageret, salutis æternæ jacturam certo certiùs faceret, teste Apostolo, 1. Cor: 5. 11. & 6. 10.

Lex judicia & damnationes non vetat.

2. Reg: 1. 12.

Thesis 157. est. *Quod his vitiis præditi, in V. T. fuerint vitandi, (sicut 1. Cor: 5. cum mendacibus edere prohibemur.) itidem satis clarè dicitur Psal: 101. 4, 5, 63. Detrahentem in secreto proximo suo, hunc succidam. Non habitabit in medio domus meæ faciens dolum, loquens mendacia non firmabitur coram oculis meis.* Atqui hæc verba Davidis, non quid alii facere debuerint, sed quid ipse fecerit, tantùm docent. Quomodo igitur pro regula omnibus data haberi possunt? Deinde aliud esse crediderim, hunc succidam vel perdam, ab eo, quod Paulus convitiatorem vitare jubet. Hoc Christi jubet Evangelium: illud minimè. Et tamen idem dicunt David & Paulus secundùm Frantzium scilicet.

Lex convitiatorem vitare non jubet ut evāgelium.

Thesis 158. *Quòd corporalibus & æternis pænis destinati sint tales homines, patet ex communi conclusione legis, Deut: 27. Maledictus qui non facit omnia, quæ scripta sunt in lege. Ad quam legem certè pertinent non tantùm, quæ in ipsa lege, sed etiam in Psalmis & Prophetis, tanquam uberioribus legis explicationibus ex magna parte, prohibentur.* Atqui in lege scripta esse ea, de quibus nunc sermo institutus est, controvertitur: & scripta non esse, satis prolixè hactenus demonstratum fuit. Nemo igitur ob ea maledici potuit. Sentiens Frantzius ita responderi posse, occurrit huic rei, sed frustra. Ad legem enim Mosis pertinere Psalmos & prophetas, certo tantùm respectu, non verò simpliciter & absolutè, dici potest. Pertinent, quatenus prophetæ & David tunc temporis vixerunt, cùm adhuc duraret lex & vetus fædus: non pertinent,

Quatenus prophetæ ad legem pertineant, quatenus non.

tinent, quatenus præcepta, quæ in eis continentur, non pro universalibus vivendi regulis, quas omnes sectari tenebantur, quales erant eæ, quæ in lege sunt propositæ, habenda sunt; sed pro singularibus. Nec enim absurdum erat, sub lege etiam extare quosdam divinos homines, qui spiritu suo in quibusdam propiùs ad Evangelium accederent, quàm alii. Quanquam in omnibus fortasse prophetis, & ipso etiam Davide ea conspecta fuerunt, quæ nunc nullo modo Deo probari possent. Cujus rei, ut antea etiam diximus, locuples testis est, crebra

1.Reg.2.8,9. Davidis imprecatio, & iam iam morituri oratio, quâ filium Solomonem monet, ut viam inveniat, pro sapientia sua, ulciscendi Semeium, qui annos multos antè convitia in eum jecerat. Quod si quis hodie faceret, salutem æternam perderet.

SECTIO DECIMATERTIA est: An ad postrema duo Decalogi præcepta aliquid adjecerit novi Christus in N.T.

Vltima duo Decalogi præcepta unum sunt.

Duo hæc esse Decalogi præcepta, Frantzius nunquam probabit, cùm unum, vel res saltem unius generis tantùm, in omnibus verbis prohibeatur. Et hinc est, quòd in Exodo non dicatur; *Non concupisces domum proximi tui: non concupisces uxorem ejus*; ut hodie faciunt Lutherani: sed post verba, *non concupisces domum proximi tui*, adduntur hæc verba, *nec desiderabis uxorem ejus*; quo loquendi modo, *nec desiderabis*, nunquam usus fuisset Moses, si pro diversis præceptis ea verba haberi voluisset. In Deuteronomio verò, quod ἀνακεφαλαίωσις

Deut.5.21. quædam legis est, verbum concupiscendi in altero præcepti membro planè omissum est, & priùs concupiscentia uxoris quàm domus prohibita est; & ita verba sunt collocata, ut manifestè appareat, unum tantùm præceptũ in illis contineri. Sunt autem verba: *Non concupisces uxorem proximi tui, non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem*, &c. Ad constituenda verò duo præcepta necessaria omnino esset verbi concupiscendi repetitio: Nec porrò ita facilè commutari verba potuissent, ut loco domus, quæ in Exodo præponitur, uxoris primùm mentio fieret, ut fit in Deuter. Et quemadmodum ridiculum esset, si quis ex eo, quòd in Deuter: primùm prohibetur concupiscentia uxoris, deinde domus, vellet extruere præceptum unum de non concupiscenda uxore proximi, alterum de non concupiscenda domo: (nam hac ratione liceret etiam tertium & quartum præceptum constituere, ex eo, quòd prohibetur concupiscentia agri, servi, &c. quod falsum esse numerus Decalogi convincit) sic ridiculum prorsus est, ex eo, quòd in Exodó priùs prohibetur concupiscẽtia domus, deinde concupiscentia uxoris, extruere unum præceptum de non concupiscenda domo, alterum de non cõcupiscenda uxore proximi.

ximi. Nam hac ratione etiam ex aliis, quæ deinde prohibentur, liceret præcepta plura conficere, & sic loco Decalogi, sedecim haberemus præcepta. Si quis verba in Exodo repetita urgeat, *Non concupisces domum proximi: non concupisces uxorem ejus*, jam dictum est, verba non ita esse concepta, sed alio modo, nempe, *Nec desiderabis uxorem ejus*, quæ non rem novam, sed priori similem tantùm prohiberi arguit. Si verò aliquid novi & prorsus diversi prohiberetur, non ita locutus fuisset alibi Moses, ut appareat, eum non tantùm pro diversis præceptis ea non habere, sed etiam ordinem prohibitorum immutasse: & quorsus statuendum videtur, in Mosis verbis, quæ in Exodo scripta extant, repetitionem esse vocis concupisces, parum necessariam, & planiùs atque accuratiùs eandem rem in Deuter: esse conceptam & expressam. Hæc quidem leviora sunt, quàm ut ita prolixè tractentur: sed facit pertinacia istorum hominum, quibuscum res nobis est, ut isto modo erroris illos convincere coacti quodammodo simus.

Thesis 159. *Postrema duo præcepta in Catechismo Racoviensi Photiniani ita explicant, quòd in eis secundùm Mosen in animum inducere de rebus proximi ad nos per iniquissimos modos devolvendis: secundùm Christum verò etiam oblectationem ex rebus proximi conspectis capere prohibeamur.* Verba Catechismi sic habent: *Concupiscere ea, quæ proximi sunt, quod Moses prohibet, est in corde constituere, ut rem proximi tui, quam appetis, consequare, etiam inquissima ratione.* Differunt autem in animo constituere, ut consequaris rem proximi, etiam iniquissima ratione, quod habet Catechismus: & in animum inducere de rebus proximi ad nos per iniquissimos modos devolvendis, quod Catechismum affirmare ait Frantzius. Hæc enim oratio aliud nihil quàm fraudem & dolum sonat: illa verò fraudem & dolum, a modis pertrahendi ad se aliena, tantùm non excludit. Et hoc monere tantùm volui.

Thesis 160. *Cùm autem diversitatis hujus nullum fundamentum aut locum scripturæ Catechismus alleget, nos eadem facilitate inter hæc duo præcepta in V. & N. F. nullum discrimen esse asserimus, quá iste aliquod fingere voluit.* Locum scripturæ allegare, non est necesse, si ratio sit manifesta, quæ suadeat, differentiam statui posse concupiscentiæ, & aliam tunc licuisse, aliam nunc non licere. Manifestum est autem, & eum concupiscere, qui de alienis rebus ad se pertrahendis cogitat, quibus potest mediis aut rationibus; & eum, qui, licet nondum de illis mediis tentandis cogitet, jam tamen animo concepit concupiscentiam rei alienæ. Illam propriè sub lege prohibitam fuisse, vel hinc constare potest, quòd omnia, quæ in lege Mosaica, ut etiam in aliis humanis

Diversitas concupiscẽtiæ in V. & N.F.

manis legibus prohibita sunt, potissimùm ad pacem & societatem humanam conservandam præcepta sunt; hæc verò mera cogitatione violari aut rumpi nullo modo potest: At sub Evangelio, ubi cordis puritas maximè spectatur, & hoc unicè requiritur, ut coram Deo simus integri, non tantùm tentatio mediorum vel rationum, quibus quis aliena ad se pertrahere cogitet, sed etiam ipsa cogitatio de pertrahendis ad se alienis, vitio jure vertitur. Cur enim id liceat cogitare, quod facere non licet? Quæ ratio breviter etiam in Catechismo annexa est.

Thes: 161. est *Antequam locum de præceptis à Christo comple... redditis concludat Ostorodus, unum adhuc subjicit ipsi visum ἀδιάκτον de dilectione proximi Ioh:* 13.34. *&* 15.12.13.1. *Ioh:* 3.16. Th: 162. *Cùm enim in locis hisce Christus mandet, ut pro fratre etiam animas ponamus, atque hoc vocet novum præceptum, petit simile aliquid ex veteri Testam: sibi demonstrari: Immò quia novum (inquit) est, utique antea planè non fuit, sub V.T.* Thes: 163 est: *Bona verba quæso, Ostorode, & festina lentè. An non tuus Socinus in lib: de serv: part:* 2. *cap:* 8. *fol:* 115. *ex Ioh:* 10. 11. 15. *hæc duo opponi testatur* 1. *instar mercenarii fugere in periculis.* 2. *animam ponere pro ovibus, hoc est, etiam inter pericula & cum periculo oves pascere. Sic igitur secundùm Socinum tuum, pro fratre animas nos omnes ponere, hoc est, nihil laboris, odii, periculi pro ipso juvando fugere debemus. Et an non hoc ipsum in V.T. præcipitur, locis multis, de paupere eripiendo ex faucibus potentiorum oppressorum. Esa:*1.17. *Ierem,* 22.3. *judicate pupillo, judicate viduæ. Liberate oppressum de manu opprimentis &c. Num hæc sine odiis & periculis fieri queunt? Alia exempla ad latiorem declarationem reservo.* Idem etiam a te peto, mi Frantzi, bona sc: verba, & ut lentè festines. Statim autem apparebit, te, pudore suffusum, optaturum, ut revocari possent ista tua audacula verba: *Mutire ausit adversus hæc Ostorodus*, quæ sanè, tibi ita imprudenti excidisse, mirum est. Fatemur, animam pro aliquo ponere, esse alicuius causâ periculum mortis subire. Doce igitur Frantzi, hoc præceptum fuisse sub lege vel in lege Mosis, omnibus, qui vellent haberi pro veris Dei cultoribus. Locum ex ipsa lege nullum allegavit Frantzius. Unde sperare juvat, eum nullum in ea invenire potuisse. Quæ verò ex prophetis, Esaia & Ierem adducit, quid hæc ad rem faciunt? Nolo nunc illud persequi, quod jam non semel dictum est, non esse paria prorsus præcepta prophetarum legis præceptis; nec ita ad omnes in universum posse pertinere, quemadmodum præcepta legis pertinuerunt, tum quod tempore posteriora fuerint, tum quod ad paucorum omnino notitiam pervenerint.

Lex non jubet animã ponere pro alio.

venerit. Hoc nunc dico, primùm locum Esaiæ ad judices & principes potissimùm pertinere. Sic enim habent verba Esaiæ v:10. *Audite verbum Domini principes Sodomorum* &c. & iterum v:23. *Principes tui infideles, furum socii sunt, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non judicant, & causa viduæ non ingreditur ad illos.* Ieremias verò sic habet v:1. cap:22. *Hæc dicit Dominus: Descende in domum regis Iuda & loqueris ibi verbum hoc, & dices: Audi verbum Domini, rex Iuda, qui sedes super solium David, tu & servi tui & populus tuus, qui ingredimini per portas has* &c: Nos verò de re, quæ ad omnes in universum spectet, agimus, ita ut, etiamsi hæc loca aliquid de positione animæ pro aliquo continerent, nullo modo tamen paria censeri possent illis, quæ a nobis ex Evangelio afferuntur. Deinde quomodo est, non dico paritas, sed similitudo inter ea, quòd quis jubetur defendere viduam & pupillum, vel eundem eripere de manu opprimentis, & quòd quis jubetur animam suam ponere pro alio? Nonnè alterum sine altero esse potest optimè? At ait Frantzius: Num hæc sine odiis & periculis fieri queunt? Dico fieri posse defensionem viduæ, & liberationem oppressi de manu opprimentis sine ullo periculo. Nam quod periculum metuat judex, præsertim princeps absolutus? maximè si consideretur, liberationem oppressi non continere aliquam belli pro illo susceptionem, sed tantùm causæ illius secundùm leges & justitiam cognitionem. Hoc sentiens fortasse Frantzius, callidè ad vocem periculi & mortis (hoc enim per positionem animæ significatur) addidit *odia*. Atqui in phrasi, ponere animam pro aliquo, nulla facta fuit mentio odii. Certissimum igitur est, Frantzium nihil afferre potuisse, quo probaret, in V. T. præceptum esse, ut ponatur anima pro aliquo. Quæ ille exempla ad latiorem declarationem se reservaturum ait, ea qualia futura sint, ex his, quæ jam attulit, colligere est. Nam proculdubio aut fortissima attulit, aut infirmiora afferendo, imprudentem causæ suæ defensorem se prodidit.

Thes: 164. *Hoc ipsum igitur etiam vetus fuit mandatum, toto V. T. decantatissimum, & quia à pharisaico fermento diu pene obliteratum jacuerat, atque tum à Christo cum reliquis repurgabatur, iccirco novum dicitur. Idem tamen mandatum in uno capite nimirum 1 Ioh: 2. dicitur & vetus & novum. Mutire ausit adversus hæc Ostorodus.* Præceptum de ponenda anima pro alio, vetus mandatum toto V. T. decantatissimum fuisse, affirmare, ipsissima est audacia & ignorantia. Nam nec verba eadem uspiam habentur, nec sensus eius ex universo codice sacro V. T. elici unquam poterit. A pharisaico verò fermento quomodo obliteratum jacere, vel quomodo a Christo repurgari potuit, quod

it, quod nunquam extitit, vel præceptum revera non fuit? Ergo non novum ob repurgationem, sed ob primam sui tunc temporis revelationem rectè & propriè dictum est. At habet Frantzius quo se erigat: In uno cap: Iohan: idem præceptum dicitur & vetus & novum. Et hinc ista audacula gloriatio: *Mutire ausit adversus hæc Ostorodus*. Verùm duo sunt, quibus tota ista gloriatio in nihilum redigi potest. Prius est, quòd non constat, verba Ioannis de præcepto charitatis vel præcepto ponendi animam pro alio, accipienda omnino esse. Nam sive antecedentia spectes sive subsequentia, non apparebit, hæc verba necessariò ad hoc præceptum charitatis pertinere. Imò aliquid contrarium fortassis ex iisdem colligi poterit. Nam in præcedentibus a v: 3. disseruerat Ioannes, de vero cognitionis Dei documento, quod est, mandata ejus observare, quod idem per antithesin amplificat v: 4. Iam quod v: 3. dixerat, eum Deum cognovisse, qui mandata ejus servet, id aliis verbis v: 5. repetit, dum dicit: *Qui autem servat ejus verbum, in hoc charitas Dei perfecta est, in hoc cognoscimus, quoniam in ipso*(nempe Deo)*sumus*. Nam charitas ista Dei perfecta, & illud, in Deo esse, idem sunt cum eo, cognoscere Deum. Hanc eandem rem, quam v: 4. semel exposuerat D. Ioannes, suo more & ob præstantiam ejus & necessitatem summam repetens, ait, *Qui dicit se in ipso manere, debet, sicut ille ambulavit & ipse ita ambulare*. Et his dictis addit: *Fratres, non mandatum novum scribo vobis, sed mandatum vetus, quod habuistis ab initio*. Vnde facilè quivis colligere potest, præceptum non novum vel vetus, esse, ita ambulare, sicut Christus ambulavit. Quod ad subsequentia attinet, etiamsi ibi dicatur, *iterum mandatum novum scribo vobis:* tamen non additur, mandatum illud esse mandatum de diligendo fratre, sed post commendationem generalem mandati novi, per hæc verba: *quod est verum in ipso & in vobis*, statim explicari videtur, quod scilicet hoc sit, *quòd tenebræ transeant, & lux vera jam luceat*, hoc est, quòd non liceat ampliùs in ignorantia & impietate vivere, sed cum vera divinæ voluntatis scientia, veram etiam pietatem conjungere oporteat. Hujus verò pietatis vel præcepti novi præcipuam partem esse, dilectionem proximi, sequentibus verbis apertissimè indicatur, dum ait: *Qui dicit (se) in luce esse, & fratrem suum odio habet, in tenebris est usque adhuc*. Sed fac deinde, (ut alterum, quod Fran: gloriationem retundere potest, afferamus) Ioannem de præcepto diligendi fratrem propriè loqui, & illud jam vetus jam novum appellare, num hinc protinus consequetur, vetus præceptum illud appellari, quia ante Christum exiterit æquè ut postea? nihil minus. Vetus enim appellatur ideo, quòd jam aliquod temporis spacium

Quid sit vetus præceptum apud D. Ioan.

Præceptum charitatis cur vetus & novum appelletur.

ſpacium durârit & immotum manſerit. Id autem ita ſe habere docet additio ad vocē *vetus*, iſtiusmodi, *quod habuiſtis ab initio*, & repetitio ejusdem rei, *Mandatum vetus eſt verbum, quod audiſtis ab initio.* Per hanc autem phraſin *ab initio*, quid Ioannes in Epiſtola ſua ſignificet, nemo indiligens neſcit, nempe initium Evangelii, ut cum ait infrà v: 24. *Vos igitur quod audiſtis ab initio in vobis maneat, ſi in vobis manſerit, quod audiviſtis ab initio & vos in Filio & in Patre manebitis.* Novum verò appellat illud præceptum, vel, quia non ita pridem a Chriſto eſſet annunciatum: vel quia explicatio, quam ejusdem allaturus erat Ioannes, de ponenda ſcilicet anima pro fratre, novum aliquid eſſet contentura. Videat nunc Frantzius, an mutire aliquis audere debuerit adverſus iſtas ipſius inſolentias, ad quas tamen non omnia ea reſponſa ſunt, quæ reſponderi poterant, quia aliqua ſaltem ad theſes reſcribendi modi habenda fuit ratio.

SECTIO DECIMAQUARTA eſt: Concluſio conſtans duplici notatione.

In hac Sectione jam diſputare deſinit Frantzius. Perſtringit autem partim noſtros in quibusdam: partim ſe & ſuos in quibusdam excuſat. Illud quàm juſtè, hoc quàm feliciter faciat, videamus breviter.

Theſis 166. eſt. *Apparuit autem ex hac ſeptima diſputatione illud, quòd meritò aliquis admiretur, nimirum omnia in veteri ſcriptura reperiri, & quidem vel à tyronibus reperiri potuiße, quæ tamen ipſi magna cum confidentia in iisdem extare negârunt.* Imò a Frantzio hoc affirmari potuiſſe, mirabitur fortaſſis, quisquis hanc noſtram reſponſionem vel inſpexerit tantùm. Credit Frantzius, ſe rem magnam præſtitiſſe, quòd conatus ſit oſtendere, eadem omnia contineri in lege, quæ in Evangelio: Interim non conſiderat, ſe dogma tale tueri, cujus eum meritò pudere deberet. Quid enim abſurdius, quàm ſentire, eandem eſſe doctrinam V. & N. T.? Cùm ipſa nomina Novi & Veteris apertiſſimam differentiam tacitè ſonent. Nam ſi eadem in Novo quæ in Veteri continentur, quid opus fuit nova hæc appellare? Corrupta caſtigare & repurgare, non eſt novum quicquam proponere. Nec minimo modo in Chriſtum injurius is eſt, qui eum Moſaicæ legis tantùm facit iteratorem vel correctorem. Ad hoc enim non Chriſto vel rege, ſed quovis propheta tantùm opus erat. Rex eſt Ieſus Chriſtus populi ſui. Regum eſt leges figere & refigere. Itaque Chriſtus, quas voluit leges divinas, ſartas tectas conſervavit, quæ ſcilicet a ratione pendebant; &, ut promiſſa nova attulerat, ſic etiam præcepta nova attulit: quas verò voluit, refixit, quæ ſcilicet a ſola legislatoris voluntate pendebant, vel certo populo ad certum tempus certis de cauſis

Cauſa novitatis præceptorum N. F.

traditæ erant. Haberemus sanè causam justissimam & amplissimam exagitandi adversarios,& eorum inscitiæ insultandi,si nobis propositum esset alios potiùs carpere quàm docere. Deum oramus,ut Evangelii luce eos, qui Evangelici nominari gaudent, collustret,ut veram Evangelii præ lege præstantiam,&suam præ Iudæis felicitatem,agnoscere queant.

Thesis 167. *Illud verò admirari desinet pius lector, si hoc quod sequitur expenderit. Photiniani toti pendere solent à novo Testamento,& à legibus à Christo in eodem N.T. (ut ajunt)completiùs redditis. Et apparent hinc inde in ipsorum scriptis(quæ hucusque videre contigit)rariores allegationes ex Veteri Testamento.* Ridiculus est Frantzius, qui semel mirari homines vult, & iterum tam facilè eos ab ista admiratione liberos facere novit. Falsum est absolutè loquendo,nos totos pendere a novo Testamento, & a legibus a Christo in eodem T.N.completiùs redditis. Multa enim præter ea,quæ Dominus Iesus nobis tradidit vel commendavit,præcepta ex lege admittimus, omnia scilicet,quæcunque ad mores pertinentia olim præcepta fuêre, & per Christum nec apertè nec tacitè sublata sunt. Porrò ipse sibi contrarius est Frantzius, ait enim, rariores apparere allegationes in nostrorum scriptis ex V. T.Si rariores apparent,apparent tamen: si apparent,quomodo toti pendemus ex N. T.? Cavillatorem etiam oportet esse memorem.Sed quid hîc præterea culpabile esse potest, Christianos totos a Christo pendere, & ejus præceptis, si id sobriè intelligatur? Nam quæcunq; ad Dei voluntatem pertinent, jure dici possunt omnia esse a Christo tradita. Et quid Paulus ait, dum jubet cavere ne decipiamur, vel per inanem philosophiam, Col:2.8,9. vel per elementa mundi (quæ sunt lex) quia scilicet in Christo habitet omnis plenitudo divinitatis corporaliter, hoc est, scientia divinæ voluntatis perfectissima &solidissima perpetuò in Christi doctrina conspiciatur? Mirare potiùs,benevole lector, Christianos reperiri posse, qui non toti pendeant a N. T. & legibus in eodem a Christo traditis.

Thesis 168.*Imò Ostorodus in institutione cap:28.part:3. in fine fol: 187. vetus Testamentum vocat imperfectum, novum perfectum adeoque illud huic cedere debere concludit.* Thesis 169. *Hoc quidem nos quoque verissimum esse concedimus,sed tantùm quoad V.T.umbras,ceremonias ac sacrificia repræsentantia mediatorem propediem affuturum, satisfacturum Patri cælesti: at in reliquis omnibus, nimirum quoad legem moralem & quoad Evangelium de promisso Christo,illud proclamamus esse toto cælo & tota terra, & si quid amplius est,plus quàm falsissimum.*

Media-

Mediatorem Christum Patri satisfacturum, fabula est magna. Vmbras,ceremonias,&sacrificia repręsentasse talem mediatorem,multiplex error est,ut suprà demonstratum. Legem moralem imperfectiorem fuisse sub V. fœdere quàm sub novo, jam puto probatum esse hac disputatione. Evangelium de promisso Christo sub V. F. vel nullum fuisse universale,vel si quod fuit,fuisse valdè obscurum in hac & superioribus disputationibus abundè docuimus.

Thesis 170. *Lex enim moralis in Pentateucho Mosaico ex Dei auctoris mente primum aphorismis verè divinis includitur, & mox pluribus legibus pro circumstantiarum varietate dilatatur,atque à Prophetis pro cujusque temporis urgente necessitate ex Spiritus S. suggestione explicatur & acuitur.* Sint hæc omnia vera, num hinc consequetur, legem moralem non fuisse imperfectiorem sub V.F.quàm in novo? nihil minùs. Potuit enim, quod a Deo profectum, quod pro circumstantiarum varietate dilatatum, quod a prophetis explicatum fuit, esse tamen imperfectum & deinde perfici. Itaque frustra thesi 171. legem moralem commendat, & eam omnes alias leges humanas superare contendit. Hoc enim totum est extra oleas vagari. Quanquam multa eorum, quæ in lege morali habentur, ante legem etiam cognita fuisse,& postmodum multas gentes tales leges condidisse,quales habentur in lege Mosis, ad quas tamen nulla Dei vel legis cognitio pervenerat,ipsa res loquitur.Imò perfectiores plęrasque leges fuisse humanas in quibusdam, quàm divinas, quæ in lege Mosis continentur, quantumvis fortasse absurdum alicui videri possit, certissimum tamen est.Nam raro lex humana aut olim permisit,aut etiam nunc permittit,aut etiam jubet, ut oculus pro oculo, dens pro dente excludatur. Viderunt scilicet homines prudentes, modum istum ulciscendi injurias,nimis esse homine sensato & cordato indignum. Indulsit autem Deus Israelitis hanc rationem ulciscendi, tum quia populum istum generatim loquendo sciebat esse puerilis judicii & injuriarum impatientissimum; tum quia vel hac ipsa ratione indicare voluit, succedere omnino debere correctionem ipsius legis, quæ talia permitteret, quemadmodum etiam ob eandem causam inter præcepta Decalogi,quæ æterna sunt, præceptum de Sabbatho relatum est.

Cur Deus quędam sub lege indulserit,quæ leges humanæ non probant.

Thesi 173. Causas affert Frantzius, cur leges ceremoniales & judiciales quædam abrogatæ sunt. Quo labore supersedere potuisset omnino. Nam quis illud nescit?& nos rationes, ut puto, paulò validiores ad idem demonstrandum variis in locis attulimus.

Thesi 174. ait, *Lutherum sapientissimè docuiße, gubernatores ex legibus judicialibus rationes & consilia salutaria conjectando colligere &*

invenire posse. Sed quid nos premit Frantzius Lutheri autoritate, qui omnium patrum Ecclesiasticorum autoritate a Pontificiis premi non vult? Quanquam nemo est, qui non concedat, posse ex politia Iudaica leges quasdam ad hodiernas politias transportari. Nam si Christi legibus non adversentur, nihil vetat, quominùs hodie etiam valeant; sed ad Christi populum accommodare promiscuè leges judiciales Iudaicas, est, Christo expulso, Mosen recipere. Frustra igitur ait Frantzius thesi 175: *Viderit igitur Ostorodus, quid respondere queat, quòd testimonia etiam moralium casuum de suppliciis capitalibus maleficorum contemtissimis excipit sannis.* Non sannis excipit Ostorodus istam sententiam, hodie inter Christianos receptam, de maleficorum suppliciis capitalibus: sed acutam nimis esse dicit eam charitatem, quæ Christi lex est ferè una & unica, quæ vitâ hominem maleficum privet, & ita occasionem ei ad Deum sese convertendi omnem præcîdat. Et semper respondebit is, qui cum Ostorodo facit, non esse admittendas eas leges Iudaicas judiciales, quæ Christi legi adversentur, quales multas esse hodie ipsa res loquitur. Christus enim rex regum est.

Leges V. F. judiciales nunc non valent.

Sub N. T. lex charitatis præcipua est.

Thesis 176. est. *Evangelium etiam de Mediatore Deo & homine satisfacturo pro peccatis totius mundi, in Mose, Psalmis & Prophetis revelari, illustrari, confirmari, tum quoad typos, tum quoad conciones: ecquis nisi magnus aliquis Antichristus negabit?* Hîc nihil est, nisi verba, quæ, quantumvis sint sesquipedalia, nihil nos moramur, qui omnia ex rationum momentis consideranda esse, Dei gratiâ, didicimus. Regerimus autem, neminem nisi Antichristum ejusmodi nugas ausum fuisse comminisci; & hodie per inscitiam multos eadem Antichristi commenta, tanquam alienum fœtum, fovere, & nequicquam lambere.

Thesi 177, 178, 179, 180, 181. ex Ostorodo refert, conquerente, quomodo hodie Christiana gens rudis sit in cognitione horum Christi præceptorum, quæ ipse legi addidit, & quàm injustè propterea Christi nomen sibi arroget, & ad ea sic respondet thesi 182: *Respondemus nos, & quidem distinctè. Initiò magnam injuriam fieri eruditis, cordatis & verè piis Theologis ac concionatoribus inter nos. Testes producimus publicos, publica ipsorum scripta, & aliqua quidem adeò acria, ut cum hominum vestrorum, Ostorode, acribus & pungentibus concionibus pugnare ausint.* Respondemus nos iterum, hoc non esse omnium, quod hîc ait Frantzius. Multi enim sunt, qui hoc tantùm non pro vitio habent, & indignum Ecclesiaste Evangelico, in peccata hominum severè invehi. Cujus rei testes adhibeo omnes inter Lutheranos viros cordatos. Deinde dicimus, eos, qui id faciunt, non constanter id

facere. Iam enim legem (ipsorum verba allego) acuunt, jam iterum Evangelicam gratiam nimis liberaliter promittunt, ut etiam ipsum Frantzium facere suprà non uno in loco annotavimus.

Thesi 183. *Fatetur eße plurimos, qui ignorent, quid docendus sit populus, non pauciores etiam, qui mediis illegitimis ad munus docendi aspirantes officio suo non fungantur, sed hominibus adulentur & commodis suis studeant.* Hoc verò quid aliud est, quàm id, quod fieri queritur Ostorodus? Quod verò de plurimis verum est, quomodo verum esse indefinitè dici nequit?

Sed thesis 184. est, *Christianum eße ter centies millies negamus, qui fidem suam in Christum moribus à Deo & Christo præscriptis & Christiano homine dignis non testificari studet, talemque vitâ æternâ tandem privari pronunciamus, utut in hac vita hypocriticè nos & seipsum decipiat.* Benè quidem ista & religiosè dicuntur, sed sine omni fructu. Nam qui ait, *eum, qui dicit Evangelium requirere opera ad salutem, mendacem eße; vel hanc esse primam & ultimam, pessimam & damnosissimam hæresin, quæ unquam in terra extitit, si doceatur, bona opera ad salutem neceßaria eße, & multa eße, quæ prohibeant dicere, opera bona ad salutem eße neceßaria*, quod facit infrà ipsemet Frantzius, denique qui *bona opera ad salutem non tantùm nihil conferre, sed etiam suo modo esse perniciosa*, publicè edito libro contendit, quid is proficiet, etiamsi ter centies millies neget, eum Christianum esse, qui non piè vivat? Si fructus aliquis sperandus sit ex concionibus ad populum de bonis operibus, non tantùm dicendum est, ea esse gratitudinis cujusdam indicium erga Deum, qui nos sine operibus servare decreverit (hoc enim est una manu ædificare, alterâ destruere): sed docendum est, bona opera & vitam piam esse complementum & formam fidei, & justificationis nostræ talem causam, sine qua ea perfici non possit ulla ratione: & tunc sperandum est, pietatem hominibus commendatam & cordi futuram. Quod ut omnes Christiani tandem intelligant, ex intimis animi sensibus Deum rogamus, & Iesum Christum Dominum nostrum, cui sit gloria unâ cum Patre in omnia secula, Amen.

Luther: in coll: mens: 175. fol.
Nicolaus Ambdorfius in præfatione super tomum 1. Ienens: Lutheri.
Disput: 14. Sect: 5.

REFUTATIO THESIUM D. WOLFGANGI FRANTZII, De Ecclesia.

Quæ est Disputatio ipsius octava.

IN hac disputatione Frantzius, nona demum sectione, contra nos aliquid directè scribere aggreditur: In præcedentibus obliquè tantùm nos pungit interdum. Itaque præcedentia ista non ex professo, sed tantùm quasi ἐν παρόδῳ inspiciemus potiùs, quàm exactè persequemur, & sicubi aliquid a veritate absonum esse nobis visum fuerit, in gratiam studiosorum Theologiæ & veritatis, annotare illud non negligemus.

Fabula est ingens & monstrosa illud, quod thesi 15. affirmavit, angelos ideo creatos, ut celebratione ac cultu æternæ SS. Trinitati serviant. Nulla enim Trinitatis, qualem scilicet fingit Fr:, in universo sacro codice fit mentio, nec ex illo ulla deductione demonstrari ea potest, nec cum ratione quicquam commune habet, quin imo & sacris literis & sanæ rationi contrarium est istud dogma. Asscripsit quidem Frantzius duos sacrarum literarum locos: Sed neuter eorum de cultu & servitio SS. Trinitati exhibito loquitur. Prior enim sic habet: *Cùm me laudarent simul astra matutina & jubilarent omnes filii Dei.* Alter locus est. *Laudate eum (Dominum) omnes angeli Dei.* Si dicat Frantzius, istum Dominum esse apud se Trinitatem, jam quid aliud agit, quàm quòd principium petit? Quod ab iis, qui disputant, fieri non debere, leges scholasticæ docere eum poterant. Simul enim atque illi, qui partes disputantium sustinent, obliti personarum, quas gerunt, alias sumunt, & quidvis decernunt, jam nullus est disputationi & investigationi veritatis locus.

Fabula etiam, sed minor est, quod Frantzius thesi 18. ait, *Diabolos in Apostasia contumaces statim factos fuisse, sine ullo dolore & sine ulla pænitentia.* Nusquam enim sacræ literæ id testantur, nec est, ex quo jure id colligi possit. Multò autem verisimilius est, Deum noluisse, ut dæmones, qui non nisi per malitiam & superbiam peccârant, resipiscerent. Quemadmodum etiam hodie Deus sæpenumero non vult eos ad se converti, qui excelso brachio (ut V. T. phrasi utar) & per summam malitiam aliquid insigniter malum faciunt, ut exempla

Cur angeli non resipuerint.

Pharaonis, Iudæ, & eorũ, de quibus Rõ:1.24,26.&2.Thes:2.10,11.legim⁹, docent. Nihil autẽ est, quod pro ratione quadam afferre videtur Frantzius, quòd hominem cum furore aggressi sint &c. Poterat enim is etiam sic se gerere, quem Deus repudiavit: Et præterea incertum est, a quo tempore definitè dæmones peccârint: verisimile omnino est, quòd longè vel non omnino paulò antè, quàm homo crearetur, ipsi peccârint & puniti sint.

De tempore lapsus dæmonum.

Fabula rursus magna eaque putida est, quòd thesi 19. affirmatur, *Deum homines seductos propter intercessionem mediatoris in gratiam recepisse.* Hæc enim nullo sacrarum literarum loco confirmari ullo modo potest, & nihil in se prorsus habet veri. Cujus fabulæ jam tempus esset, ut puderet homines, in tanta Evangelii ac veritatis luce.

Calumnia est in eo, dum thesi 21. ait, *magna agmina conspici istorum, qui verũ Dei cultum variis superstitionibus, idololatriis & blasphemiis polluunt,* & inter hos numerat etiam Anabaptistas. Audiamus enim, quas superstitiones ad cultum Dei verum pertinentes aut blasphemias (nam de idololatria quid opus est dicere?) teneant Anabaptistæ, qualescunque tandem sint. Frantzius verò discat parciùs ista viris probis obiicere, & falsa adversus proximum dicere metuat, qui aliis ad pietatem ineundam autor & dux esse debet.

Injuria facta anabaptistis.

Error est, dum thes: 25. Ecclesiam invisibilem partitur Frantzius in triumphantem & militantem. Nulla enim revera nunc est triumphans, sed olim futura est, cùm Christus Iesus venerit redditum unicuique secundùm opera ipsius. Nec quicquam huc facit locus Lucæ 20., quo dicitur, Abrahamum Isaacum & Iacobum, vel (si ita velis) omnes fideles Deo vivere. Potest enim is Deo vivere, qui nunc nullus est, modò constet, eum olim iterum victurum in æternum. Et certè non id propositum erat Domino Iesu, ut demonstraret, Abrahamum Isaacum & Iacobum nunc esse reipsa, sed eos ex mortuos resurrecturos. De hoc enim & non de illo quæstio erat instituta. Et si Abrahamus Isaacus & Iacobus ex mortuis sunt resuscitandi, quomodo nunc vivunt reipsâ Deo? cùm resuscitatio aliud nihil sit, quàm hominis, qui existare desierat, iterata existentia.

Ecclesia nunc triũphans nulla est.

Quid sit resurrectio.

In caliginem porrò quandam se abscondit Frantzius, dum ait thesi 26. quòd homo sinceros a corruptis & hypocritis discernere non satagit, non enim, *non satagit,* sed non potest homo certò discernere, dicendum erat. cùm nemo hominum corda humana, ex quibus metienda est omnis pietas, nôrit.

Nemo novit hypocritas.

Thesis verò 27. *Vnde quando de Ecclesia visibili quæritur, illa definitur congregatio sanctorum, in qua rectè docetur Evangelium & rectè ad-*

Etè administrantur sacramenta, & ubi in hac vita multi admixti sunt hypocritæ & mali, tum ex ministrorum tum ex auditorum partibus, quam nunc quoque considerabimus, planè futilis est. Ista enim sacramentorum administratio, ad constituendam naturam Ecclesiæ visibilis, aut non pertinet omnino, aut si pertinet, in recta doctrina continetur. Nam quomodo is, qui rectè docet Evangelium, sacramenta etiam rectè non administret, quæ & quorum administrationem doctrina Evangelica continet? Istud, verò *ubi in hac vita multi admixti sunt hypocritæ & mali*, &c. planè omitti potuit. Nam non necesse est, tales esse in visibili ecclesia, & ecclesia sine talibus (saltem naturâ ejus inspectâ) esse potest. Visibilis igitur ecclesia, est cœtus illorum, qui salutarem doctrinam Christi tenent & profitentur: Quemadmodum invisibilis ecclesia, est cœtus illorum, qui Christo verè confidunt vel obediunt. Reliqua in hac 3. sectione nunc lubens mitto.

In doctrina recta sacramentorum administratio recta cōtinetur.

v. Gers. L. de ... p. 49.

Ecclesia visibilis & invisibilis quid?

v. ... 3, 171, 180.

In QVARTÆ SECTIONIS, quæ est de causa efficiente Ecclesiæ, prima thesi, quæ est numero 30., ingens sese errorum & fabularum planè puerilium numerus oggerit. Vna est, quòd ait, Genes: 2. v: 16, 17. *Deum omnium primum fundaße & omnium sanctißimam purißimamque Ecclesiam, constantem duobus hominibus Adamo & Eva.* Indigna quidem sunt hæc examinatione & refutatione: sed non minùs indigna tantæ eruditionis viro. Quæ hæc est primùm fundatio Ecclesiæ, dum dicitur: *Præcepitque (Deus) ei dicens: Ex omni ligno paradisi comede: de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. In quacunque enim die comederis ex illa, morte morieris.* Hæc autem sunt verba v: 16. & 17. cap: 2. Gen. Deinde quænam hæc est Ecclesia, quòd Deus duos homines vel condidit vel consociavit? Quasi verò homines, ideo quia homines sunt, Ecclesia Dei sint, & non potiùs ideo, quia fidem in Deo collocaverunt. Fide autem in Deum præditos fuisse primos parentes tunc, cùm ista Deus ad eos loqueretur, proh quàm puerile est! Ecclesiam denique istam fuisse omnium sanctissimam & purissimam dicere, anile quiddam prorsus est. Vnde enim tanta erat sanctitas & puritas, cùm nulla esset recta faciendi vel occasio; sanctitas autem humana non nisi ex actionibus censeri possit? Quæ porrò ista erat Ecclesia sanctissima & purissima, quæ in tam levi præcepto Deo non obtemperabat? Innocentem si dixisset Frantzius fuisse (si modo Ecclesia dicendi sunt) tolerabilior esset error. Pudet me quidem istorum, & pænitet me temporis & operæ, quæ in his scribendis perdidi: Sed quid facias? Altum aliquid se sapere præ aliis credidisset Frantzius, si a nemine moneretur. Videtur hoc affectare Frantzius, ut de omnibus, quæ nunc disputantur

sub

sub N. T., aliquid etiam simile promere conetur ex veteri. Sed quàm felici successu, & quo fructu, & hîc apparet; & aliàs id ipsemet non semel experietur.

II. est, quòd Ecclesiam, ex lapsu perditam, Deum in Filio suo restaurare probat loco Genes: 3.15. ubi nec Ecclesiæ, nec Filii, nec restaurationis ulla mentio fit aut similitudo est.

III. est. Quòd ex eo, quòd Spiritus S. disceptaverit cum antediluvianis, Gen: 6.3., nescio quæ monstra opinionum colligit. Primùm ait, disceptasse Spiritum S., scilicet per Patriarchas tanquam vicarios. Hoc primùm unde natum est, vel unde collectum? Deinde quid ad thesin, in qua docendum, Deum esse causam efficientem superiorem Ecclesiæ? Si de Patriarchis tanquam vicariis (nempe Dei) sermo est, jam non de causa efficiente superiore. At ait Fr: colligi hoc ex 1. Pet: 3.18, 19, 20. Quomodo verò? Textus habet: *In quo* (spiritu) *etiam illis qui in carcere* (erant) *spiritibus profectus prædicavit, incredulis aliquando*, &c. Frantzius hoc ita resolvit, quòd Christus spiritu prædicaverit (certè per patriarchas) spiritibus olim immorigeris, cùm semel eos expectabat patientia Dei in diebus Noæ &c. Sed quot rursus hîc errores? Christum fuisse antequam nasceretur, magnus error est, vel saltem magna de eo controversia. Quomodo igitur Frantzius affirmare audet in disputatione de hac quæstione, Christum aliquid sub V. T. fecisse per aliquos? Et etiamsi Christus fuisset & ad istos spiritus venisset, unde constaret, illum venisse per patriarchas? & tamen (certè per patriarchas) eum venisse scripsit Frantzius. Prædicationem porrò Christi, quæ ad solam Evangelii annunciationem propriè spectat, imò ipsa Evangelii annunciatio est, ad qualemcunque rei alicujus annunciationem transferre, & pro eadem venditare, quid est nisi error crassus? Prædicationem denique, quam Christus in Spiritu (quo scilicet excitatus fuit, nempe Dei, ad hunc enim relativum *in quo*, respicit) & ita consequenter post resurrectionem suam demum perfecit, ad tempora antediluviana detorquere, quanta rerum ignorantia & intricatio? Mentem fortassis nostram desideras super hunc locum, benigne lector. Sed responsiones nunc damus, non explicationes. Alienos nunc errores detegimus: veritatis sententiarum Apostolicarum explicationem in aliud tempus reservamus, quod tamen propediem futurum pollicemur, si Dominus voluerit. Quanquam ea etiam suprà alibi annotata est.

IV. est, cùm dicit, *& Gen: 9.26. ubi Ecclesiæ post diluvium universale renovatæ mentionem injicere nobis per Mosen voluit.* Verba Mosis sunt: *Dixitque* nempe Noa, *Benedictus Dominus Deus Sem, sit Chana-*

an servus ejus. Quæ hîc mentio Ecclesiæ? Si mentio esset, quid ad propositum id faceret Frantzii? quod est, ostendere, Deum esse causam efficientem superiorem Ecclesiæ. Ita scilicet eos temerè multa affirmare oportet, qui quidvis ex quovis colligere summa vi conniтuntur. Reliqua ob similem absurditatem non persequor.

Thes: 31. est: *Eadem providentia divini Numinis singulis seculis sese extendit etiam pari amoris ardore ad convocandas ad Ecclesiam gentes alias, quæ non erant ex prosapia Abrahæ.* Quid falsius dici potuit? Parine amoris ardore providentia divina sese extendit ad convocandas ad Ecclesiam alias gentes, quæ non erant ex prosapia Abrahæ? Cur igitur alios elegit, & fœdus, quo ab aliis differrent, cum illis pepigit, alios verò repudiavit vel saltem neglexit? cur nullũ ad gentes extraneas, ut ad populum suum, prophetam misit? cur eos tanta internecione delevit, ut populum suum in eorum urbibus constitueret? Sed quid multis opus est? Cur Christus negavit se missum esse, nisi ad oves perditas Israelis? Cur Apostolis non permisit, ut irent in viam gentium? Cur Christus vult eum, qui Ecclesiam non audiat, haberi pro Ethnico, hoc est, eo loco, quo tunc habebantur a Iudæis extraneæ gentes? Cur denique Paulus (ut me in pauca contraham) destruendum fuisse ait parietem intermedium inter gentes & Iudæos, & tollendam inimicitiam, siquidem pari amoris ardore vocabantur a Deo gentes ut Iudæi?

Gentes sub V. F. nõ ita vocabantur ad populum Dei, ut nũc.

Mat: 15. 24. & 10. 5.

& 18. 17.

Ephes: 2. 14.

Nec refert, quòd vel Melchisedecus (de cujus origine nunc disputare nolo, ne Frantzium sciolum imitari videar) vel alius quis ex gentibus ad populum Dei ascitus sit, vel etiam in Psalmis mentio fiat rei alicujus inter gentes annunciandæ, quod ad hujus rei confirmationem th: 32, 33. affert Fr. Nondum enim hinc constat, pari amoris ardore providentiam divinam sese extendisse ad convocandas ad Ecclesiam gentes. Vnum Melchisedecum Ethnicum, (ut nunc illud concedam) & multas myriades Iudæorum vocare, impar amoris ardor. Quod verò in Psalmis de gentibus vel etiam omnibus gentibus dicitur, id non nisi mysticè ad extraneos referri potest, & non est novum per vocem gentium, Hebraicè, *Goim*, intelligi populum Iudaicum, consideratum scilicet secundùm varias suas tribus & familias. Quemadmodum etiam per omnem terram & fines orbis terræ interdum sola regio Iudaica intelligitur, Psal: 18. 5. Rom: 10. 18.

Exempla pauca non faciunt regulam.

Omnes gentes interdũ soli Iudæi intelliguntur.

Multò verò minùs illud valet, quòd Frantzius ait thesi 34. & 35., Deum jussisse prophetari, non tantùm adversus Israelitas, sed etiam adversus omnes ethnicos. Potest enim Deus adversus aliquem jubere prophetari, & eidem minari, si scilicet dignus sit pœnâ, etiamsi

amsi eum pari amoris ardore, quo alios, ad Ecclesiam non vocet: imò hujusmodi adversùs aliquem prophetiæ, contrarium sunt amoris.

Quod thesi 37. ait, *Quicquid veræ religionis fuit inter Ethnicos repertum, & quicunque Ethnico ordine salvati fuere, illud non ex natura, sed ex his divinitus factis revelationibus provenisse*, illud quidem verum est: sed nescio, an cum Theologia Frantzii conveniat. Solent enim alioquin Theologi ferè omnes affirmare, religionis & Dei cognitionem esse naturalem. Illud verò, *multos vel aliquos ex Ethnico ordine salvatos fuisse*, nisi sobriè accipiatur, nempe de iis ethnicis, qui Deum cognoverunt, audax est pronunciatum. Nam, sine fide impossibile esse Deo placere, sacrarum literarum testimonio confirmatum est. Extra quas sapere, desipere est. Ethnicum autem esse & fidem habere, contraria sunt. Ethnicus quatenus servari potuerit.

Thesis 38. est. *Causa efficiens inferior Ecclesiæ sunt ministri verbi, qui sparserunt omnibus seculis salvificam veritatem adeoque nomine Dei & Mediatoris Christi suo ministerio verbi & sacramentorum Ecclesiam genuerunt Gal:4.19. & exædificaverunt, Eph:4.12.* Locus Gal:4.19. de solo Paulo loquitur; & ad alios nullos, præter ei similes, referri potest. Locus Eph:4.12. ad solos itidem Ecclesiæ Christi pastores pertinet. Quomodo igitur Frantzius ista ad omnium seculorum verbi divini ministros pertrahere non veretur? Falsissimum autem est, omnibus seculis salvificam veritatem, quæ solum est Evangelium, fuisse sparsam, cùm solus Iesus Christus primus ejus præco fuerit. 2 Tim.1.10. Falsissimum etiam est, omnes ministros divinos omnibus seculis, nomine Christi mediatoris, aliquid fecisse. Falsissimum denique & ineptissimum est, eosdem ministros, ullo tempore, ministerio sacramentorum, Ecclesiam genuisse. Aut igitur ista tandem dicere omittat Fr:, aut probationes eorundem afferat.

Thesis 39. est. *Huc igitur pertinent λόγȣ seu oratoris æterni Patris interpretes & vicarii, qui enumerantur Gen:5: & 11. & Abraham, Gen: 18. 19. qui Gen:20.7. expreßè vocatur Propheta, nimirum, quia ut eo faciliùs ab omnibus audiretur, in tabernaculis degebat, & concionabatur, quem morem Isaac & Iacob etiam sunt imitati, adeoq; isti prophetas Dei, publicos profeßores & reformatores totius mundi egerunt; donec publica illa mundi Academia Hierarchia Israelitica, in Ægypto, deserto & terra Chanaan usque ad Christum natum cæpit, sicut etiam in hunc & in ultimum usque diem, Christus sedens ad dexteram Patris sui semper dabit aliquos Apostolos, aliquos Prophetas, Evangelistas, pastores & doctores ad ædificationem corporis Christi, Ephes:4.11.12.* Sino

nunc reliqua errorum plena: At hoc non annotare non possum, quòd Frantzius λόγȣ seu oratoris cujusdam æterni Patris, qui Christus proculdubio est, mentionem injicit, & suam nobis sententiam & opinationem ita crebrò & nudè obtrudit. Iam enim didicimus, Dei gratiâ, nullum talem oratorem æterni Patris extitisse, antequam nasceretur ex virgine Maria, Præterea quid opus est istis insolentibus locutionibus, homines pios Christi appellare vicarios, de quibus nihil manifestè constat, an voluntatem Dei aliquem docuerint.: Fit quidem mentio multorum virorum insignium Gen: 5. & 11. sed de munere illorum altum ibidem silentium. Etsi tamen aliquid tale eos fecisse quis contendat, quale hodie faciunt ministri verbi divini, non tamen tanquam interpretes & vicarios Christi, sed ut homines divinos, amore Dei solo motos illud eos fecisse, nimis est manifestum. Taceo & illud, quòd ait, Christum semper daturum Apostolos & Prophetas & Evangelistas. Hi enim omnes nascentis tantùm Ecclesiæ fuere lumina & fulcra, quibus, jam per eosdem confirmata Christi religione, opus non est.

In quinta Sectione, quæ est de materia & forma Ecclesiæ thesi 40. parum rectè iterum Sacramenta dicuntur esse materia Ecclesiæ, & affirmatur, ex eis Ecclesiam nasci. Ex verbo Dei homines nasci, ut verum est, ita a Frantzio facilè probari potuit, locis quibusdam in medium allatis: Hoc idem verò cur etiam de Sacramentis, quæ vocant, non probavit, si eadem est vis illorum, quæ verbi Dei? ita semper facile est, probare verum, falsum verò, impossibile.

Thesis 42. est: *Forma, ut in scholis vocatur, Ecclesiæ Dei in hoc consistit, quòd verbum Dei sincerè & ritè intellectum de Deo & semine mulieris nostri causâ & vice passo, ut fundamento omnis religionis Ioh: 17. sincerè & seriò amplecti, & in honorem Dei vitam in melius meliusque piè convertere & constanter traducere satagit. Ex qua forma solidum dabitur judicium, quænam gentes sint vera Ecclesia, quæ verò gentes falsò jactent titulum Ecclesiæ: hoc est, quæ seu propria infallibilia sint indicia veræ Ecclesiæ.* Hîc vera falsis miscet Frantzius. Verum est, Formam Ecclesiæ esse, verbum Dei de Deo & Christo (quem semen mulieris Frantzius appellat) amplecti, & in honorem Dei vitam in melius meliusque piè convertere, & constanter traducere satagere: Falsum autem est, 1. hinc solidũ judiciũ dari posse, quænam gentes sint vera Ecclesia. Nemo enim infallibiliter scit, quisnam verè vitam in melius convertat, vel verè piè vivere satagat, cùm virtus facilè simulari possit. Falsum est 2. formam Ecclesiæ in hoc consistere,

re, quòd ea verbum Dei *sincerè & ritè intellectum* amplectatur. Prætérquam enim, quòd nemo judicare potest, an aliquis *sincerè & ritè* intelligat verbum Dei; nonnè aliquis verbum Dei sincerè & rectè intellectum amplecti posset, & tamen eidem non obedire? ubi verò non est obedientia, ibi nulla vera est Ecclesia. Falsum est 3. omnem Ecclesiam (si scilicet pro Ecclesia censendus sit populus Israeliticus) teneri amplecti verbum de Deo & semine mulieris, hoc est, de Iesu Christo. Hoc enim tantùm de Ecclesia N. F. verum est. In V. F. Deo fidem habuisse sat erat, quemadmodum unusquisque ex cap:11. Hebr:, ubi multorum, qui Deo placuerunt, recensetur catalogus, & tamen verbi de semine mulieris, quod amplexi sint, nulla ne mentio quidem fit, colligere potest. Itaque etiam falsum est 4., verba Ioh:17. v: scilicet 3. fundamentum esse omnis religionis. Nam solius religionis Christianæ fundamentum ea esse hinc apparet, quòd causa dicuntur esse vitæ æternæ. Hæc autem non nisi in Evangelio proposita & promissa est. Falsum denique est, & importunè a Frantzio intrusum, de semine mulieris, nostri causâ & vice passo. Christum enim nostri vice passum esse probari nunquam potest. Et si probari posset, quid hoc ad secula, quæ Christi mortem antecesserunt?

Thes: 43. *Fundamentum enim veræ religionis in utroque Testamento est notitia veri Dei & Mediatoris, quemadmodum Christus ipse dicit, Ioh:17.3. 1.Cor:3.11. Item Act:4.11.12. ex Psal: 117.22. & Esa:28.16. Christus dicitur lapis angularis, extra quem non est aliud nomen, quod datum est inter homines, per quod oporteat nos salvari.* Falsissimum esse iterum dico, fundamentum veræ religionis *in utroque Testamento* esse notitiam veri Dei & mediatoris. Hoc vel inde apparet, quòd nullum testimonium sacrarum literarum, ad id vel per speciem probandum, afferre potuerit Frantzius. Nam locos allegatos de solo N. F. esse intelligendos, & nonnisi per summam ignorantiam ad tempora V. Fæderis detorqueri, quis sanæ mentis negaturus est? Ostendat talem locum Frantzius ex Mose vel ex propheta, in quo dicatur, necesse fuisse, ut quis cognosceret Deum Patrem & Iesum Christum ab eo missum, & nullum aliud fundamentum religionis Iudaicæ esse præter Iesum Christum, & nullum tunc nomen fuisse datum sub cælo, per quod oportuerit servari homines præter nomen Iesu, & protinus manus dabimus. Sed quid ego ista persequor? nonnè ipsa loca satis manifestè docent, ea ad sola N. F. tempora pertinere? Nam præter ea, quæ in responsione ad thesin præcedentem diximus, quomodo ad V.T. pertinere possunt hæc

Notitia Dei & mediatoris fundamentum est religionis in N. tantùm F.

verba

verba loci Ioh: 17. *Et quem misisti Iesum Christum?* cùm Christus tunc nondũ esset missus? In loco ad Cor: qui de fundamẽto, præter quod aliud poni nõ potest, agit, Paulus ipse affirmat, se illud posuisse, v: 10. Quomodo igitur ad alios, qui antea vixerunt, pertrahi potest? In tertio manifestè sermo est, de tali nomine, per quod oporteat non omnes, sed *nos*, ut ait Petrus, servari, nempe Petrum & ejus seculi futurorumque homines.

Thesis 44. est. *Veteres Theologi propter plebeios & rudissimos juniores catechismum vocarunt fundamentum veræ religionis, in quo tres docentur personæ Trinitatis, in Symbolo, & in medio Symboli articulo Christus proponitur mediator noster, Deus & homo, & quidem homo natus, valdè exinanitus nostri causa & nostri vice, vicissim etiam exaltatus & collocatus ad dexteram patris, quia cum eo æqualiter regnat unctus à Spiritu sancto & indutus omni potentia omniscientia & omnipræsentia patris, propter quam maiestatem promissa sua potest explere in baptismo & cœna Domini. Deinde in Catechismo monstratur ratio adorandi Deum & modus piè vivendi in honorem ipsius in Decalogo. Vide Phil: Melan:* &c. Rectè est, quòd non Apostolos nominare potuit Frantzius sed veteres Theologos. Iam si dicam veteres Theologos sacrificium Missæ, invocationem sanctorum, purgatorium, primatum Papæ & alias sexcentas nænias vocare fundamentum veræ religionis, feretné me Fr.? Apage istam puerilẽ tractãdi homines pios & cordatos rationẽ. In Symbolo ait, docẽtur tres personæ Trinitatis. In quonam? Si aliud ostendat, quàm Apostolicũ, quod vocant, tanquam humanũ commentum ridebo illud & respuam. Si Apostolicum, nego in eo doceri tres Trinitatis personas. Docetur quidem in eo, patrẽ esse & filium & Spiritum S., & in eos (ut & hoc concedam) credendum etiam esse: Sed filium personam esse Trinitatis, Spiritum verò S. personã simpliciter, nec verbis nec sensu ibi exprimitur. Nam Jesus talis persona esse describitur, quæ sit concepta, nata, passa, mortua, resuscitata: At vestra persona Trinitatis secunda per omnia patri æqualis est. In Spiritum S. credendum esse, licet quædam exemplaria affirment: non tamen hinc protinus sequitur, eum pro persona, & tunc habitum fuisse, & nunc habendum esse, Eodem enim sensu dicitur ibidem in quibusdam, *& in sanctam Catholicam Ecclesiam*, & D. Iohannes testatur, credendum esse in testimonium quod Deus sit testatus de filio suo, hoc est, testimonio. Vt nihil nunc dicam de eo, quòd ante nos viri minimè suspecti docuerunt, antiquitus lectum fuisse in Symbolo, non, *credo in Spiritum sanctum*, sed *credo Spiritum sanctum*, ut etiam dici potest, credo ecclesiam & reliqua, quæ in Symbolo illo ad finem usque

In Symbolo Apostolico non docentur personæ Trinitatis.

v. [handwritten] 1, 279.

1 Ioh. 5. 10.

usque recensentur. Reliqua, quæ hac thesi a Frantzio dicta sunt, ejusdem valoris sunt, & in superioribus disputationibus sufficienter à nobis refutata omnia. Valeat igitur Frantzius cum autoritate Philip: Melanchthonis & Matth: Heshusii. Vt ut enim pro viris insignibus eos habeamus: nihil tamen eorum sola autoritate rationibus destituta, in rebus divinis nec movemur, nec moveri nos decet, qui Christiani sumus.

Thes: 45. est: *Quicunque igitur fundamentum ex 1. Cor: 3. indigitatum juxta hunc intellectum, quamvis jussi, objurgati, admoniti inquirere non volunt; imò præsertim quicunque scientes, volentes, petulantes & pertinaces illud impugnant, blaspemant, contorquent, pervertunt & extinguere satagunt, dum aut Trinitatem negãt, aut maiestatem Christi hominis verbo Dei astructam convellunt, ii veram ecclesiam aut membra veræ Ecclesiæ sese nequaquam vel per somnium credant.* Insulsè iterum assuit Frantzius ista verba, quicunque fundamentum ex 1. Cor: 3. indigitatum, *juxta hunc intellectum* inquirere non volunt. Nam dicent alii, quos Frantzius ab ecclesia etiam segregare non veretur, intellectum istum esse falsum & blasphemum, quem Frantzius habet pro vero & salutari. Errat autem Frantzius vehementer, dum putat, eum, qui Trinitatem, qualem ille credit, negat, non inquirere velle fundamentum, quod est Iesus Christus. Tantum enim abest, ut id ita se habeat, ut, si quis summo jure rem examinare velit, vix is fundamentum illud rectè cognoscere possit, qui dogma illud Trinitatis Frantzianæ absurdum sequitur. Quod hoc argumento probamus: Quod dogma efficit, ut negetur, Iesum esse verum hominem, illud efficit, ut Christus vix agnosci possit. At Dogma Trinitatis efficit, ut negetur, Iesum esse verũ hominẽ. Ergo &c. Propositio patet. Assumptio probatur. Quia dogma Trinitatis non permittit, ut Iesus sit persona humana. Essent enim jam quatuor personæ Trinitatis. Hominem autem verum esse posse sine persona humana, nemo sanæ mentis affirmabit. Videat nunc Frantzius, quò illum studium defendendi præjudicatam opinionem deduxerit, dum ita imperiosè thesi 46. annunciat illis, qui negant Trinitatem, qualem ille credit, ne credant vel per somnium se esse membra ecclesiæ. Pudeat eum istius audaciæ decidendi rem tantam tam leviter & pueriliter. An novus ille Papa est, qui potestatem habet excludendi ab ecclesia, quem velit? Miseri homines, qui vix aliquam sibi ecclesiolam collegêre, & pacem sub Principum tutela nacti, censuram sibi de omnibus, non minùs impiè quàm imperitè usurpant. Calvinistas verò, quàm superciliosè in sequentibus perstringit Frantzius, ob exiguam quandam & reverâ adia-

Dogma Trinitatis quatenus ad fundamentum fidei cognoscendũ obstet.

phorum de Christo opinionem, a cœtu Christi eos exterminando, qui tamen non paucis in rebus magis sobriè de Christi religione sentiunt, quàm Lutherani: Vitam verò ita hactenus conformant, ut, quod Lutherani in eis reprehendant, nihil habeant. Quanquam nos non eo fine ista scribimus, ut inimicitias augeamus inter illos. Credimus enim, omnes illos, Lutheranos & Calvinistas, & alios, qui a Papatu defecerunt, in unam Ecclesiam congregari posse, si Spiritu Iesu Christi se regi paterentur, & charitatis officiis potiùs, quàm istis odiis mutuis certarent. Nam (ut hoc tribus verbis addamus, quod pro regula immota & Maxima nos quidem tenendum censemus) inter quos Deus & Iesus Christus ritè colitur & adoratur, & inter quos studium pietatis secundùm Christi præcepta viget, ii omnes pro Christi Ecclesia haberi possunt & debent.

Quinam sint Christi Ecclesia.

Illud denique, nescio quo animo vel fine dictum sit a Frantzio thesi 51. *Oculatiores esse & pientiores Antitrinitarios in hac parte, qui Christi carni summas divinas prærogativas aßignare coguntur*, &c. Nam hac oratione & pios Calvinistas tacitè affirmat, & illis nos magis pios: & tamen utrosque ab Ecclesia arcet, a qua non nisi impii arcendi sunt. Nos verò (quos Antitrinitarios Frantzius vocat) Christi carni summas divinas prærogativas assignare, quo sensu dicere potuit Frantzius? Qui enim Christi carni aliquid tribuit, de eo tacitè præsumitur, cum etiam alicui alii rei, præter carnem Christi, aliquid tribuere: Nos verò de Christi carne nihil unquam tale dicimus, quale nobis hîc affingit Frantzius. Nam carnem Christi nullam nunc agnoscimus. Factus est enim Christus secundus Adam, in spiritum vivificantem. Christo, qui caro olim fuit, nunc verò Deus noster est, divinam potestatem asscribimus. Quod mysterium utinam nobiscum agnoscere velit Frantzius, & universa ipsius Ecclesia. Amen.

Ipsi Christo non carni illi usdata sunt omnia.

Sextæ Sectionis, quæ est de veris notis Ecclesiæ thes: 52. est: *Ex forma veræ Ecclesiæ & ex hoc fundamento religionis Christianæ resultant maximè propria indicia veræ Ecclesiæ, nimirum vera & sincera doctrina, (in genuino scilicet & nativo verbi Dei intellectu) legitimus usus Sacramentorum juxta Christi institutionem. Denique obedientia in his, quæ Christus per ministerium præcipit, quæque à nobis præstari queunt.* Notæ Ecclesiæ nullæ sunt, nec ut sint necesse est. Vera & sincera doctrina non est quidem, nisi in vera Ecclesia; & Ecclesia sine doctrina vera, vel, ut rectiùs loquar, salutari, esse non potest: sed non est tamen nota Ecclesiæ doctrina vera & salutaris, sed est forma Ecclesiæ, quæ scilicet dat esse illi. Et gyrus est valdè ridiculus, si pro nota Ecclesiæ doctrina vera & salutaris censeatur. Tam enim incertum est, ubi

Doctrina vera est forma ecclesię

est, ubi sit vera Christi Ecclesia, quàm incertum est, ubi sit vera & salutaris doctrina. Nota autem semper notior esse debet eo, cujus nota est. Ista parenthesis Frantzii, vera doctrina (in genuino scilicet & nativo verbi Dei intellectu) valdè inepta est, & Pontificium aliquid sapit. Quis enim nos docebit, quis sit genuinus & nativus verbi Dei, intellect⁹ nisi ipsum Dei verbũ? Hoc enim principia quædã de omni re ad salutẽ necessaria, adde etiam de rebus ad eandem utilib⁹, clarissima tradit. quæ, quivis sanæ mentis, intelligere potest. Ad hæc postea reliqua redigenda & explicanda sunt, si a vero sensu aberrare nolimus. Qua de re a nostris scripta sunt non pauca nuperrimè in tractatib: de Ecclesia. Sacramentorum verò usum legitimum ad notas Ecclesiæ transferre, nimis rude est. Posset enim esse usus Sacramentorum maximè legitimus inter aliquos, qui tamen non essent Christi populus, si scilicet in aliis rebus ad salutem pertinentibus errarent, & impiè viverent. Ex his paucis responsio patet ad reliqua, quæ thesibus duabus sequentibus tractat Frantzius.

Filium post lapsum accepta hæreditate (Psal:2.) factum esse sponsum Ecclesiæ, quod est in thesi 55. quàm sit a vero alienum, suprà non semel demonstratum est.

IN SEPTIMA SECTIONE, quæ est de subjectis & adjunctis Ecclesiæ: refert Frantzius, quòd semper sine interruptione durârit, idque verum esse ita probat, *quia, quæ ex Deo sunt, non poßunt dißolvi, Act:5.* Non considerat autem Frantzius, hęc verba eatenus tantùm vera esse, quando Deus non vult, ut ea, quæ ex ipso sunt, dissolvantur. Tunc enim omnis humana potentia nulla est: Quando verò Deus vult, ut ea, quæ ex ipso sunt, dissolvantur, dissolvi ea non posse, dicere, est, Deum tantùm non blasphemare. Velle autem Deum nonnunquam, ut ea, quæ ex ipso sunt, dissolvantur, inter alia prophetia Pauli de defectione (a fide) satis apertè docet. Ineptè autem huic adjuncto opponit hæc verba: *cùm hæreses non semper proficiant.* Potest enim id etiam perpetuò durare, quod non proficit: Et potest id quandoq; proficere, quod non semper proficit. Taceo nunc allegationem verborum Pauli. Is enim simpliciter dicit: *non proficient autem ultra,* tanquam rem certam illud prædicens, quod rem contingentem facit Fr.

Quaten⁹ ea, quæ ex Deo sunt, non dissolvãtur.

Aliud adjunctũ facit Ecclesiæ, quòd semper habeat, qui docentibus doctoribus succedant alii, Ephes:4. At in toto isto capite, aliud nihil dicitur, quàm Christum dedisse doctores Ecclesiæ varios ad consummandum populum suum: De successione perpetua nulla nec ibi nec uspiam alibi ulla mentio. Adjunctũ etiam ecclesiæ facit, quòd in fundamento omnium temporum & locorum sancti consentiunt.

Act:15.11. Sed hîc sumit pro concesso Frantzius, semper esse debere sanctos, quod probari posse valdè incertum est. Quid autem mirum, si sint sancti, & fundamentum religionis habeant idem? Locum autem Act:15.11. huc adduci ab eo potuisse, certè mirum esse debet. Verba sunt: *per gratiam Domini Iesu Christi credimus nos servari, quemadmodum & illi.* Quæ suprà ostensum est, tantùm de Christianis, qui tunc erant ex Iudæis & gentibus collecti, accipienda esse. Quomodo igitur ad sanctos omnium temporum pertrahi possunt? præsertim quòd nusquam in universa sacra scriptura V. F. quicquam legatur de gratia Christi, per quam sancti servati sint.

Adjunctum porrò Ecclesiæ est Frantzio, *quòd mores ad sanctitatis divinæ regulam conformare præcipit & studet, idque in honorem Dei.* Ergo potest ecclesia vera esse, etiamsi non conformet mores ad sanctitatis divinæ regulam, & satis est, si id præcipiat & studeat? Nam adjunctum potest adesse & abesse. Egregia sanè Ecclesia. Ergo etiam non intrabit in regnum cælorum. Nam, non præcipienti & studenti facere voluntatem Dei, sed facienti eam Christus promittit regnum cælorum. Illud verò cur additum est, *idque in honorem Dei?* ne scilicet alia causa esse credatur, cur homines vitam suam ad divinæ sanctitatis regulam conformare debeant. Non negamus hanc etiam esse causam, cur homines sanctitati studere & sanctè vivere debeant: sed & alia est, nempe, quia sine sanctimonia nemo Deum videbit, hoc est, quia salus nostra sine sanctitate vera nemini reipsa dabitur.

Mat: 7. 21.

Causæ sanctitatis.

SECTIO NONA est: An ecclesia visibilis aliquando penitus interierit ex Ostorodo.

Hîc omnia, quæ Frantzius scribit, persequi, esset, hominem imitari, qui vel falsus est, vel fallere alios vult. Itaque summam rei exponam, ut, quid hac de re lector benevolus statuere debeat, in promtu habeat. Nusquam dicit Ostorodus, se sentire, Ecclesiam non semper mansisse; quin contrarium dicere videtur, dum dicit, ex locis Apocal:, quos allegant illi, qui omnem Ecclesiam interiisse affirmant, constare, semper aliquam fuisse Ecclesiam, quantumvis obscuram: Affirmat autem Ostorodus, & nos cum eo, non necesse esse, statuere, semper aliquam, præsertim visibilem fuisse Ecclesiam: Interim eam esse potuisse nec ipse nec nos negamus. Cum umbra igitur sua pugnat Fr: qui ostendere conatur, semper extitisse ecclesiam. Quanquam hoc ineptissimè eum probare, paulò post docebimus.

Non est necesse, semper aliquã fuisse ecclesiam.

V. Sla... 196. ...b. 5. 40.

Thes: 66. valdè ridiculè Ecclesiam ex mente Ostorodi describit, qualem scilicet ille statuat, & suam ejusdem ecclesiæ definitionem, thes: 67. huic Ostorodianæ opponit. Cum tamen de mente Ostorodi quid statuere Frantzius debeat, non habeat ex ejus scripto vel con-

fessione. Ecclesia visibilis, ut antea etiam diximus, ex mente nostra, sunt ii, qui salutarem Christi doctrinam tenent & profitentur. Quænam verò sit ista salutaris doctrina, hoc aliam postulat disquisitionem. Quæ porrò Frantzius de ecclesia affirmat, illa omnia meros esse errores, jam pridem a nostris alibi, & a me in hac responsione abundè demonstratum est. Nam *Deum esse trinum personis, unum essentiâ, meritum aliquod esse seminis mulieris, & fuisse qui spem suam in illud posuerint, & alia*, etiamsi non tantùm Frantzius sed universus mundus probare annitatur, nunquam tamen probabit. Imò hactenus ista pro veris habita sunt, quia a nemine perpensa fuerunt per multa secula: Quò verò magis perpendentur, & quò magis homines cordati de iis probandis cogitabunt, eò magis apparebit istorum opinationum absurditas simul & falsitas.

Thesi 73. ait, tempora, in quæ defectio Ecclesiæ sub papatu incidit, esse numeranda ab anno Christi 880, usque ad Lutheri reformationem. Sed primùm secum pugnat Fran. Ait enim semel, ecclesiam semper durasse: & iterum hîc tempus nominat, in quod defectio ecclesiæ incidit. Deinde tacitè sumit, antea fuisse incorruptam Christi ecclesiam, vel nondum eam invasisse universalem defectionem. Hoc autē quid est aliud, quàm, quod libet, affirmare, ut id, quod velis, tutus obtineas? Iam si quis huic nudæ assertioni opponat aliam, & dicat universalem defectionem ecclesiæ incidisse in tempora concilii Niceni, in quo omnia ea fuerunt constituta & confirmata, quæ Christi ecclesiam pessundederunt, quid respondebit Frantzius? Sed non tempora præcisè metiri & numerari necesse est. Ostendendum est, quando ecclesia a veritate & pietate defecerit, & ad varios errores, idololatrias & superstitiones deflexerit, & apparebit ista defectio. Tempus defectionis universalis quod?

Ad thesin 75. & 76. non est quod respondeam, cùm nemo præcisè neget, potuisse extare aliquot semper, qui essent vera Christi ecclesia: sed tantùm negetur, necessariò eam manere debuisse. Hoc verò, quia docere vult Frantzius, audiamus eum.

Ait igitur thesi 79. *Si ubicunque & quandocunque verbum Dei prædicatur, ibi semper aliquid fructificat, utique necesse est, ut in omni loco & tempore reperti fuerint, reperiantur & reperiri possint aliqui, seu homines pauci seu cætus sive magni sive exigui verè credentes & viventes secundum verbum Dei. Sed prius: Ergo & posterius.* Probat autem partem connexionis antecedentem (ut ipse ait) loco Esa, 55. & parabolâ Matth: 13. Thes: 80. 81. 82. In papatu autem verbum Dei fuisse prædicatum, dubitari non vult, & *si plus* (ait) *non audivissent, tamen Catechismum, ac Evangelia et epistolas sæpius ruminari perceperunt*

th:83. Sed quis non videt, quàm sit facilis ad ea responsio? Primùm enim probari vix potest, verbum Dei prædicatum fuisse in papatu. Cùm constet, Biblia sacra, è manibus omnium erepta, in locis certis asservata fuisse, adeò ut vix in uno regno tria aut quatuor eorum exemplaria superessent. Ecclesiæ placita & decreta plus valebant omnino, quàm Christi & Apostolorum scripta. Catechismos vero, lectionem item Evangeliorum & Epistolarum semper extitisse in papatu, unde colliget Frantzius? Et sanè extiterint, non pro vera prædicatione tamen verbi divini protinus censenda sunt ista. Nec enim linguâ idiotis notâ legebantur; & obruebantur animi istorum, quibus ista prælegebantur, mole aliarum næniarum, quæ non permittebat, ut id obtineret, quod Evangelium præcipit. Quæ verò de fructu verbi divini ex Esaia & Matth: afferuntur, ea de intelligibili, vera, pura veri & puri sermonis divini annunciatione intelligenda esse, nemini ignotum est. Deinde nonne Deus ita homines alloqui potest per verum suum verbum, ut interim id ipsi non intelligant? & ita fructum nullum in illis verbum Dei pariat? ut exempla tam V. quàm N.F. contestantur.

In Papatu non verbũ Dei sonuit olim.

Non ubiq; verum verbum Dei fructificat.

Vult etiam Frantzius thesi *96.* & sequentibus, considerari, extra papatum ecclesias alias extitisse, in quas papa nullum unquam imperium habuerit. Sed ista consideratio nihil eum juvat. Nam quæ defectio a fide ab Apostolis fuit prædicta, ea ad omnes generatim Christi nominis professores spectat, & quæ in Romana ecclesia acciderunt, aliis etiam non minùs accidisse, res ipsa docet. Nec accusamus nævos quosdam istarum Ecclesiarum, nec negamus convenire illis cum Lutheranis Ecclesiis in quibusdam, quoad doctrinam & ceremonias: sed dispiciendum esse affirmamus, an illa doctrina & ceremoniæ, quas & illæ & Lutheranæ Ecclesiæ tenent, cum Christi Evangelio conveniant. Possunt enim convenire Ecclesiæ invicem in doctrina & ceremoniis, & dissentire utræque a Christo.

Mat:13.14. Es:6.9. Defectio prædicta, fuit universalis.

An Ecclesiæ Asiaticæ & aliæ, puriores manserint, quàm Romana, quod thes:*90.* ait Frantzius, nolo nunc examinare. Hoc enim ad rem nihil facit. Satis est, si tantùm erraverint, ut salutarem doctrinam non tenerent aut profiterentur, quod jure de illis dici posse, nemo negabit, qui, quæ sit salutaris doctrina, consideraverit. Nec necesse est, omnes qui a fide deficiunt, pariter errare.

Defectio nõ est par in omnibus necessariò.

Quod porrò Frantzius thes:*97.* ait, Pontificios, quatenus simpliciter institutionem Christi sequebantur, eamque integram & inviolatam retinebant, ut in baptismo, eatenus in ipsa Ecclesia fuisse, & ad eam pertinuisse, idque confirmat autoritate Lutheri & Chytræi, in

eo prodit, quid de rebus ad Ecclesiæ constitutionem pertinentibus sentiat. Ceremonias scilicet externas credit efficere posse, ut homines sint Christi Ecclesia. Cùm tamen ea, quæ ad Ecclesiam constituendam pertinent, non possint esse nisi verè spiritualia: ceremonias verò tam impius homo & hæreticus potest administrare, quàm pius & verus Christianus. Fieri etiam potuit, ut plebs non ita esset profundè immersa idololatriis, quemadmodum earum invētores, quod thesi 98. ait Frantzius: sed tamen hoc efficere non potest, quin ipsi Ecclesia esse desierint. Sequebantur enim duces cæcos, quos detestari debebant. Cæcus autem, quem ducit cæcus alius, æquè in foveam incidet, atque is, qui eum ducit.

Quæ Christi ecclesiam constituunt, spiritualia sunt

Nonne necesse est omnes pariter errare.

Colligere porrò ex eo, quòd homines morituri oculos ad cælum sustulerint, eos non fuisse idololatras, quod facit thes: 99. Fran:, quid aliud est, quàm excusare omnem idololatriam? Nonné enim idololatra potest ideo ad cælū tollere oculos, quia credat idola ista esse in cælis, ut hodie omnes pontificii de suis simulachris sentiunt? Talia verò apud Deum quicquam valere quicunque credit, is Dei benignitate nimis abutitur. Itaque ista fragmenta, quæ alicubi reperiri potuerunt in Papatu, quibus aliquid continetur, unde colligi potest, fuisse quosdam, qui non omnino acquiescerent in Papæ decretis, nihil huc faciunt prorsus, ubi quæritur, an necesse sit, aliquam Ecclesiam visibilem extitisse semper & perpetuò. Nam præterquam, quòd ad paucissimos ista fragmenta pervenerunt, nihil impedit, quominùs quis verba quædam rectè dicat & vera confiteatur, & tamen ex Ecclesia revera exclusus sit, quia scilicet ea etiam simul confiteatur & faciat, quæ ex diametro cum Christi Evangelio pugnant. Imò Antichristi regnum, hoc potissimùm quasi signo dignoscitur ab aliis infidelibus: Quòd licet multa hodie & plura quàm olim, adacti rei summa necessitate, confiteantur & faciant homines in eo manentes, quæ quoad verba & externa opera, Christum videntur sapere, tamen, quia simul etiam multa, imò plura confitentur & faciunt, quæ Antichristi spiritum sapiunt, pro vera Christi Ecclesia haberi nullo modo possint.

Quid hominem ab ecclesia Christi excludat.

RESP.

REFUTATIO THESIUM D. WOLFGANGI FRANTZII, De Hypocritis & aliis malis admixtis Ecclesiæ.

Quæ est Disputatio ipsius nona.

HIC in 1. Sectione usque ad thesin 46. docet Frantzius, hypocritas & malos esse in Ecclesia. De hypocritis difficilius est aliquid pronunciare, quàm de malis. Nam ad hypocrisin cognoscendam, cordis ipsius cognitione opus est, quæ nemini hominum data est: Malos verò nemo non potest cognoscere, cùm manifesta sunt opera carnis. Sed quis est, qui hoc neget, ut tantam hujus rei probationem instituat Frantzius? Hypocritas & malos in Ecclesia reperiri certum est: sed præterquam, quòd hypocritæ & mali regnum Dei non possidebunt, notandum est, non licere, ut in Christi Ecclesia tolerentur mali, hoc est, qui in malitia perseverant. Hinc est, quòd Christus commendat Ecclesiam Ephesianam, quòd malos tolerare non possit; & Apostolus eos, qui cùm fratres nominentur, sint tamen alicujus peccati habitu implicati, vitare jubet. Deinde notandum est, id, quòd mali sint in Ecclesia, non ideò fieri, quia aliter esse nequeat, quod tantùm non affirmare videtur Frantzius, sed hominum culpâ, qui, cùm ab omni peccatorum habitu sese extricare & liberi esse, adeoque ad perfectionem perpetuò summis viribus anniti teneantur, in errores varios inducti a suis doctoribus, susque deque habent verum pietatis studium, & levi quodam tantùm Deo serviendi & piè vivendi conatu & proposito contenti sunt, & ita indies semetipsis deteriores evadunt. Licet enim perfectè perfectus nemo ferè sit, est tamen differentia inter malos vel infirmos, & planè perfectos. Est enim perfectio quædam tam in scientia, quàm in vita, quæ, ut possibilis, ita prorsus necessaria est: Nempe ut tantum intelligamus, quantum ad salutem æternam necesse est; & tantum faciamus, quantum Deus a nobis requirit. Vnde factum est, ut non semel perfectionis, quam populus Christi habet & habere tenetur, mentio fiat. Quod etiam aliis verbis exprimitur, dum jubemur Deum & Christum imitari, & dum de quibusdam dicitur, quòd imitatores Christi fuerint. Et certè istæ, de tan-

Differentia inter hypocritas & malos.

Apoc: 2. 2. 1. Cor. 5. 11. 2. Thess: 3. 6.

Perfectio possibilis, imò necessaria quænã?

Col: 1. 28. Phil: 3. 15. Hebr: 5. 14. & 6. 1. Ephes: 5. 1. 1. Thess: 1. 6.

de tanta hominum infirmitate, quòd non possint sese ex jugo peccati liberare, conciones, nihil aliud sunt, quàm confirmatio hominum in impietate vel carnalitate, ut sic loquar. Quanto rectiùs illi faciunt, qui, quousque excusabilis sit ista infirmitas, ostenso, semper homines ad ardentius pietatis studium extimulant & cohortantur. Semper enim manebunt imperfectiones & infirmitates, etiamsi quàm maximè annitamur, ut Deo nos probemus. Non erat autem dicendum, ideo nos juberi orare quotidie, dimitte nobis debita nostra, quia simus infirmi, hoc est, peccemus. Satis enim est ad id, ut oremus quotidie remissionem peccatorum, quòd olim peccaverimus, & ita peccatum habeamus, hoc est, peccati rei, & nondum remissionem peccatorum reipsa consecuti simus. Quanquam non negatur, posse etiam homines Christianos quandoque labi & delinquere, ex infirmitate vel ignorantia.

SECTIO 2. *Quòd liceat uti Sacramentis, quæ per malos piis in Ecclesia admixtos administrantur*, magna castigatione omnino indiget. Nam si isti mali, qui verbum Dei annunciant, & sacramenta, quæ vocant, administrant, incogniti sint hominibus, quis est, qui neget, posse etiam tales verbum Dei prædicare & administrare sacramenta? An verò verbum illud Dei sit habiturum suum effectum in hominibus, hoc esset sedulò inquirendum. De efficacia Sacramentorum non est, quod dicatur: Fabulæ enim sunt, aliquam esse internam efficaciam in baptismo vel cæna Domini. Cùm utraque aliud nihil sint, quàm externæ hominum actiones, quibus aliquid, quod in mente ipsorum latet, expressum volunt: et per baptismum quidem publicam nominis Christi professionem: per cænam verò Domini solennem mortis Christi commemorationem vel annunciationem. Si verò constet hominibus, malos esse eos, qui verbum Dei prædicant & sacramenta administrant, nonné ratio ipsa & sacra scriptura suadet, tales non esse ferendos in isto munere, cùm vult, ut Episcopus sit irreprehensibilis? Quemadmodum enim non debet eligi nisi inculpatus: sic etiam non debet ferri, nisi talis. Et si frater, qui malus sit, tolerari non debet pro fratre: quantò minùs verbi Dei minister, si malus sit? Quæ omnia hodie inter Christianos ita exoleverunt, ut etiam non intelligant tandem, quid facto opus sit, nedum ut id faciant. Et nisi hac in re sapere cœperit populus Christi, verendum est, ne omnia tandem pessum eant, & ne Deus veritatem suam cælestem ab illis, quibus eam pro mensura sua dederat, repetat, & in antiquæ ignorantiæ tenebras iterum eos conjiciat.

Finis baptismi & cænæ dominicæ.

Mali ministri quomodo tractandi.

TERTIA SECTIONE recenset Frantzius, quomodo a nobis ac-

cusentur Ecclesiæ Lutheranæ, quòd doctrina ipsorum de remissione peccatorum, præsertim iteratorum, portam aperiat, ut homines fiant hypocritæ & mali. Tractatus, quos a Glirio, Neusero, Sommero editos esse ait, hactenus non vidi, nec valdè istorum hominum opinionibus insisto. Nam tales ferè omnes isti fuerunt, quos nostra Ecclesia indignos sua fraternitate censuit, ob blasphemas ipsorum de Christo Iesu sententias. Libellus verò iste, *examen quinám sint illi*, &c. qui a fratre nostro editus est ante annos viginti, nihil affirmat, de tota hac re, quod non sit verissimum. Et credimus nos constanter, per doctrinam, quæ nunc viget in Ecclesiis Lutheranorum de remissione peccatorum, magnam præberi occasionem hominibus in peccata vel prolabendi, vel in iisdem permanendi.

SECTIONE QUARTA, conatur Frantzius demonstrare, rem aliter se habere, & injuriâ sibi & suis hoc objici: Sed quia tam in nostra sententia explicanda, quàm sua responsione expedienda, nimis & longus & obscurus est; & quia in non paucis, quæ pro se defendendo & excusandis Ecclesiis suis affert, consentimus omnes, repetam ego primùm compendiosè, vel potiùs exponam, quid de hac re sentiant nostræ Ecclesiæ. Deinde quanám in re dissentiant ab Evangelicis, quas vocant, Ecclesiis, addam. Denique quod ad sententiam suam stabiliendam affert Frantzius, breviter expendendum proponam.

Ac ut de primo agam, sententia nostra (ut ex multis ad hanc rem pertinentibus, pauca quædam excerpam) est. 1. Quicquid peccatorum committunt homines, antequam veritatem vel voluntatem divinam, sive per ętatis sive revelationis divinæ defectum, agnoverũt, id totum illis divina benignitate, vi novi Fæderis, remittitur, quamprimùm in Christum credunt, hoc est, ei sub spe promissorum ab ipso factorum obediunt. 2. Post agnitam verò veritatem vel divinam voluntatem, remittuntur hominibus primùm omnes infirmitates & omnia peccata, quæ ita committunt, ut nullum eorum habitum contrahant, nec in illis perseverent: quin imò deinceps ea non admittere ampliùs, seriò student & annituntur. 3. Remittuntur etiam post agnitam veritatem peccatorum habitus: sed iis tantùm, qui adhuc sunt novitii, & vel per temporis vel ætatis defectum, vel aliis de causis nondum peccati jugum excusserunt, si scilicet resipiscant, ut ex loco 1. Ioh: 2. 2. apparet. 4. Remitti etiam possunt peccatorum habitus, quos isti contraxerunt denuo, qui semel jugum peccati prorsus excusserant, sed difficulter, & non nisi superveniente nova gratia extra novum fædus, ut ex loco Heb: 6. 4. ad oculum videre est. 5. Peccata enormia, ex deliberata malitia profecta, licet in habitum

Sententia de remissione peccatorum vera.

non erumpant, instar habitus censenda sunt, non tamen prorsus & absolutè. 6. Sentim⁹ autem, quod caput rei est, hominē nullo modo certum de salute sua esse posse, nisi omni nequitiæ valedicto, totum se pietati & innocentiæ consecret, adeò ut nullum in eo peccatum, saltem ante finem vitæ ipsius, regnet aut dominetur, & ut ad ipsam perfectionem aspiret. Quæ quidem in eo consistit, ut homo nullum peccati actum committat. Quod etiamsi difficillimum sit, & ab ipso Deo non requiratur necessariò ad nos justificandos, est tamen tale quid, ad quod tenetur unusquisque summopere contendere. Deus autem est, qui judicabit, an quis ex mera infirmitate nec ne, ad id pervenire nequiverit, & tanquam justus judex reddet unicuique secundùm opera ipsius.

Differunt autem a nobis hac in re Evangelici Lutherani, ut ex Thesibus his etiam Frantzii colligi potest, Quòd, etiamsi, ut prolixè hîc commemorat Frantzius, doceant. 1. omnia peccata actualia esse mortalia thes: 99. (Nam quod 1. facit Frantzius thes: 98. quòd peccata sint fructus peccati originis, id anilis fabula est) 2. renatos posse & debere vitare peccata actualia thes: 100. 3. peccatorum occasiones seriò esse vitandas thes: 101. 4. pœnitentiam non esse differendam. 116. & peccata æternam damnationem mereri: Tamen nimis habenas peccantibus relaxant, dum ea affirmant quæ sequuntur: 1. Quòd renati, licet spiritu carnis facta occîdant, tamen interdum labantur &c. thes: 102. Hoc enim ita pronunciatum videtur statuere, aliter fieri non posse, quàm ut renati omnes interdum labantur vel peccent, quod tamen falsissimum esse, si lapsus (ut necesse est) accipiatur pro divini præcepti transgressione, hinc apparet, quòd Paulus non dicat, renatos tantùm occidere opera carnis, hoc est, versari in illis interimendis, sed ita loquitur, ut appareat, fieri posse, ut renati jam planè occiderint, vel interemerint opera carnis. Nam verba: *si Spiritu opera carnis mortificaveritis*, ita possunt & debent intelligi: Si eò perveneritis in regeneratione, ut nullum peccatum in vobis amplius vivat, vivetis. Qua de causa alibi, eos, qui Christi sunt, non ait crucifigere sed cruifixisse carnem suam cum concupiscentiis & desideriis ejus. Quod etiamsi sit difficile, non est tamen prorsus per se impossibile. 2. est, dum dicunt: *Renatos profiteri, se adhuc esse peccatores*, thesi eadem. Hoc enim nusquam ita scriptum extat, & nisi sobriè accipiatur, nempe renatos agnoscere, se fuisse peccatores & reos damnationis, si jure suo secum agere Deus velit, falsissimum est omnino: Imò contraria sunt illa, esse renatum, & esse peccatorem. Renatus enim non peccat, hoc est, non habet peccandi habitum: At

Errores Lutheranorum circa remissionem peccatorum.

Renati interemerunt opera carnis

Rom: 8. 13.

Gal: 5. 24.

Renati in peccato nullo hærent.

1. Ioh: 3. 9.

qui peccator est, is, ex mente sacrarum literarum, vel multis vel uno saltè peccato implicitus ut sit, necesse est, 3. est: *Quòd Spiritus S. obedientiam in renatis inchoaverit tantùm.* Nam & hoc falsissimum est, & universæ sacræ scripturæ ex diametro repugnant. Licet enim perfectissima absolutè obedientia, non vel vix detur in hac mortalitate: datur tamen talis obedientia, quæ perfecta appellari meretur, respectu inchoativæ illius, nisi frustra fortassis scripta sint ista omnia, quòd, ut Deus perfectus est & sanctus, nos etiam esse debemus; quòd ut Christus ambulavit, ita nos etiam ambulare debemus; Quòd imitatores Apostolorum Dei esse tenemur: Quòd denique imitatores Apostolorū & Christi fuisse quidam perhibentur. 4. est. *Quòd plærique omnes sanctissimi viri, gravibus & aliis sæpe repetitis vitiis deliquerint* thesi 103. Hoc enim, ut postea apparebit, falsissimum etiam est, & non nisi ad homines deteriores reddendos aptissimum. 5. est, *quòd satis sit ad fidelem vel renatum constituendum, si peccatum agnoscat & deploret* th: 109. Cùm certo certius sit, posse aliquem ex animo peccatum agnoscere & gravissimè deplorare, & tamen perire in æternum, si ab eo verè non desistat. Simpliciter enim scriptum est: *Si secundùm carnem vixeritis, moriemini*, sive quis deploret, sive non. Inter non regeneratos melior is quidem est, qui, secundùm carnem ambulans, illud agnoscit & deplorat: sed inter regeneratos censeri is nullo modo potest. 6. est, *Quòd ubi peccatū crucifigitur & mortificatur per Spiritum, ibi est pænitentia & fides in Christum* thesi 111. Hoc enim, nisi rectè intelligatur, falsissimum est, & præcipitium ad omnem securitatem & impietatem. Verum quidem est, ibi etiam esse pænitentiam & fidem in Christum, ubi peccatum crucifigitur & mortificatur: sed non veram & solidam. Nam ubi est pænitentia & fides in Christum vera, ibi peccatum crucifixum & mortificatum esse debet; & potest aliquis damnari, qui peccatum crucifigit & mortificat, si in isto opere moriatur, & ad exitum illud non perduxerit. 7. est. *Quòd Deus tantùm illis peccata imputat, qui duræ cervicis sunt, & qui concupiscentias carnis sine cessatione contra conscientiam petulanter & malitiosè faciunt thes:* 112. Hoc enim nusquam in sacris literis scriptum extat, nec ex illis deduci ulla ratione potest, cùm satis sit ad damnationē, si quis, licet nō sine cessatione, sed crebrò vel sæpe, idq; data ad peccandum occasione, peccet: nec opus sit, ut id fiat petulanter aut malitiosè, sed satis sit, dummodo id fiat. Nam qui secundùm carnem vivit, morietur. 8. est: *Quòd post conversionem denuo in peccatum prolapsus homo, si pænitentiam seriam agat, omnino pænitentiæ locum reperiat.* th: 126. Hoc enim, nisi sobriè accipiatur, prorsus etiā falsum est.

Si conver-

Obedientia qualis requiratur.

Mat: 5. 48. 1. Pet: 1. 16. 1. Ioh: 2. 6. Eph: 5. 1. 1. Cor: 11. 1. 1. Thes: 1. 16.

Parum est ad renatum constituendum, peccatum deplorare.

Si conversio accipiatur pro nuda vitæ pravæ anteactæ deploratione, & tali ad Christi ecclesiam accessione, quam non sit consecuta vera animi & actionum mutatio, verum quidem est, hominem, si seriam pænitentiam agat, hoc est, si animum & mores mutet, & in eo constanter ad finem vitæ usque perseveret, pœnitentiæ locum omnino inventurum, hoc est, consecuturum remissionem peccatorum: At si conversio accipiatur, pro integra hominis peccatoris mutatione, & peccatum, in quod quis prolabitur, ex deliberata malitia sit profectum, ut penes hominem tunc non est, seriam penitentiam agere: (Deus enim, cujus vult, tunc miseretur, & quē vult, indurat:) ita etiam dici non potest, eum omnino locum pænitentiæ inventurum. Quin fieri etiam potest, ut aliquis pænitentiam agat seriam, hoc est, seriò peccata deploret, & tamen remissionem peccatorum non reperiat, Quia scilicet tantùm confiteatur & deploret peccatum, quæ pars est eáque minima pænitentiæ: interim verò a peccato non desistat, vel quia Deus nolit, ut in Esauo, Iuda, & multis, qui in agone mortis demum peccata sua deplorant, cùm jam malè agere ampliùs non possunt, videre est; vel quia ipse homo non verè velit & annitatur, cujus rei exempla sunt quotidiè obvia, & si quid diversum interdum fieri videmus, id benignitati Dei singulari, qui Dominus est ipsius N. F. & præter illud, quicquid vult, præstare potest, asscribendum est.

Quatenus post conversionem detur locus pœnitentiæ lapsis.

V. Hemel. 3, 164.

Videat igitur Fr. & cordatus lector, an non hæc omnia & singula sint fenestræ apertio, ad omnem, si non impietatem, saltem securitatem, hominibus, qui semper ad vitia sunt procliviores, quàm ad virtutes.

Ad obtinendam porrò sententiam suam affert Frantzius, & loca sacrarum literarum, & exempla. Quanquam verò hæc loca priora infrà disputatione posteriori duodecima etiam a Fr: adducuntur & prolixè tractantur: libet tamen hîc etiam aliquid dicere, quod causæ Frantzii infirmitatem demonstret, & reliquum ad istam disputationem reservare.

Loca sacrarum literarum sunt th:102. I. Gal:5.16.17. qui sic habet: *Spiritu ambulate, & concupiscentiam carnis non perficietis. Nam caro concupiscit adversus Spiritum, Spiritus verò adversus carnem. Hæc autem opponuntur alia aliis, ne, quæcunque velitis, illa faciatis.* At in hoc loco non affirmatur, carnem illam esse in omnibus Christianis. Quomodo igitur in omnibus luctetur? Et etiamsi esset in omnibus & luctetur, non tamen dicitur, carnē semper vel etiā plærūq; vincere, quod necesse esset ad evincendum, homines renatos & ad Deum conversos, peccatum iterare, peccatores esse &c. Sed tantùm dicitur, quid caro agat, ubi

V. Stegm. p. 488.

ubi ea est, nempe ubicunque est caro, ibi non posse eam aliter agere, quàm concupiscere adversus spiritum, & vice versa, ubicunque est Spiritus, ibi eum concupiscere adversus carnem. Quemadmodum autem ex eo, quòd Spiritus adversus carnem concupiscit, colligi non vult Frantzius, nec colligi potest, Spiritum semper vel ut plurimum vincere: sic etiam ex eo, quòd caro adversus Spiritum concupiscit, colligere nō debet, nec colligi potest, semper vel plerumq; in hominibus carnē vincere. Iam si caro non semper vel plerūq; vincat, etiamsi semper concupiscat, quid hęc verba ad propositū facient? Præterea locus hic ea continet, quæ disertè docent, fieri posse, ut homo ampliùs non peccet. Dicit enim: *Spiritu ambulate, & concupiscentiam carnis non perficietis*, hoc est, si Spiritu ambulaveritis, concupiscentiam carnis non perficietis. Quid verò est aliud, concupiscentiam carnis non perficere, quàm non peccare amplius? Deinde ait: Spiritum carni ideo esse oppositum, *ne faciamus ea, quæ volumus*, unde apparet, non esse impossibile, ut ea non fiant, quæ volumus.

Lucta carnis cum spiritu non infert victoriam carnis.

2. Locus Rom: 7. est. Sed quia hunc non tangit adversarius, intactum etiam nos eum relinquimus, parati ad ea respondere, quæ vel ipse Frantzius, vel alius quis prolaturus est, quo ostendat, locum illum de homine regenerato, & non potiùs de tali, qui Christi expers est, & sub lege vivit, intelligendum esse, quod ex parte facit disput: post: 12. Frantzius, quò lectorem remittimus.

3. Locus th: 126. est, Ezech: 18. *Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat.* & cap: 33. *In quacunque die conversus fuerit ab impietate sua, impietas impii non nocebit ei.* Respondeo ad priorem, Verba Ezech: non simpliciter esse accipienda. Nam legimus, Deum sæpissimè, non expectatâ peccatorum resipiscentiâ, eos funditus extirpasse, ut exemplum illius, qui arcam Fæderis lapsuram sustinere volebat, & ejus, qui ligna in sabbatho collegerat, & alia non pauca, docent. Imò autor Epistolæ ad Heb: docet, eum, qui legem Mosis irritam faciebat, absque misericordia in ore duorum aut trium testium mortuum fuisse. Quomodo igitur Deus mortem peccatoris, simpliciter loquendo, noluit? Deinde ex eo, quòd Deus non cupiat mortem peccatoris, nullo modo sequi affirmamus, posse homines peccata tutò iterare, & ita non perire. Potest enim fieri, ut Deus nolit, hoc est, non delectetur eo, quòd homines pereant: & tamen possint homines perire, decreto Dei ita ferente. Quia scilicet peccatores sunt, & in peccatis manent. Hîc enim per vocem *nolo*, non absoluta Dei nolitio (ut sic loquar), quâ Deus necessariò aliquid non vult, intelligitur, sed tantùm id indicatur, quod comparatè ita dici potest, quia

Quatenus Deus non vult mortē peccatoris. 2. Reg. 6. 6. Num: 15. 35. Heb: 10. 28. Conf. Horn[?] 1, 517.

Potest id etiam fieri, quo Deus non delectatur.

Deus ea re non delectetur. Denique contrarium est ei, quod Frantzius affirmat, id quod hîc affirmatur. Nam hîc dicitur, Deum velle ut peccator convertatur ad se. converti autem ad Deum, & nova delicta subinde committere, vel in eis hærere, planè sunt contraria. Ad alterum locum respondeo, verba Ezechielis non ita accipienda esse, quòd, quacunque tandem hora convertat se ad Deum impius, Deus ei sit parsurus. Hoc enim contrarium est ei, quod sæpenumero legimus, Deum nonnullos impios ita obdurare, ut non possint resipiscere, vel ad se converti: sed intelligendum est, impium non periturum in impietate sua tunc, cùm resipiscere potest & resipiscit. Hoc verò non semper in impii potestate situm est, sed tunc tantùm, cùm Deus permittit. Nihil autem hinc evincitur, quod Frantzium juvet, ut antea diximus. Nam qui resipiscit, is jam peccare desinit: Frantzius verò vult, eum, qui semel resipiscit, posse perpetuò peccare & perpetuò resipiscere. Quatenus impius non sit periturus.

4. locus est 1. Ioh: 2. 2. *Filioli hæc scribo vobis ut ne peccetis: Quod si quis peccârit* (vel potiùs *peccet*) *advocatum apud patrem habemus Iesum Christum justum* &c. Sed hic locus non docet, Christianos veros peccare, vel peccata nova committere. Contrarius enim esset aliis infinitis locis ejusdem Ioannis, qui docent, Christianos nec peccare nec peccare posse; imo verbis prioribus hujus loci, in quo monet, ne peccent: Sed tantùm ostendit, fieri posse, ut inter eos, qui Christiani sunt, scilicet professione, sint nonnulli, qui nondum habitum peccandi deposuerint, nempe novitii vel infirmi; eos verò, si resipiscant, peccatorum remissionem consecuturos. An verò, postquam resipuerint semel, iterum tutò & impunè peccare, nova peccata committere, vel in peccato hærere possint, id nec hîc nec alibi uspiam indicatur: Imò contrarium ejus habetur disertissimè in Epistola ad Hebræos, & alibi, nempe impossibile esse, eos, qui semel collustrati fuerunt, &c. & prolapsi sint, renovari rursus ad pænitentiam. Breviter. Quicunque adhuc per imbecillitatem in peccato hæret vel peccatis, potest resipiscere: sed qui resipuit, is non potest peccare, hoc est, in peccato ullo hærere, vel peccata nova subinde committere.

V. Slegm. p. 401. 1. Ioh. 2. 2.

Quatenus peccatorum habitus remittuntur.

Heb. 6. 4.

5. Locus est. Matth: 18. *Non dico tibi usque septies sed septuagies septies* &c. Sed hîc, non quid Deus faciat, docetur, sed quid nos facere teneamur, præcipitur. Nempe nos debere remittere omnes offensas, quantumcunque sint graves & multiplices, quibus offendimur ab aliis, idque ideo, quia Deus etiam nobis peccata nostra omnia, præterita scilicet, remiserit, quæ per debitum talentorum istorum indicantur. Talia verò peccata & tanta in eo reperiri posse, qui ad Deum con-

versus est, nemo nisi prophanus affirmabit. Itaque ad peccata, quæ nova homo ad Deum conversus designat, non nisi per summam vim & ignorantiam verba hæc pertrahuntur.

6. Locus Gal: 6. 1. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos spirituales instruite hujusmodi in spiritu lenitatis* &c. tantùm docet, fieri posse, ut is, qui semel ad Deum conversus fuit, in peccatum aliquod prolabatur, & tamē, si resipiscat, gratiam eū apud Deum invenire posse, quia scilicet eum ii, qui sunt spirituales, in spiritu mansuetudinis corrigere debeant: Sed non docet, id crebrò fieri posse, salva hominis salute. Nam si crebrò id fiat, jam habitus efficietur. Iis verò qui habitum peccati contrahunt, nulla consolatio in sacris literis usquam proposita est, nec jussi sunt fideles ejusmodi corrigere, cùm impossibile (nempe quoad homines & revelatam divinam voluntatem) sit tales rursus renovari ad pænitentiam, sed ab hujusmodi segregare sese tenentur.

Quinam corrigendi in spiritu lenitatis.

1 Cor. 5. 10.

Exempla porrò, quæ affert Frantzius, sunt. 1. Abrahami, *quem*, ait, *non semel uxorem suam abnegasse & penè prostituisse*. Sed primùm non constat, Abrahamum hîc peccasse. Nam præterquam quòd nullo jure aut præcepto divino, ad id confitendum, quòd Sara uxor ejus esset, adigebatur, jure dicere poterat, eam esse suam sororem, latè scilicet voce sororis accepta. Deinde non constat, Abrahamum hac in re perpetuò hæsisse, sed tantùm certo quodam tempore id eum fecisse testatur historia, quod cum eo, de quo nobis sermo est, nihil habet commune. 2. Mosis, de quo ait, *quòd Ægyptium occiderit, difficulter passus sit se remitti in Ægyptum, graviter murmuraverit adversus Deum, quando populus fastidiebat Mannam, & iterum dubitanter percusserit petram*. Quod ad primum attinet, non constat prorsus peccatum a Mose fuisse, quòd Ægyptium interemerit. Divino enim impulsu id factum fuisse credibile est, ut ex loco Act: 7. colligi potest. Deinde unicus is actus Mosis fuit, qui cum iteratione peccatorum nihil habet commune. Quod verò ægrè passus sit se remitti in Ægyptum, in eo vel nullum vel non adeo grave peccatum fuit. Nam non animo id pertinaci fecit, sed, conscius sibi suæ ineptitudinis ad tantum munus, aliquantisper detrectavit. Murmuratio adversus Deum, & percussio cum dubitatione petræ, actus singulares sunt, quos in hominibus piis inveniri posse, nos nunquam negamus: iterationem tantùm talem, quæ habitum (quem vocant) efficiat, semper pernegamus. Deinde, quàm sit periculosum, viris præsertim divinis, unum etiam actum peccati committere, satis superque docet exemplum hoc Mosis. Nam propter hoc facinus in teram promissam

Lapsus virorum divinorum excusantur.

v. Stegm. p. 403. p

Act: 7. 24, 25.

ingredi

ingredi non potuit. 3. Exemplum est Davidis, de quo dicit, *quòd commiserit homicidium, adulterium, fuerit polygamus, numerârit populum ex maxima superbia* &c. Adulterium & homicidium Davidis pro uno peccato censeri debet, ut ipsa etiam loquitur scriptura. Vno enim impetu factum est utrumque. Peccata verò talia committi posse, etiam ab hominibus aliàs piis, nemo negat: Iteratio peccatorum talium, an cum vera pietate consistere possit, quæstio est. David certè ad finem usque vitæ suæ tantum scelus deplorasse legitur, & ad illud nec facto nec animo unquam relapsum esse, probabile est admodum. Polygamia tunc temporis pro peccato censeri non poterat. Ipse enim Deus id permittebat, & is Davidi tot concubinas concesserat, ut textus habet: *Ego dedi uxores Domini tui (Saulis) in sinu tuo.* Numeratio populi pro peccato quidem jure censeri poterat, si consideretur persona ejus, qui id fecit, nempe prophetæ & regis: Aliàs verò peccatum nullum, quod a Deo interdictum fuisset, censeri potest. Et hinc est, quòd sacra scriptura testatur Davidem fecisse, quod rectum erat in oculis Domini, & non declinasse ab omnibus quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Vriæ Hetthæi, non sic testatura, si aliud etiam peccatum, a Deo expresse prohibitum commisisset David. Præterea actus ille unicus, quem a Davide iteratum fuisse nusquam legimus, non potest quicquam suffragari causæ Frantzii, qui probandū susceperat, omnes viros sanctissimos *gravibus & aliis sæpe repetitis vitiis* deliquisse, ut thesi 103. affirmat.

2. Reg: 12. 8.

3. Reg: 15. 5.

Exemplum 4. est Petri & Iohannis, quorum illum, Dominum ter abnegasse, hunc a Domino profugisse, queritur. Respondeo. Petrus cùm Dominum abnegaret, adhuc erat in sua magna ignorantia & infirmitate, nec dum verus Christi discipulus, qualis postea extitit, cùm ei & aliis datus est Spiritus sanctus de cælo, quo perfusi, Christi religionem verè demum intellexerunt, & secundùm eam vivere cæperunt. Dicam iterum. Petrus Dominum abnegavit ter, non ex malitia, sed ex Dei voluntate, qui hanc abnegationem loco pœnæ ipsi imposuerat, quam eo, quòd Christo Domino, fugam ei & aliis denuncianti, idque sacrarum literarum testimonio comprobanti, tantùm non mendacium objiceret, meritus erat. Dicam tertiùm. Petrus semel tantùm facinus hoc commisit: Itaque nihil huc facit exemplum illius. Fuga Iohannis a Domino Iesu, instante agone, mera erat infirmitas, eaque ab ipso Deo olim prædicta his verbis: *Percutiam pastorem, & dispergentur oves*, & quod caput rei est, semel id tantùm accidit. Vidimus exempla a Frantzio allata,

lata, an verò, probatum sit illud, quod tam audacter dicit thesi 103. *plærosque omnes sanctissimos gravibus & aliis sæpe repetitis vitiis deliquiße*, & quod thesi 107. iterat, *ubique aliquid in sanctissimis etiam gravissimorum peccatorum deprehendi*, videat pius & cordatus lector. Nec enim de plærisque sanctissimis id ostendit, quod affirmat, sed tantùm de quibusdam; nec in his quibusdam peccata ostendit gravissima; nec denique, quod omnium maximum est, hos quosdam ea peccata sæpe repetiisse docuit, nec docere unquam potest. Hoc enim esset religionem omnem evertere, sanctissimos eos appellari, qui gravibus & sæpe repetitis vitiis implicati sunt vel delinquunt.

Exemplum denique affert nostrorum thesi 108., quomodo se gesserint in Transylvania in negotio Francisci Davidis, *quomodo semetipsos in actu illo inter se reos agant vafriciæ, perfidiæ, crudelitatis sanguinariæ, proditionis*, &c. Sed hîc primùm regero: Non exemplis sed legibus judicandũ esse. Si nostri ita se gesserunt, ut scribit Frãtzi⁹, hinc non sequetur, falsam esse hanc doctrinam, quæ postulat, ut homines, qui veri Christiani esse volunt, sint liberi ab omni peccati habitu & consuetudine. Accusandi potiùs essent tam nostri, quàm alii, ut resipiscant, si perire nolint æternùm. Deinde dico, falsò ista objecta fuisse ab autoribus scripti, quod citat Frantzius, nostris. Verè enim fraternè tractârunt Franciscum Davidis usque ad ipsum agonem, quanquam eum ut fratrem tractare non tenebantur, qui in Iesu Christi veram divinitatem tam impiè involabat, ut dicere non dubitaret, tantum peccatum esse eum invocare, quantum est, si virgo Maria invocetur. Quæ tanta impietas magistratui occasionem dedit, eum in carcerem, in quo etiam mortuus fuit, conjiciendi. Quanquam tunc etiam nostri pro illo excommunicato apud principem intercessere, ut hominis infelicis misereretur, cùm alii instarent, ut vitâ privaretur. Dico denique, etiamsi quid tale vel simile in quibusdam ex nostris tunc temporis repertum fuisset (quod tamen non concedo factum fuisse) hoc causam Frantzii nihil juvare. Poterant enim postea pænitentiâ ducti, totum illud abjicere, & veræ deinceps pietati studere ad finem usque vitæ suæ. His ita examinatis, videat benevolus lector, quàm justè exempla ista omnia Frantzius attulerit ad sententiam suam stabiliendam.

Excusantur Trãsylvani.

Restant adhuc quædam ad hanc materiam pertinentia expedienda. 1. est. Quòd Frantzius nullo modo concedere velle videtur, posse fieri, ut homo aliquando resipiscere non possit, vel pænitentiæ locum non invenire. 2. est, sententia ipsius de phrasibus sacrarum

crarum literarum, quòd renati non peccent, aut non possint peccare. 3. est, Responsio ipsius ad argumenta nostrorum, quibus docetur, fieri posse, ut homo renatus non peccet.

Quòd ad primum attinet, non negatur quidem, quod crebrò iterat Frantzius in thesibus suis, Deum esse multum miseratione, & peccata resipiscentibus remittere. Nam si hoc non constaret, actum esset de nobis omnibus, qui peccavimus, & interdum etiam labimur in multis. Sed primùm monetur, ne sermonibus parùm religiosis parúmq; veris, populus Christi corrũpatur, quales sunt, quòd Deus peccantes, & peccantes mortaliter, in gratiam recipiat, si modò egerint pœnitentiam. Nam etiamsi fortasse Frantzius modum invenire se posse credat, quo hæc invicem conciliet: sunt tamen ita comparata, ut tantùm sibi non repugnent invicem. Peccare enim mortaliter, significare potest, non tantùm peccatum committere, quod mortem naturâ suâ afferat, sed etiam in peccato hærere; imò sola vox peccandi, secundùm mentem sacrarum literarum, id plærumque significat: pœnitentiam verò agere peccati, & peccare, quomodo inter se conveniunt? Nam pœnitentia vera requirit animi mutationem, ob quam causam etiam μετάνοια appellatur: peccare autem significat, in eadem malitia manere. Deinde verò, utut concedatur, Deum neminem a se rejicere, quoties quis pœnitentiam agat, quid hoc totum valebit, si non constet, hominem posse semper pœnitentiam agere? Tunc enim clarum erit, non posse etiam ei peccata remitti. Non posse autem hominem semper pœnitentiam agere, ex eo patet, quòd Deus eum quandoque indurat, ne convertatur; quòd Deus quosdam tradit in mentem reprobam; quòd quibusdam mittit efficaciam erroris, ut mendacio credant. Idque exempla tum certorum hominum, ut Pharaonis, Iudæ, & aliorum, tum integrorum populorum, ut populi Iudaici, & etiam Christiani per longa secula, nimis manifestè ostendunt. Hinc facilè videre potest Frantzius, & alii, quid de iis, qui a carnifice jugulantur, sentiendum sit, de quibus ait Frantzius thes: 134. *Si certum sit eos pœnitentiam agere, quis dubitaret, eos peccatorum veniam consecuturos.* Sed dubitatur, tum an Deus velit tales resipiscere: tum an id, quod ipsi faciunt, sit vera pœnitentia. Potest enim fieri, ut homo peccatum deploret, & tamen animum non mutet; & etiamsi animum etiam mutet, nisi detur occasio animi istam mutationem testificandi reipsâ, valde dubium est, an talis pœnitentia sufficiat. Alia enim pœnitentia omnibus generatim proposita est. Hinc etiam colligi potest, quid de latrone in cruce ad Deum converso sentiendum sit. Nempe cum,

Locutiones de remissione peccatorũ vitandæ.

Mat. 13.15. Rom. 1.28. 2. Thess. 2.11.

Non semper homo potest pœnitentiam agere.

V. Hornb. 3, 164.

Exempla nõ sunt lex.

pe eum, quia Deus ei pœnitentiæ locum concessit,& ipse etiam verè resipuit, servatum quidem omnino iri, ut Christus ipse etiam ei promisit: Notandū autem est inprimis,hujusmodi exempla non in legem esse pertrahenda. Rari enim sunt,quos Deus ita amavit; nec generatim id promitti potest,quod uni accidit, præsertim si causam &occasionē sese ad Deum convertendi antea habuerint. Exempla ejusmodi, non quid ordinariè futurum sit, sed quid quandoque vel rarissimè fieri possit, tantùm docent. Exemplum Mosis & Aaronis nescio quale sit. Nil enim præter nomina ipsorum in thesi Frā: expressit,& locum nullum,unde, quid sibi vellet, colligi possit, ascripsit. Quicquid sit,certum est, id nihil huc facere, ut etiam locum Esa: 18:, Ista enim, non quid Deus semper & perpetuò, sed quid rarissimè vel interdum faciat, tantùm similiter doceant.

Addidit Frantzius thesi 136. locum ex Ioele: *Si forte convertatur*, &c. Sed quia non indicat, quis nostrum ei illum objiciat,non est, quomodo vel respondeam vel etiam illum defendam, præsertim cùm aliquid aliud suadere videantur verba apud prophetam, atque illud est, de quo controvertimus.

Locus porrò Act:8.22. Cùm Petrus Apostolus dixit cuidam Simoni: *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua & roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui*, egregiè illud confirmat, quod non semper pœnitentia locum habeat apud Deum. Quod verò ait Frantzius, apparere ex collatione v: 20. cum 22., verba illa non ad remissionem peccati seu reatus & æternæ damnationis, sed ad pœnas temporales cumprimis pertinere, id primùm valde incertum est. Aliud enim omnino suadet ipse v: 20. quem cum 22. conferre jubet Frantzius. Dicit enim Apostolus: *non est tibi pars neque sors in sermone isto*. Quod quid est aliud, quàm salus, quam nos annunciamus,ad te non pertinet, si Deus tecum jure agere velit? Erat enim hæc insignis malitia & digna non vulgari supplicio,quia,ut 23. v: additur, in felle amaritudinis & obligatione iniquitatis videbat eum esse Apostolus. Hinc sub dubitatione quadam jubet eum a Deo veniam rogare, satis indicans, insignem aliquam & extraordinariam gratiam Dei ad istam nequitiam delendam requiri. Posse autem Deum nō expectatā pœnitentiā,vel respectu ejus nullo habito, hominem perdere,&æternùm damnare,qui tale scelus animo foveat, exemplū Ananiæ& Sapphyræ videtur docere aliqua ratione. Deinde quantumvis id sit certissimum,nihil tamen juvat Frantzium. Firmum enim manet ex hoc loco, non semper pœnitentiæ locum esse apud Deum, si Deus non semper peccata remittit. Et idem etiam de Esauo intelligendum est,ut habet caput 12. ad Hebræos.

Ob actum ex malitia deliberata profectū potest Deus hominem perdere.

At ait

At ait Frantzius thesi 137. *Deum sæpe post remißam culpam & pœnam æternam nihilominus pœnis corporalibus prævaricatos homines sed conversos affligere (qua de re alibi) non quòd illa castigatione pro peccatis satisfiat, sed ut ipsorum fides & invocatio probetur & exerceatur*, &c. Ego verò optassem priorem partem, de qua alibi se vel scripsisse vel scripturum Frantzius dicit, hîc ab eo fuisse probatam, vel rationibus vel testimoniis. Hîc enim maximè opus erat id fieri. Vix autem probabit id Frantzius, quod affirmat. Ostendi potest ex sacris literis, Deum interdum leviores pœnas hominibus inflixisse, quàm erant meriti: Doceri etiam potest, Deum sæpe homines pœnis temporalibus affligere, quos tamen servatum iri credibile est, vel etiam constat: Sed hoc longè aliud est ab eo, quod ait Frantzius. Potest enim Deus pœna corporali affligere aliquem, qui servabitur in æternum, quia scilicet ipsius peccatum non pœnam æternam, sed tantùm corporalem meritum erat. Non omnia enim peccata, sed tantùm enormia, & peccatorum non actus sed habitus tantùm, pœnam æternam, vi fœderis novi considerati, merentur. Altera verò pars, nescio quem primùm pungat. Nemo enim nostrum est, qui dicat, castigatione aliqua pro peccatis satisfieri. Si verò alii ita sentiunt, nempe Pontificii, quo fine hoc ita infarcitur, cùm adversus nos scribitur? Deinde planè etiam incertum est, ideo homines interdum pœnis corporalibus affligi, ut ipsorum fides & invocatio probetur & exerceatur. Et mirum est, Frantzium nullum hîc addidisse testimonium vel probationem, cùm verba ipsa contrarium quodammodo suadeant. Puniri enim (quantumvis temporariè) quid cum probatione commune habet? cùm tantùm pii & innocentes probentur. Rationes verò, quare Deus eos, qui servari possunt, affligit pœnis corporalibus, aliæ dari possunt, eæque, ut puto, Deo dignæ, & hominibus utilissimæ. Sed de his nunc non est disserendi locus aut tempus.

Non omnia peccata damnationem æternã merentur sub N. F.

v. [illegible] 3 "t.

Locum denique etiam Heb: 6. & 10. thes: 138. repellit eo, *quòd loquantur de manifestis & petulantibus apostatis*, &c. At non videt nihilominus confirmari per ea, id quod est in quæstione, & quod ipse constanter pernegat, nempe dari tempus, quo non est locus pœnitentiæ. Nam si impossibile est, quosdam renovari ad pœnitentiam, ut habet prior locus: si quibusdam non relinquitur pro peccato hostia, sed horribilis expectatio judicii, &c. ut habet alter locus, certissimũ est, Deum interdum nolle, ut homines resipiscant, & etiamsi deplorent suam infelicitatẽ & malitiã, tamen illud non esse veram pœnitentiã: & evanescere illud necesse est, quod dicit Frantzius

thes: 126. *Deum mortaliter peccantes nolle rejicere, si modò & quidem quoties egerint pænitentiam.* Hæc enim verba tacitè præsupponunt, posse homines mortaliter peccantes, quoties velint, pænitentiam agere. Sed præterea falsum est, utrumque locum loqui de Apostatis. Hoc enim de posteriore tantùm verè dici potest. In priori autem non de Apostata, sed de eo, qui Christi nomen profitetur, & ad aliquod scelus, ex quo semel sese extricaverat, relabitur, quod ipse contextus & præsertim similitudo a terra, in quam sæpe pluvia decidat, unumquenque docere potest. Imò fieri potest, ut talis homo deploret suam conditionem, & malè se facere agnoscat, qui Christi religioni & præceptis non obediat, quod nunquam facit Apostata. Is enim, ut est in altero loco, blasphemat Christum & ejus Evangelium.

Differentia locorum Heb: 6. & 10.

His ita peractis Frantzius, thesi 139, nescio quo fine, hoc inserit: *Quòd autem à Christianis legem impleri vel totam vel maxima ex parte declamitant, disputatione 2. & 6. refutatum est.* Ergo, ut non tota, sic nec maxima ex parte lex impleri potest a Christianis? egregia sanè Theologia & pietas. In quem igitur finem lex data est? Ergo Deus injustus, qui id ab hominibus exigit, quod nullo modo præstare queunt? & frustra tum præcipitur, ut legem servemus, tum prædicatur, quòd quidam eam impleverint? Impleverint, inquam, eo modo, in quo Deus acquiescit, qua de re suprà non semel a nobis dictum est. Videat autem benevolus lector responsionem nostram ad disputationes nominatas.

Sed adhuc aliud addit thes: 140. *Omnino in hunc finem sacra scriptura lapsus magnos sanctissimorum hominum nobis descripsit, ut consolationem inde haberemus. Si enim legem complere possemus, potiùs nihil nisi heroica facta eorundem, omissis omnibus lapsibus, inculcare debuisset.* Sed nec omnes sanctissimos viros lapsos fuisse sacra scriptura testatur; nec eos, quos lapsos fuisse testatur, graviter omnes lapsos esse docet, ut antea in examinatione istorum lapsuum ostendimus; nec denique habitum ullum lapsuum vel peccatorum in illis mansisse indicat, quod maximè urget Frantzius. Frustra igitur est, quod ait, id ideo factum fuisse, ut consolationem inde haberemus; & ratio, quam addit, nullius est momenti. Historici enim est, describere veritatem, non tantùm virtutes hominum: & non ex exemplis judicandum est de possibilitate alicujus rei præstandæ, sed ex justitia præcipentis & aliis similibus rebus.

Gloriationem istam, quæ habetur thesi 141. *Et hæc quæ hactenus disputata sunt hac de re, qui ingenui sunt ex adversariis non negabunt, multò minus solidè unquam refutare poterunt*, donamus Frantzio.

Multa

Multa inter ea, quæ hactenus disseruit Frantzius talia sunt, quæ vera esse confitemur. Quomodo igitur ea negemus, vel refutare cogitemus? Quæ verò inter nos controversa sunt, cur negemus, & quomodo obiecta Frantzii refutemus, judicet cordatus lector.

Iam alterum videndum est eorum, quæ expedienda nobis in hac sectione sunt: nempe quæ sit sententia Frantzii de phrasibus D. Iohannis: *Natus ex Deo non peccat, nec potest peccare.* Postquam igitur sententiam nostram exposuisset thesi 145. Quòd non peccare, sit, in nullo peccato hærere: & non posse peccare, sit, abhorrere a peccato, ad hæc ita respondet th: 146. *Ea (inquimus) vera non sunt, nisi de illo genere peccandi, quo homines facillimè cum magna cupiditate, cum singulari delectatione, studiosè, datâ operâ, præmeditatè, incunctanter, semper, more Ethnicorum incredulorum & cæcorum impio, volenter, scienter contra conscientiam, in contumeliam Dei & odium hominum & sine ulla pænitentia malè faciunt.* Hæc omnia, verba sunt Frantzii satis audacter & imprudenter prolata, ad detinendum homines in omni impietate, vel saltem ad deterrendum eos ab omni studio veræ pietatis. Sed quid facias, quando ita sunt tempora? Audiamus rationem. Ait igitur thesi 147. *Quamdiu enim pii talia vitant, tamdiu sunt veri Christiani: quamdiu his vacant & sese dedunt, ibi mox incipiunt migrare in castra falsorum Christianorum, hoc est, ut rectè de his parvus libellus foliis F. 5. & F. 6. colligit, patefaciunt suam infidelitatem, negant se esse Christianos, negant se nosse Christum, negant se habere Deum, fatentur se esse sub peccato, non possunt salvi fieri, falsitatis arguunt verbum Dei, quod testatur nullam esse communionem justitiæ cum injustitia, falsitatis arguunt Prophetas de peccatis sub Christo cessaturis, negant Christum venisse, mortuum & suscitatum esse.* Rationem expectabamus istius tam audacis pronunciati, quod thesi præcedente continetur, & initium hujus theseos spem nobis ejus faciebat: Sed spe frustrati sumus. Sententiam enim tantùm suam dixit Frantzius eamque talem, quæ æquè est irreligiosa, addo etiam perniciosa, ut thesis ipsa præcedens. Hac enim ratione tantùm dæmones erunt falsi Christiani. Quales enim nobis describit Frantzius, non tantùm falsi Christiani sunt, sed homines perditissimi & indigni, qui hominum honestorum nomine vocentur: Ad id verò, ut quis sit falsus Christianus, satis est, si non secundùm Spiritum vivat, si opera carnis Spiritu non mortificaverit, si carnem cum omnibus concupiscentiis non crucifixerit, etiamsi a multis vitiis liber sit, etiamsi invitus quodammodo peccata committat, & perpetuò seipsum accuset & peccata sua deploret. Videat Frantzius quomodo rationem redditurus sit Domino

Quis sit falsus Christianus.

spond: quod ibi agatur de fide illa, quæ dirigebatur in Christum, cùm in terris visibiliter miracula faceret, de quo credendum tunc erat, ipsum omnes morbos posse tollere. Quisquis igitur hoc in specie credebat, is etiam in specie à Christo sanabatur & juvabatur, nec ullus morbus sanatu impossibilis erat ulli hoc credenti: Lege Mar: 9. à versu 14. *usque ad* 30. *item Matth:* 10. 1. *&* 14. 28. *& seqq: &* 17. 14. *usque ad* 22. *&* 21. 21. *Luc:* 17. 6. *Futilissimè igitur à fide speciali argumentatur auctor ille ad fidem generalē salvificam.* Primùm falsò introducit libellū concludentē Fr: Ergo etiam impossibile credenti est peccare. Nec enim ita concludit, nec ut concludat necesse est, ut modò diximus. Deinde ineptè se planè gerit Frantzius. Nam verba, quæ Dominus Iesus affert, cur homo iste, cujus filium sanabat, considere debebat, ad fidem istam hominis illius solam restringit, quo vix ineptius aliquid dici potuit. Argumentatur enim Dominus Iesus a genere universo ad speciem affirmatè, & ex eo, quia omnia sunt possibilia credenti, vult hominem istum colligere, possibile etiam esse, ut filius ipsius sanetur. Quomodo etiam nostri argumentantur & rectè quidem. Nam si omnia possibilia credenti; ergo etiam non peccare. Futilis igitur est is, qui hunc modum argumentandi reiicit, & iners, qui eum non percipit, & a fide speciali argumentum fieri ait ad fidem generalem & salvificam.

Ad alterum respondet Fr: thes: 156. *Simili sòlæcismo depravat dictum Phil:* 4. 13. *Omnia valeo in Christo, qui me corroborat, Ergo etiam possum non peccare. Respondemus, quòd Apostolus ibi dicit, se omnia posse, sive quæ ad esuritionem sive quoad satietatem, tolerare: Legantur enim antecedentia & consequentia: & de peccando vel non peccando ibi nihil reperies.* Simili igitur modo respondendum est ad hanc thesin, quo ad præcedentem responsum est.

Ad tertium sic respondet thesi 157. *Denique ita concludit: Si Deus potest omnia dare, tum petentes potest liberare & servare ab omnibus peccatis. Resp: Omnino preces impetrant à Deo Sp: S., quo à peccatorum lue præservamur. Interim verò, quia peccatum originis manet in natura ex corrupto semine propagata, etiam semper manet lucta carnis & spiritus, in qua vincenda alii aliis fortiùs agant.* Hîc ex parte manus dare & veritati cedere, imò eandem profiteri videtur Frantzius. Nam si omnino preces impetrant Spiritum sanctum, quo a peccatorum lue præservamur, jam constat, renatos posse non peccare: sed rursus in transversum rapitur a peccato originis, & eidem falsò attributo effectu, lucta scilicet carnis & spiritus. Quia verò nullam addit ampliùs probationem, nulla etiam responsione opus est, præter hanc, quòd

peccatum

peccatum originis nullum sit; nec ejus effectum sit lucta carnis & spiritus; nec ex lucta carnis & spiritus consequi possit contrarium ejus, quod jam concessum est, nempe Spiritu S. nos a peccatorum lue præservari, nisi fortasse majus sit robur peccati originis, quàm Spiritus S. Denique si in vincenda lucta carnis & spiritus alii aliis fortiùs agunt, hinc iterum apparet, luctam illam tantam non esse, quæ peccatum inferat. Nam & illi, qui fortiùs aliis agunt in illa lucta vincenda, & qui minùs fortiter aliis agunt, victores tamen esse possunt, & certè sunt.

Itaque contra thesin, 158. Frantzii firmum manet, multa eorum, quæ hactenus de peccatis docuit Frantzius, causam esse, cur omnes anguli mundi scateant hypocritis & aliis malis.

De 5. sectione non est, quod dicamus, cùm, quod ad rem ipsam attinet, cum Frantzio conveniamus; nempe non licere salvâ conscientia veritatē divinā in iis, quæ fundamētalia sunt & salutē concernūt, astutè dissimulare. Quanquam probationes quasdam hujus rei putamꝰ esse nimis infirmas. In quibus verò dissentimus, ea leviora sunt, quàm ut exagitentur, ut allegationes locorum Dan: 12. 2. *Intelligentes fulgebunt, ut splendor firmamenti, & justificantes multos, tanquam stellæ in seculum & in æternum* Luc: 11. qui non est mecum, & Rom. 1. 12. de communi exhortatione per mutuam fidem Romanorum &c. quas ipsimet Frantzio ampliùs considerandas relinquimus.

REFUTATIO THESIUM D. WOLFGANGI FRANTZII, De Baptismo.

Quæ est Disputatio ipsius decima.

BAPTISMUM (nempe aquæ) esse divinitus institutum, quæ prima sectio est Frantzii, nemo Christianorum, ut puto, negat. Itaq; non erat quod hoc doceret: Libet tamen quædam in eam annotare, quæ non minimi sunt hoc in negotio momenti. Primum est, quod thesi 7. affirmatur: *Baptismum Ioannis consilium Dei appellari.* Hoc enim apud Lucam non habetur: quin imò diversum aliquid dicitur. Ex eo enim, quòd non fuerint baptizati a Ioanne Pharisæi, quodammodo evincitur, eos sprevisse consilium Dei ad versus

semetipsos. Deinde si consilium Dei fuisset Baptismus, jam infirmaretur argumentum Frantzii. Potest enim esse consilium Dei, quod non est ejus præceptum. Consilium autem Dei erat, quòd peccatores resipiscentes recipere volebat, idq; per Ioannem Baptistam primùm annunciari curabat. Hoc spreverunt Pharisæi, quia non resipiscebant. Hujus verò rei indiciũ erat, quòd non baptizarentur a Ioanne. nam qui resipiscebant, hos jubebat Ioannes, ut baptizarentur aquâ.

Quid consiliũ Dei fuerit Luc. 7.

Secundum est, quòd thesi 9. affirmat, *Christum discipulis suis maturè injunxisse, ut ipsi quoq; baptismum inchoarent & administrarent.* Hoc enim omnino incertum, imò planè falsum censendum est. Cùm, quemadmodum Iohannes non spiritu sed aquâ: sic Christus non aquâ sed spiritu baptizaturus esset, ut testatur ipse Iohannes, hoc est, non futurum erat hoc munus Iesu Christi, ut aquâ baptizaret. Quæ verò citantur loca, id, quod quæritur, non efficiunt. Nihil enim aliud affirmatur, quàm Christum, vel, quod minus est, discipulos Christi baptizasse. Hinc verò nullo modo sequitur, eos baptizasse jussu & mandato Christi. Potuerunt enim baptizare, quia Christus id tantùm permittebat, & poterat Christo id non minùs attribui, quod discipuli, ipso permittente, quàm quod ipso jubente, faciebant. Permisit autem Christus, ut discipuli sui baptizarent, quia tunc commune commodum id requirere pro sua sapientia providebat. Quemadmodum etiam ipse Dominus ob eandem causam inter alias baptizari voluit, licet mandato generali ad id non adigeretur. Erat enim Iohannis baptismus, baptismus pœnitentiæ. Christus verò pœnitentiâ non egebat, ut pote innocentissimus.

Christus baptismum permisit. Matth. 3. 11.

Cur permiserit.

Matth. 3. 11.

Tertium est, quòd ex verbis Iohannis: *Non potest homo quicquam accipere, nisi fuerit ei datum é cœlo*, docetur, Christum non potuisse baptizari, nisi Deus ei id præcepisset. Sermo enim ibi est de rebus, quæ quis potest accipere de cœlo, quod de factis hominis, quale erat baptismus, non nisi ineptissimè dicitur. Sunt autem verba Iohannis accipienda de Christi munere & successu ejusdem. Neutrum autem horum poterat haberi, nisi a Deo.

Vltimum est, quòd dicitur, Christum Matth. 28. 19. repetiisse hanc baptismi ordinationem, thesi. 12. Nulla enim repetitionis mentio est aut vestigium, sed tanquam res nova illud totum Apostolis præcipitur, de quo ibi sermo est. Quomodo verò repeti potest id, quod ante a præceptum non erat? Frivolum verò omnino est, ex voce Baptismi absolutè posita, colligere baptismum aquę. Cùm nemo nesciat, quàm varius & quàm abstrusus interdum sit hujus vocis usus. Quatuor enim insignes hujus vocis significationes observarunt viri docti, nempe aquæ,

Christus rem novam præcipit Matth. 28.

Significationes baptismi.

quæ, spiritus, crucis & doctrinæ. Fatemur igitur, Christum in hoc loco non repetiisse sed præcepisse Apostolis ut baptizarent: sed hoc de baptismo aquæ accipi debere, planè controversum & dubium esse contendimus.

SECTIO SECUNDA, quæ est, *an baptismus fuerit institutus tantummodo in usum illorum temporum, quibus Apostoli vixerunt, an verò ut usq; ad finem mundi duraret,* tota corruat necesse est, siquidem non constat, baptismum aquæ a Christo esse institutum. Non enim, quod Ioannes Baptista nomine Dei præcepit, præsertim ceremoniale, nobis Christianis necessariò faciendum est: sed quod solus Dominus Iesus. Hic enim, nō ille, fuit lux vera, quæ illuminat omnem hominem. Præterea errores sunt non pauci in hac ipsa sectione. Error est: thes. 14. *Christum per Ioannem & ejus discipulos baptismum administrasse.* Prior enim fuit Christo Iohannes: & Iohanne jam quodammodo deficiente, vel saltem ad finem muneris properante, Christus demum Evangelium suū orsus est. Error est eadē thes. 14. *Christum post resurrectionem in eo totum fuisse, ut ascensu suo in cœlum significaret, se deinceps Ecclesiam colligere velle ex Iudæis & gentibus.* Nullum enim omnino ejus rei indicium uspiam apparet, nec illius ea res temporis ullo modo fuit. Oportuit enim Christum priùs sedere a dextris Dei, quàm ad gentes etiam Evangelium transmitteret, & ex illis ecclesiam sibi colligeret, idq; non statim, sed aliquo saltem tempore interposito. Quomodo enim tantopere recusasset D. Petrus Cornelium adire, si de Christi voluntate, quòd ex gentibus etiam vellet ecclesiam colligere, antea illi constitisset? Error est, Christum instituisse, ut baptismus (nempe aquæ) inter gentes vulgetur & usurpetur per Apostolos. Id enim nuspiam scriptum extat. Error est, quod thesi 16. dicitur, Christum Marci 16. de baptismo aquæ loqui. Nam nec verba id indicant, nec ex illis id colligi potest. Error est, quod habet thesis 17. hoc Christi mandatum sedulò explere studuisse Apostolos, si de baptismo aquæ accipiatur: Ecclesiam Apostolicam id fecisse, omnino etiam incertum est. Vnde Pontificii Pædobaptismum ex sacris literis demonstrari posse negant, non negaturi proculdubio, nisi eum ex sacris literis probari posse desperassent. Ecclesiam verò id fecisse, quæ post Apostolos aliquot seculis extitit, non mirum est, cùm variis erroribus imò ipsa defectione a fide cæperit esse polluta. Quæ verò loca affert observati baptismi aquæ Frantzius Act: 2., 8. & 8. 12. Gal. 3. Act. 8 38. Act: 10. ea tantùm quid in quibusdam locis factum sit, non verò quid ubiq;; nec quid necessariò factū fuerit, aut fieri debeat, docet. Error est thesi 21. Eph. 4. per unum baptisma, aquæ baptismum significari. Baptismū

Solius Christi præcepta servanda.

Quādo Christus ex Iudæis & gentibus Ecclesiam collegerit.

V. Rom. 3, 25.

etiam aquæ unum ex primordiis Christianæ religionis, Hebr. 6. appellari (ut habet thes. 22) non planè constat. Potest enim dici, baptismata doctrinæ censeri pro particula sermonis initii Christi, ut autor ait: & etiamsi esset, non tamen inde sequeretur, mandatum eum fuisse a Christo. Poterat enim etiam id observari a Christianis, quod a Ioanne Baptista institutum, & a Christo & deinceps ab Apostolis non abrogatum, imò permissum erat, ob ædificationem. Vt & impositio manuum inter primordia Christianæ religionis censetur, quæ tamen mandata nunquam fuit a Christo.

v. Horn. 3, 251.

SECTIO TERTIA, *An viros, mulieres, adultos, infantes, voluerit & velit baptizari Christus*, partim ridicula est. Quis enim dubitavit unquam, an viri & adulti, addo etiam mulieres, baptizari, si baptizandum sit, possint? Christum autem voluisse, ut tales baptizentur, dici non debet, quamdiu non constat, eum præcepisse ullum aquæ baptismum. Infantes verò ut baptizentur, quomodo Christus voluisse dici potest, qui nec, ut adulti baptizarentur, voluit, hoc est, præcepit? Itaque planè otiosum illud est, quod Frantzius hac Sectione tractat, præsertim cùm tota ejus structura nitatur hoc falso fundamento, quòd Christus præceperit omnes baptizare. Et etiamsi tandem Christus præcepisset aquâ baptizare: nimis tamen puerile esset, puerorum baptismi institutionem Christo asscribere, cujus Evangelium ad soloseos, qui ad fidem (quæ est per auditum verbi Dei) apti sunt, pertinet. Quem errorem crassum pluribus potuissemus persequi & detegere, nisi jam libellus nostrarum Ecclesiarum ea de re extaret, & nisi hæc tempora matura aliud quid agi postulare viderentur. Fabula enim est illud, (thes: 28.) baptismum aquæ in locum circumcisionis fuisse substitutum, nec ullo aut testimonio sacrarum literarum aut probabili ratione vel leviter persuaderi homini sensato potest. Paulus quidem Col: 2. de circumcisione Christi agit, hoc est, de ea, quam Christus præcepit, & quæ ei placet. Hanc autem non dicit esse baptismum, sed exutionem corporis peccatorum carnis, hoc est, omnium peccatorum. Corpus enim alicujus rei per Hebraismum, pro ipsa re tota sumitur. Baptismum verò (ut & hoc addam) istius rei professionem tunc fuisse, & nunc etiã esse, manifestè docet.

v. Slegr. p. 555.

Baptismus nõ successit in locum circumcisionis.

Circumcisio Christi quid?

Quæ ex Origene & Augustino affert thes: 29. 30., ea nihil valere possunt apud eos, qui omnia ad trutinam Apostolicæ doctrinæ examinant. præsertim cùm Origenes dicat, *hanc traditionem accepisse Ecclesiam ab Apostolis*. Nobis verò non traditiones, sed præcepta Apostolica, quæ doctrinâ ipsorum cõtineantur, proferri necesse est.

At Christus jussit omnes gentes discipulos facere, ait ex Ostorodo Fran-

do Frantzius thes: 33. Ergo etiam infantes. Sed quid hoc juvat Frantzium, si Christus non jussit baptizare aquâ in loco citato Matthæi? Deinde quis nescit, quando dicitur, *facite discipulos omnes gentes*, id de illis tantùm accipiendum esse, qui possunt discipuli fieri? quemadmodum etiam, docete eos (nempe omnes gentes) tantùm pertinet ad eos, qui doceri possunt. Sed hæc puerilia sinamus. Affert etiam illud, *talium est regnum cælorum* thes: 34. Sed frustra. Nam si jam ipsorũ est regnum cælorum, antequam baptizentur (non enim baptizatos fuisse illos, qui ad Dominum afferebantur, constat) quid opus est, eos in hunc finem baptizari, ut regnum cælorum consequantur? Omitto illud, quòd non *horum*, sed *talium*, hoc est, qui similes essent pueris, dixit Dominus. Piget enim me hujus de hac re puerili scriptionis, & jam ista superiùs etiam dicta fuere.

SECTIO QUARTA, *An in Baptismo reverà fiat, an verò tantummodo signetur regeneratio*, falsa tota & quodammodo idololatrica est, &, contra quos scripta sit, nescio. Itaque non est, quòd responsioni ad eam immoremur. Enumerasse errores ejus satis erit. *In baptismo* (aquæ) *non tantùm est* (ait thesi 40) *aqua tanquam elementum, sed etiam verbum, Ephes: 5.26.* Sed Paulus in loco citato non de baptismo aquæ loquitur; nec verbum ad aquam elementarem concurrere affirmat: sed tantùm certo quodam lavacro Ecclesiam purgari ait, *in verbo*, hoc est, quod lavacrum sit Christi Evangelium, vel in eo contenta promissa & præcepta. Commenta sunt ista pontificiorum Doctorum, quorum jam pudere debebat eos, qui Christi Evangelium in omnibus pro norma fidei solum habere sese gloriantur. *In baptismo aquæ esse etiam spiritum*, non minùs etiam erroneum est. Nam Ioh: 3. v: 5. nulla de baptismo mentio, nullum indicium, sed tantùm de generatione ex aqua & spiritu: Qui verò generationem ex aqua, baptismum esse affirmant, næ illi pueri sunt in Theologia. *Christi porrò sanguinem esse in baptismo* (puerorum,) quàm indignum est Theologo affirmare? At addit Fr:, 1. Ioh: 1.7. *Sanguis Iesu Christi filii ejus emundat nos ab omni iniquitate.* Ergo sanguis Iesu Christi est in baptismo? ô acutam collectionem! *Aquam deniq; baptismi esse organum seu instrumentum Spiritus sancti, quo in ipso actu baptismi regenerationem operatur*, non tantùm falsum, sed aliquid idololatricũ omnino censendum est. A quo affirmando jam tempus esset desistere adversarios in tanta Evangelii luce. Affert thesi 41. loca ad hoc confirmandum Mar. 16.16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit.* Ioh. 3.5. *nisi quis renatus fuerit* &c. Rom: 6.3. *Quicunq; in Christum Iesum baptizati sumus, in mortem ipsius baptizati sumus.* Sed primum locum

Quid sit lavacrum in verbo.

V. Slegm. p. 529.

V. Slegm. p. 530.

deba-

de baptismo aquæ loqui, nullo modo probatur, nec probari potest. Alter de nullo baptismo loquitur. Tertius nihil de regeneratione habet. Potest enim in mortem Christi quis baptizari, qui regeneratus non sit. Quod hinc patet, quòd Paulus eos, de quibus affirmat, quòd in Christi mortem baptizati sint, ad regenerationem hortatur.

Thesi 48. ex epist. ad Titum, baptismum, lavacrum regenerationis & renovationis (vel potiùs renovationem) Spiritus Sancti appellat Frantzius, nullam nec levissimam afferens rationem hujus ... pronunciati. Quod sanè mirum est in re tanta; & possem hîc Frantzium graviter accusare, & etiam exagitare, si jure meo uti vellem. Malo tamen, ut alii hoc judicent. Lavacrum regenerationis esse potest ipsa regeneratio vel renovatio Spiritus sancti. Per hæc enim Deus nos salvos fecit: Sed quid sit illa regeneratio, & quomodo nobis contingat, id ibi ab Apostolo explicatum non est. Hoc verò pertrahere ad Baptismum istum puerilem, & indignationem & dolorem non potest non parere in eo, qui veritatis divinæ vel minimam habet scientiam.

De loco Eph. 5. 25. suprà vidimus. Petrus 1 Epi. cap. 3. v. 21. dicit quidem, salvare nos baptisma: id verò ait, non esse depositionem sordium carnis, hoc est, non istum aquæ baptismum, sed conscientiæ bonæ interrogationem in Deum per resurrectionem Christi &c: & tamen contra mentem & verba Petri pertrahitur hoc ad baptismum aquæ, qui sine interrogatione bonæ conscientiæ, ut hæc rursus sine baptismo aquæ omnino esse potest.

Pandit autem nobis mysteria Frantzius, dum ait thesi 56. *Etsi verò motus talis collati seu fidei, in infantibus (nam de adultis res illa est expeditior) ex operatione Spiritus sancti per baptismum accensæ, ratio nobis non constat; tamen nec eam negare possumus, propter expressum testimonium Christi: qui scandalizaverit unum de pusillis istis, Qui in me credunt &c.* At Christus de pusillis loquitur, qui scandalizari possunt, ergo non de infantibus recens natis, quales apud Lutheranos & alios baptizantur, si modò verba illa Christi, de parvis quoad ætatem, accipienda sunt. Nihil enim impedit, quò minùs adulti, dicantur parvi eorum, qui in Christum credunt, eo sensu, quo etiam alibi dicuntur esse, minimi fratrum Christi. Imò hunc sensum ipse locus suadere videtur. Nam verba, *qui in me credunt*, non docent, pusillos, hoc est, infantes in Christum credere: sed, quinám pusilli non sint scandalizandi, determinant, nempe ii, qui in Christum credunt. Qui nám autem in Christum credere possint, non ex hoc loco, sed aliunde, vel ex testimoniis sacrarum literarum, vel ipsa deniq; ratione discendum relinquitur.

v. steg... p. 436.

Qui sint pusilli qui credunt in Christum. Mat. 25. 45.

Thes. 57. est. *Præbuit istarum operationum similia specimina majora &*

jora & evidentiora, Spiritus sanctus in Ieremia, quem ab utero matris sanctificavit. Ier.1,5. & in Iohanne Baptista, qui in utero matris præ gaudio propter præsentem Messiam exiliit. Luc.1.41.44. At longè aliud est ab utero matris sanctificari, quàm fidem in aliquo inesse ab infantia. Nam sanctificari id potest, quod ad usum singularem in futurum destinatur. Hoc verò absq; ulla actione & motu ejus, cui id accidit, fieri potest, in proposito scilicet ejus, qui id prædestinavit. Quæ nám verò sit ista sanctificatio Ieremiæ ex verbis, quæ mox cōsequuntur, apparet, *& prophetam in gentibus dedi te.* Datus autem fuit in prædestinatione. Iohannem etiam Baptistam in utero matris suæ exiliisse, quid simile est ei, quòd quis fidem habet? Potuit enim id ratione fieri non tantùm miraculosa, verùm etiam physica, absq; omni sensu pueri, nedum ut actio ad id aliqua ejus requisita fuerit, qualis, ut sit in fide, necesse est. Sed quid tandem hæc exempla singularia conficient, etiamsi id ex illis colligi posset, quod vult Frantzius? Regulamné universalem, quòd idem in omnibus infantibu s futurum sit? Apage istam audaciam & ignorantiam.

Sanctificari ab utero matris quid?

Exempla pauca regulam nō constituunt.

At ait: Fr: *Deum hoc velle facere in infantibus, inde patere, quia velit infantes per baptismum abluere à peccatis, regenerare & ita introducere in regnum cælorum thes: 59.* Sed hoc totum nihil est præter nuda verba, quæ tam facilè negari a nobis possunt, quàm facilè a Frantzio prolata sunt. Falsissima enim omnia sunt, quæ hîc affirmat. Sed adhuc unam habet thesin & argumentū hujus suæ puerilis, de fide infantium, conjecturæ.

Thes: 60. *conferantur etiam inter se duo loca illustria, nimirum alter ex Eph: c:5.26.27. alter Apoc:20.12. Vbi Ioannes videt mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu Dei & libri aperti sunt. Inter hos autem mortuos fuisse etiam baptizatos infantes, adeoque baptismo regeneratos ecquis dubitabit?* Illustria sanè duo loca: sed ad rem Frantzii nihil facientia, etiamsi millies inter se conferantur. Nam in priori nulla primùm baptismi est mentio, sed lavacri aquæ, quod in verbo, hoc est, per verbum fiat. Deinde nullum est ejus rei indicium, quòd ad infantes ea pertineant, quæ de Christi ecclesia dicta sunt. Ecclesia enim credentium est vel saltem profitentium: Infantes verò nec credere nec profiteri quicquam possunt. In altero loco fit quidem mentio magnorum & pusillorum: Sed 1. Baptismi nullum vestigiū. Deinde per pusillos eos etiam significari, qui, cùm adulti sint, ob aliam causam parvi appellantur, iam suprà demonstratum est. Denique pusilli esse possunt, qui non sint infantes. Quomodo etiam alibi Ioannes

1. Ioh.2, 12. 14.

Ioannes alios filiolos & infantes, alios adolescentes, alios patres appellare videtur; filiolos vel infantes scilicet, qui ætatis quidem adhuc sunt teneræ, talis tamen, quæ possit esse capax Christi religionis. ait enim, peccata illis esse remissa, & eos patrem cognovisse. Itaque non sic concludendum erat Frantzio, *Inter hos infantes etiam fuisse ecquis dubitabit?* Sed probandum erat, infantes etiam istis pusillis annumerandos esse. Quod dum negligit, quid aliud facit, quàm quòd se ridendum præbet, & causam suam suspectam apud perspicaces reddit?

SECTIO QUINTA est: *An baptismus sit necessarius ad salutem:* Hæc falsa esse ex eo convincitur, si constet, a Christo eũ non esse institutum. Quanquam præterea, etiamsi a Christo institutus esset, non tam audacter dicendum erat, eum ad salutem esse necessarium. Possent enim multa accidere, ob quæ intermitti posset ceremonia talis externa, salvâ conscientiâ. Sed de hoc nunc non est dicendi tempus.

SECTIONE SEXTA, nostrarum Ecclesiarũ de Baptismo (aquæ) sententiam persequitur, idque primùm ex Sõmero, deinde ex institutione Ostorodi, & denique ex Catechesi per me Academiæ illorum dedicata. Sommerum nunc defendere non est animus, tum quia librum ipsius ad manum non habeo, tum quia nostris Ecclesiis cum isto homine, & aliis ejus similibus, non in omnibus convenit. Nimis enim spiritus ille, qui Sommerum & alios agitabat, ad Enthusiasmum propendebat, & odio Domini Iesu flagrans, elevabat ea, quæ in Christi Evangelio nova nobis commendatur & præcipiuntur. Quod verò adversus Ostorodum & Catechesin nostram scribit Frantzius, id brevissimè examinabimus.

Sommeri genius.

SECTIONE igitur 7. thesi 86. ait: *Primò igitur Authenticam (Mat: 28. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, filii & Spiritus sancti) non de baptismo aquæ agere, cupit (Bezam, ut apparet, in hoc imitatus parte altera, quæstione 88.) probare Ostorodus ex Act: 18. 25. Vbi Iudæus quidam Apollos nomine introducitur, potens in scripturis, edoctus viam Domini, fervens spiritu, loquens ac docens diligenter ea quæ sunt Iesu, sciens tantùm (tantùm) baptisma Ioannis.* Hîc primùm graviter iterum lapsus est Frantzius, dum Ostorodum aliquid probare ait, qui respondentis partes nunc sustinet. Non enim nos sumus, qui ex loco Matthæi aliquid contra alios afferamus: sed alii sunt, qui ex isto loco astruere conantur sententiam suam de baptismo aquæ, nempe eum a Christo esse præceptum. Nos verò ad ista tantùm respondere necesse habemus. In qua nostra responsione non hoc potissimùm curandum est, quid nos ex abundanti (ut ajunt) de loco, qui ab aliis aliter intelligitur, sentiamus; & in illud involandum, quod hîc facit Frantzius, nam etiamsi fieri posset, ut nostra sententia

Lapsus Frãtzii insignis.

V. Kasl. Gr. Log. B. f. 308.

sit erronea: non tamen ideo vera esset aliorum vel Frantzii, de eodem loco, sententia: Sed quomodo nos argumenta aliorum excipiamus & diluamus, hoc in primis attendendum est. Hoc verò quia hactenus fieri a nobis non potuit: (nemo enim unquam docuit aut probavit, Christũ hoc in loco de baptismo aquæ agere, pro re scilicet id indubitata omnib⁹ habentibus,) itaque nos interim rationes afferimus, ob quas nobis non videatur locus iste de baptismo aquæ intelligendus, & simul etiam docere nitimur, quomodo, etiamsi de Baptismo aquæ non sit sermo, intelligi commodè possit & debeat. Revocamus igitur Fr: & alios ad rem, & postulamus ab illis, ut probent, Christũ in hoc loco de baptismo aquę agere. Nã id ex sola voce Baptismi elici nõ posse, nimis varia ejus significatio, quæ nemini Theologorũ incognita & paulò ante a nobis indicata est, unumquenque docere potest.

Quæ porrò scribit adversus explicationem nostram de voce *Baptizandi* in loco Matth: 28. ea, etiamsi essent verissima omnia, causam tamen ejus nihil planè juvare possunt, ut antea dictum fuit. Quàm vero sint infirma & inepta, & nihil obsint explicationi nostræ, qui vis ea legens, per se percipere poterit. Summa est explicationis nostræ, vocem Baptizandi posse accipi pro doctrina, vel pro baptismo doctrinæ. Baptismum autem interdum hoc sensu accipi, probatur ex verbis Act: 18. quòd Apollos tantùm sciverit baptisma Iohannis. Vbi ipsa phrasis, *sciendi baptisma*, docet, verba illa significare, quòd Apollos plus de religione Christi nesciverit, quàm Ioãnes Baptista docuerat. Qua de causa etiã necesse fuit eum diligentiùs erudiri in via Domini, quod etiã ibidem dicitur. Ad hæc quid respondet Fr:?

Verùm quid sit, ait thesi 89. *quòd Act: 18. Apollos scivit tantùm baptisma Iohannis, id ex mox sequenti capite judicandum veniet. In capite namque mox sequente Baptisma Iohannis opponitur Baptismo Christi, qui igne seu Spiritu S. seu donis miraculosis baptizabat.* Thes: 90. *Nam Paulus Ephesi ex duodecim viris quærit, num Spiritum sanctum (id est dona miraculosa Spiritus sancti) accepißent? Cùmque illi dicerent, se nec audivißе, eße Spiritum sanctum, seu dari dona miraculosa, iterumque interrogarentur, in quidnám baptizati eßent, ibi respondent, In baptisma Iohannis, hoc est, in communem illum ritum, quem Iohannes prædicavit & baptizavit, qui à nostro baptismo, quoad substantialia non distitit, quo Apostoli ipsi sine omni dubio fuerunt baptizati, sicut nostro nos hodie baptizamur.* Thes: 91. *Planè eodem modo Apollos tantùm baptisma Iohannis, non verò exquisitiùs noverat viam Domini, id est, nondum ea, quæ post plenariam collocationem Meßiæ ad dexteram Dei tanto numero in credentes conferri debebant, & tunc conferebantur gratiarum-*

rum munera didicerat. Thesi 92. *Postea igitur diligentiùs edoctus de potentia Christi regnantis, & miraculosa dona Spiritus S. conferentis, Christum majori cum fervore & fructu in Achaia, ubi est Corinthus, docuit, & multùm contulit his, qui crediderunt priùs prædicationem Pauli, propter quod Paulus 1. Cor: 3. dicit, Ego plantavi, Apollos rigavit.* Hoc verò totum quid quæso facit ad ostendendam falsitatem nostræ explicationis? Doceturné, quod unicum doceri debuit, in hoc loco verba *tantùm sciens baptisma Ioannis*, non significare, vel saltem non significare posse, tantùm id sciens de Christo, quod ex Ioannis doctrina cognoscere potuit, nempe adjunctum usurpari pro subjecto? Nihil minùs. Quid igitur juvat multas theses conficere, & tamen nihil ad rem respondere?

Non negatur, Baptisma Ioannis totum ejus ministerium interdum significare, quod 94. & seq: docere frustra aggreditur Frantzius: sed an id sit perpetuum, & an hoc in loco vox baptisma non doctrinam significet, hoc quæritur. Hîc standum erat & directè respondendum, nec in nebulam quasi profugiendum, & quærendæ latebræ. Nam explicatio ista nostra semper tamen firma stabit, quantumvis adversarius eam obfuscare & intricare conetur, quæ etiam per ea verba, dum respondent discipuli, Act: 19., se in Ioannis baptisma baptizatos esse, mirificè confirmatur. Quid enim est aliud, baptizatum esse, nempe aquâ, in baptisma Ioannis, nisi in doctrinam Ioannis, hoc est, quòd eam velint profiteri, & ita vocem *baptisma*, significare interdum doctrinam, per metonymiam adjuncti?

Pergit deinde Frantzius refutare argumenta nostrorum, quibus probamus, Matth: 28. non esse sermonem vel præceptum de baptismo aquæ, in illis verbis, *baptizantes eos in nomen Patris & Filii & Spiritus sancti*, quorum unum est, quòd Apostoli nunquam baptizârint aquâ hac forma, In nomen Patris & Filii & Spiritus S., sed tantùm in nomine Domini vel Christi. Ad hoc verò sic respondet thes: 99. *Respondemus: si adversarii nostri firmiter credunt, ultimum caput Evangelistæ Matthæi esse partem scripti Canonici, & postremos quinque versiculos in ultimo capite Matthæi esse ejusdem capitis genuinas portiones, sique mandato illi Domini Iesu Christi Apostolos contraivisse dicere noluerint, utique nolentes volentes concedent, Apostolos baptizasse in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti.* Primùm miror, cur Frantzius subdubitare incipiat, an ultimum caput Matth: habeamus pro parte scripti Canonici, ut ita loquatur, *si adversarii nostri, &c.* Hoc artificio non solent uti homines sinceri & pii, ne scilicet alios suspectos faciant hujus rei, quæ non potest nisi malè audire inter

V. Calov. Exeg. A. Conf. p. 60.

inter Christianos, cujus nos nunquam convincet Frantzius, nec tale quid eum de hujusmodi sententia cætus nostri audivisse, persuasum habeo. Deinde etiam miror ipsius nugacitatē, dum & ultimū caput Evangelistæ Matthæi, & postremos quinque versiculos in ultimo capite Matth: nominat. Nam si quis recipit caput ultimum Matthæi, versiculos etiam quosdam eundem recipere ipsa res loquitur: & si quinque versiculos capitis alicujus non reciperet, jam ipsum caput recipere dici non posset. Sed hoc fortassis per incuriam ita impressum est. Denique quàm frivolum est hoc? *Si mandato illi Domini Apostolos contraivisse dicere noluerint, utique nolentes volentes concedent, Apostolos baptizaße in nomine* (in nomen habet textus) *Patris Filii & Spiritus sancti?* Quis enim negat, Apostolos baptizasse in nomen Patris Filii & Spiritus sancti? cùm Christus hoc præceperit. Non an Christus baptizare in nomen Patris Filii & Spiritus S. jusserit; non an Apostoli in nomen Patris Filii & Spiritus S. baptizârint, inter nos quæritur: sed an Christus præcipiendo, ut Apostoli in nomen Patris & Filii & Spiritus S. baptizarent, jusserit ut Apostoli aquâ aliquem baptizarent, hoc Frantzio considerandum, hoc probandum erat. Aut igitur Frantzius non percepit vim argumenti, quod eruditione ipsius indignum est: aut, cùm, quod ad illud responderet, non haberet, aliud quid dicere, idque non sine conatu traducendi innocentes, maluit, quàm veritati cedere. Sed audiamus alia.

Thesis 100. est. *Nec aliquem movere debet, quòd non extant annotata exempla talium baptismatum, quæ Apostoli peregerunt in nomine Patris, Filii, & Spiritus S. Sufficit enim habere expreßissimum mandatum. Nam & aliorum mandatorum completorum non semper in sacris prostant exempla.* Imò maximè movere debet id unumquemque, si intelligere velit, de quonám baptismo Matth: 28. sermo sit. Est enim ibi descripta forma baptismi, quem Christus præcepit. Iam si forma a Christo præscripta, non inveniatur adhibita in illis baptismis, quos Apostoli administrârint, tutò hinc colligi potest, tunc alium ab Apostolis baptismum fuisse administratum, quàm eum, quē Christus hîc præcepit. Et frustra est quod affert pro ratione Frantzius, *sufficit enim habere expreßissimum mandatum.* Hîc enim nimis crassè principium petitur, quasi scilicet constet inter nos, Matth: 28. vel alibi haberi præceptum de baptismo aquæ, cùm tamen ea de re nunc quæstio sit instituta. Et longè aliud est, Christum aliquid præcepisse, & non legi, Apostolos id complêsse, ab eo, quòd Christus aliquid præceperit, & quod credatur legi, id completum esse: Et

licet id non eo modo, quo Christus præcepit, completum sit, credere tamen verè id cõpletũ esse. Vt nimis crassam, hîc ignorationis Elenchi committat fallaciam Fr. Non enim nunc quæritur, an aliquid Christus præcipere potuerit, cujus completi non extet exemplum in sacris literis: Sed quæritur, an Apostoli compleverint, quod Christus præcepit, si baptizarunt aquâ (quod Matth. 28. præceptum esse credit Fr.) & tamen non baptizârunt eo modo, quem Christus ibi præcepit?

Thesis 101. est: *Quòd verò apud Evangelistam Lucam in libro secundo, seu in actis Apostolicis cap: 2. 38. & 8. 16. & 19. 5. monentur & perhibentur Baptizari in nomine Domini seu Christi, id aut historicæ brevitatis compendiosam narrationem sapit, aut certè organicum & ministerialem autorem hujus ritus (in nomine Patris & Filii & Spiritus S.) ex plena ejus omnipotentia instituti & solenniter peragendi exprimit. Per Christum enim Deus hunc ritum ordinavit & commendavit Apostolis.* Primùm hæc mera est conjectura, nulla. suffulta ratione. Deinde planè incertum est, an Petrus respectu hujus præcepti jusserit baptizari aquâ istos Act. 2. in nomine Domini Iesu Christi; imò prorsus falsum est, nisi priùs probetur, Christum de Baptismo aquæ locutum fuisse Matth. 28.

A thesi 102. usq; ad 112. Enjedinum persequitur, & ejus super hunc locum explicationem refutare conatur: Sed quia nostra & Enjedini causa diversa omnino est. (is enim de Baptismo aquæ verba illa Matth. 28. intelligenda esse, vel saltem intelligi posse, concedit: nos verò illud omnino pernegamus) non est, quod defensione illius tempus teramus. Quanquam diffiteri non possum, valdè ineptè se gerere Frantzium in Enjedino refutando. Nam primùm graviter eum reprehendit, quòd explicationem loci Matth. 28. confirmare voluerit loco. 1. Ioh. 5. 7. ubi de tribus testibus in cœlo sermo est, idq; ideò, quia Enjedinus locum illum habeat pro suppositio. Quasi verò necesse sit, eum, qui loco aliquo utitur ad aliquid vel confirmandum vel refutandum, illum habere pro germano & proprio; & non sufficiat, eum ab illo pro tali haberi, contra quem affertur. Hoc modo Evangelici premunt, & jure quidem, Pontificios, dum multa ex ipsorum scriptis contra eos allegant, quæ tamen ipsi Evangelici pro fabulosis interdum & Idololatricis habent. Reliqua non persequor. Nam ut assertio Enjedini de loco Matth. 28. non multùm ad rem facere videtur: sic etiam responsio Frantzii valdè frigida est, ut ex thesi 111. videre est. Iam verò ad nos revertitur Frantzius, & aliud argumentum nostrum affert, quo docemus, Matth. 28. non esse

Contra adversarium uti licet eo, quod ipse tantùm adversarius recipit.

V. Kwwl. 3, 259.

non esse sermonem vel potiùs præceptum de baptismo aquæ, dum ait thesi. 112. *Vtitur autem* (nempe Ostorodus) *inter alia hoc quoq; argumento. Quia Apostoli nunquam baptizârunt aquis, juxta illud Apostoli 1 Cor. 1. 17. Non misit me Christus ad baptizandum.* Sed deploranda est Frantzii negligentia vel astutia, ne dicam perversitas & calumnia in referendo argumento nostrorum. Quomodo enim dicerent nostri, Apostolos nunquam baptizasse, quos ipse Frantzius paulò ante thesi 98. in argumento priori referendo, fatetur affirmare, quòd Apostoli tantùm baptizarint (nempe aquâ) in nomine Christi. Deinde si crederemus, Apostolos aquâ non baptizasse, quomodo id ex eo concluderemus, quod dixit Paulus, non misit me Christus ad baptizandum? Quasi quis non possit aquâ baptizare, etiamsi ad id missus non sit, cùm legamus eundem Paulum, qui hoc de se dixit, ibidem etiam quosdam enumerare, quos baptizârit. Pudeat igitur Frantzium, quòd ita nobiscum agat, & seipsum magis magisq; prodat. Argumenti autem nostri vis talis est: Christus non præcepit Apostolis, ut aquâ baptizarent. Ratio est: Quia Paulus ait, Christus me non misit ad baptizandum. Hæc enim verba idem valent, ac si diceret Paulus: Christus non præcepit mihi, ut aliquem aquâ baptizarem. Si Paulo non fuit præceptum, ergo non pertinet ad munus Apostolicum, nisi quis dicat Apostolo posse aliquid non præcipi, quod ad Apostolum necessariò pertineat, quod absurdum est. Respondet autem Frantzius ad argumentum nostrum malè a se formatum, dum ait:

Thesi 113. *Levissimum hoc est, 1. quia etiamsi Christus Paulo nominatim baptismum non commendasset, inde tamen non sequeretur, Paulo baptizandi partes non fuisse traditas. Apostolus fuit constitutus per Christum. Ergo incubuerunt ei omnes partes officii Apostolici.* Imò gravius hoc est, quàm ut id vel loco movere possit Frantzius. Nimis enim certum est, si Christus Paulo non præcepit, ut baptizaret aquâ, ad Pauli munus id minimè pertinuisse. Vnde enim hoc sciret Paulus? Ab aliis Apostolis? At ipse testatur, se non ab hominibus nec per homines Apostolum esse, sed per Iesum Christum, nec ab homine se accepisse Evangelium? Ex Evangelio? Atqui illud nondum conscriptum erat, cùm Paulus ad Apostolatum vocaretur & eo fungeretur. Necesse igitur omnino fuit, ut id a Christo præceptum haberet, si præceptum ei fuisset. Quemadmodum de cæna Domini, quia ad munus ejus pertinebat tam scientia quàm celebratio ejus, ait, se a Domino accepisse, quod Corinthiis tradiderat. Præterea esto, Paulum aliunde potuisse scire, quænám essent partes Apostolici officii, scivisset sanè, Apostolici muneris esse, baptizare

Gal. 1. 1, 12.

1 Cor. 11. 23.

Differentia baptismi & cænæ domini.

in no-

In nomen Patris & Filii & Spiritus sancti: At hoc de baptismo aquæ eum intellexisse unde probabitur? Et si de baptismo aquæ illud intelligendum esse scivit, a quocunque tandem, jam scivit muneris sui esse aquâ baptizare, & ita missus erat ad baptizandum aquâ? Quomodo igitur dicere potuisset, Christus me non misit ad baptizandum? cùm hîc sit manifesta contradictio.

Sed adhuc aliud habet Frantzius thes: 114. *2. Et si Apostoli vel nunquam vel non semper baptizaßent, inde tamen iterum malè concluderetur, non fuiße ipsis commendatas baptizandi partes. Hos enim minores labores per alias personas perficere, quid prohibuißet?* Sed nemo ex eo, quòd vel nunquam vel non semper baptizârint Apostoli, concludit, non fuisse præceptum Apostolis, ut baptizarent: sed ex eo, quòd Paulus dicit: non misit me Christus ad baptizandum, firmissimè colligitur, non fuisse id officii Apostolici, ut baptizarent aquâ. Videat igitur benignus lector, quomodo se gerat Frantzius in hac sua responsione, & inde de firmitate argumentorum ipsius judicium faciat.

Thes: 115. est. *Porrò etiam locum Marci 16. qui crederit & baptizatus fuerit, de aquæ baptismo ineptè usurpari, proclamat idem Ostorodus, idque propter hanc causam, quòd ibi nulla fiat mentio aquæ.* Thes: 116. *Sed conferat interse Epilogum in Matthæo & Marco, tum res planissima fiet. Vterque Epilogus agit de iis, quæ Christus locutus est ultimo jam jam ante ascensionem suam. Et Matthæus refert, quòd jusserit baptizare omnes gentes in nomine patris, filii & Spiritus sancti, id quod de aquæ baptismo explicandum esse, paulò ante obtinuimus. Quando igitur Marcus addit, quòd tum adjecerit Christus: Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, illud simpliciter etiam de aquæ baptismo esse intelligendum, nemo nisi puero rudior non intelliget.* Primùm ut antea dixi, nos non sumus, qui aliquid probemus ex istis locis, sed Frantzius cum suis est, qui affirmant, in loco isto sermonem esse de baptismo aquæ. Quod quia ibi non habetur, nec ulla ratione probatur, nos negamus tantùm, & tamdiu saltem id dubium erit, quod adversarii affirmant, donec aliqua ratione fulciatur. Deinde verò, quid proderit collatio Epilogi in Matth: & Marco, ut appareat in Marco de baptismo aquæ sermonem esse? Esto utrumque agere de iis, quæ Christus locutus est ultimò jam jam ante ascensionem suam. Num hinc sequetur, utrobique de eadem re agi? An non Christus diversa loqui potuit diverso tempore? Esto, apud Matthæum sermonem esse de baptismo aquæ, num hinc sequetur necessariò, de eodem etiam sermonem esse apud Marcum, sub voce absoluta baptizandi? Minimè

Differentia locorum Mat. & Mar. ult.

Minimè certè. Nonné enim aliquis dicere posset, apud Matthæum sermonem esse de baptismo, qui Apostolis præceptus est, & quem Apostoli administrare debebant: Apud Marcum verò ita esse concepta verba, ut actionē reciprocam ejus, de quo baptism' prædicatur, significare possint, quemadmodum etiam vox prior, *qui crediderit*, actionem ejus, de quo id prædicatur, significat? Denique quæ impudentia est dicere, se obtinuisse, verba Mat: 28. de baptismo aquę explicanda esse, cùm nulla adhuc rei istius probatio, ne tentata quidem sit a Fr., in hac disputatione; aut, si quæ tentata est, infelicissimè successerit. Firmum igitur manet, tam certum esse apud Marcum agi de Baptismo aquæ, quàm certum est de eodem agi apud Matthæum, hoc est, apud neutrum de eo agi: & hoc verè nemo, nisi puero rudior, non intelliget.

A thesi 118. Sommerum aggreditur, & cum eo usque ad finem hujus sectionis conflictatur. Sed quia, ut antea dixi, Sommeri librum ad manum non habeo, (ut pote qui interierit in his regionibus) & aliter etiam nostræ Ecclesiæ de toto hoc negotio sentiunt, ut ipse Frantzius agnoscit thes: 141., non est quod a me responsum ad ista quisquam expectet.

Salubre est autem consilium Ostorodi, quod Fr: in fumum abire ait thesi 144. non tantùm, ut consuetudo baptizandi adultos, ubi id usu jam receptum est, observetur, verùm etiam inveterata consuetudo baptizandi infantes tam diu toleretur, donec Ecclesiæ pleniorem hac de re lucem consequantur: & quid potissimùm de hoc negotio sentiendum, & in eo pro ratione temporis & loci sequendum sit, ex ipso Christi Evangelio, non ex antiquitus recepto more discant. Sedulò autem est danda opera, ne propter hujusmodi ceremoniam pax & fraternitas violetur, non est enim regnum Dei in hisce rebus externis situm, sed in justitia, pace & gaudio in Spiritu sancto. Non potest quidem id, quod est ordinarium, perpetuum & necessarium, extraordinarium, temporaneum & adiaphorum fieri, quod thesi 145. ait Frantzius: sed potest id, quod habetur pro perpetuo & necessario, accedente divina benignitate, & diligenti rerum ad Christi doctrinam pertinentium examinatione, & mutuis collationibus, tandem agnosci, esse vel temporaneum vel adiaphoron.

Consilium in negotio baptismi sequendum.

SECTIONE OCTAVA docere nititur Frantzius, baptismum infantium satis esse fundatum in s. scriptura. Sed ita miserè & infirmiter, ut hactenus vix aliquid prodierit ineptius. Summa est: *Christus jussit baptizari omnes gentes. Ergo etiam infantes.* Respondeo 1. Falsum est, Christum jussisse aquâ baptizari quemquam. Quomodo igitur

infantes baptizare jusserit? 2. Si Christus jussisset aquâ baptizare omnes gentes, ad neminem id pertineret, nisi qui discipulus ejus fieri potest. Prius enim dicit, μαθητεύσατε omnes gentes. At infantes recens natos, quandiu tales sunt, Christi discipulos fieri posse, tã est credibile, quàm psittacos vel reliquas aves; & sapit hæc argumentatio Fr: illud, quod quidam, nescio de quo, scribit, eum avibus Evangelium annunciasse, quia Christus dixerit, *prædicate Evangelium omni creaturæ*. Et miror, non hunc potiùs locum adductum esse a Frantzio, cùm multò rectiùs in verbis *omnis creaturæ* includi possint infantes, quàm in verbis *omnium gentium*. Sed quis denique ita hebes est & rudis sacrarum literarum, qui nesciat, per verba *omnes gentes*, vel etiam *omnem creaturam*, intelligi eos, qui compotes sunt rationis & capaces rerum, quæ ad religionem pertinent? Ergo cùm millies legitur, omnes gentes laudate Dominum, infantibus etiam aliquid præcipitur: & non potiùs illi intelliguntur, qui sunt vel esse possunt reipsa Dei cultores? Certè tota hac in re de baptismo puerorum ita se pueriliter gessit Frantzius, ut non sit mirum, si vel ex hoc multi agnoverunt causæ ipsius falsitatem. Et monere deniq; potuisset Frantzium, quàm timidè hîc procedendum ei fuerit in hac quæstione, id, quod Lutheranis Iesuitæ in colloquio Ratisbonensi, anno 1601. habito, opposuerunt, quòd sanè, quomodo solidè solverent, non habuerũt, nec habebunt unquam Lutherani. Nec est cur tandem Iesuitæ id affirmarent & contenderent, si res sese aliter haberet. Vtut enim dici posset, eos ideo hoc facere, ut autoritatem Ecclesiæ suę obtineant, certè hoc diuturnum esse non posset, si constaret, id in sacris literis expressum vel in iis fundatum esse, & nimio eis constaret ista tanta audacia. Siquidem igitur constat, verba, *omnes gentes*, restringenda esse omnino ad eos, qui Christi discipuli effici possunt; totum illud corruit, quod ait de iis, qui ad esum agni paschalis olim admittebantur, & hodie ad cænam Domini admittuntur; vel potiùs per ea, quæ affert Frantzius, id, quod nos affirmamus, confirmatur. Nempe, quemadmodum ad agni paschalis comestionem nemo admittebatur, nisi qui ad commemorationem istius beneficii divini, majoribus illorum in Ægypto præstiti, aptus erat; & ad cænam item Domini nemo admittitur; nisi qui Christi mortem annunciare potest: ita etiam neminem admissum ab initio fuisse, & nunc admitti debere ad baptismum, nisi qui Christi discipulus fieri potest. Talis verò, quia nemo sine fide, quæ per auditum verbi divini est, fieri potest, consequens est, neminem, qui audire verbum divinum & intelligere nequeat, baptizari aquâ debere. Discat igitur Frantzius modestiùs sua commendare, & plusquam invictam

Ad quem pertineant Christi pręcepta.

Mar. 16. 15.

Omnes gentes vel omnis creatura qui.

Pædobaptismus non extat in s. literis testimonio pontificiorum.

invictam rationem illud non appellet, quod rationis ne speciem quidem habet: non dicat etiam, se ostendisse præceptum de baptismo infantium ex verbis: *Baptizate omnes gentes:* ne credat denique, se verè respondisse ei, qui ait, nullum baptismi aquæ infantibus tributi exēplū extare in sacris literis, ideoque improbādum illum esse, dum ait thesi 154. *non extare etiam exempla puerorum & mulierum, qui de agno paschali comederunt, vel exempla mulierum, quæ accesserint ad sacram synaxin, & tamen illos & has accessisse.* Nam, ut ratio ipsa docet, ad esum agni paschalis omnes admissos fuisse, qui finem istius ritus intelligebant, sive pueri essent, nempe jam usum rationis habentes, sive mulieres; & admissas esse mulieres ad celebrationem cænæ Dominicæ, quia finem istius ceremoniæ æquè intelligere possunt, atque mares: sic eadem ratio docet, ad baptismum aquæ neminem admittendum esse, nisi qui intelligit, quis sit finis istius baptismi. Ad celebrationem paschæ & cænæ Dominicæ pueri & mulieres aptæ esse potuerunt, & sic etiam admissas fuisse credi debet, etiamsi ea de re nihil scriptum sit: Ad baptismum verò, quia infantes apti esse non possunt, admitti tamen eos ad illum posse jure, ut exemplo saltem comprobetur, si præceptū dari non possit, requiritur. Illud autē, quod sub finem thesis hujus addit Frantzius, quodque latere quodammodo voluit, dum ait: *quanquam ad hanc quæstionem, quid adhuc aliud de integris domibus baptizatis respondeant nostri doctores, ipsis non est incognitum, nec hucusque refutatum ἀκριβῶς,* illud, inquam, eruendū est. Primùm miror, in re ridicula & levissima requiri responsi ἀκρίβειαν. Hoc enim tantùm indicasse, refutasse est. Deinde quid contra hanc responsionem aliud afferri potest firmius, quàm primùm per synecdochen totam domū sumi pro omnibus, qui sunt in domo apti ad eam rem, de qua sermo est. Quomodo etiam accipitur eadem phrasis, dum dicitur, Cornelium pium fuisse & timentem Deum cum omni domo sua; toti domui custodis carceris annunciatum fuisse verbum Domini, eumque cum tota domo lætatum esse & credidisse. Crispum etiam credidisse Domino cum omni domo sua, quæ non nisi de adultis, vel saltem ad ea omnia, quæ de illis prædicantur, facienda aptis, intelligi posse, nemo non videt. Deinde quis non videt fallacem ideo etiam esse istam consequentiam: Tota domus baptizata fuit. Ergo etiam infantes? Multæ enim domus sunt, in quibus nulli sunt infantes, ut si vel steriles sint conjuges: vel si omnes sint adulti.

Quo sensu dicatur totas domos aliquid fecisse.

Act:10.2.

Act.16.32, 34. & 18.8.

V. Slegm. p. 554.

NONA SECTIONE probare conatur Frantzius, infantes habere fidem. Id verò facturus, nostra argumenta refutat, quibus docemus, homines per baptismum non regenerari. Argumentum primum

v. Stegm. p. 538. mum nostrum est. Aqua est res merè materialis. Ergo non regenerat. Respondet Frantzius th: 158. *Cum aqua esse verbum Spiritum & sanguinem Christi.* Videantur, quæ suprà sunt responsa ad hanc audacem assertionem Frantzii, sectione quarta.

Argumentum secundum est: Regeneratio in infantibus locum non habet. Regeneratio enim est mutatio totius hominis. Infantes verò nesciunt, quid sit sinistra quid dextera, ut ait scriptura. Respondet Frantzius th: 159. *Infantes non omni destitui ratione: Sed rationis scintillulam in eis latere sopitam, & etiamsi nesciant mentem suam, tamen eos mentem habere thesi* 160. *Eodem etiam modo Spiritum sanctum operari in infante, etiamsi is illud nesciat th:* 161. *Quo verò id fiat modo, Spiritum S. nosse thesi* 162. *& hoc totum sententia quadam Augustini thes:* 163. *confirmat.* Sed quia totum hoc nihil aliud est, quàm sententia nuda Frantzii, & confirmata humana tantùm autoritate, indignum planè est, quod audiatur. Non quæritur, an infantes possint aliquando credere, cùm scilicet adoleverint, quo sensu dici potest, eos mentem habere: sed an recens nati credant, probandum erat Frantzio.

v. Stegm. p. 558.

Thesi 165. Exempla enumerat infantium, in quibus aliquid Deus operatus sit: & hinc concludit, posse Spiritum sanctum etiam in infantia operari. Sed nec operatio ulla divina in quibusdam ab infantia apparuit, ut suprà indicavimus, in exemplis Ieremiæ & Ioan: Baptistæ; nec ex eo, quòd qualiscunque operatio fieri potest in infantibus, sequitur, talem & tantam fieri posse vel saltem fieri, qualis est regeneratio & fides, nisi vel testimonio aliquo vel saltem ratione id confirmetur. Quod si præstare potuit Frantzius, cur quæso non præstitit potiùs, quam ut nostra refutaturus argumenta, suas tantùm vel assertiones vel infirmissimas & ἀνακολουθοτάτους poneret argumentationes?

Tertium argumentum nostrorum facit, quòd Regeneratio nostra tribuatur verbo Dei Iacob. 1. 18. 2. Pet: 1. 23. & respondet Fr: thesi 171. *Ad id pueri nostri Dei gratia respondere norunt, quod ab affirmatione unius speciei malè concludatur ad negationem alterius speciei. Vt Deus nos alit pane. Ergo non alit nos herbis* &c. At ego regero, Frantzium vitiosè referre nostrum argumentum. Apertè enim dicit Catechismus, esse aliquid vicinum idololatriæ, cum id, quod *soli Deo & ejus verbo* asscribi debet, asscribitur rei elementariæ. Audin' Frantzi, nos asserere, *soli Deo & ejus verbo* asscribi debere regenerationem. Vnde apparet, verba, quæ citantur ex Iacobo & Petro, ita accipi, ac si nulli alii id tribui possit, quod ibi Deo & verbo ejus tribuitur.

Aut igitur ostendat Frantzius regenerationem tribui vel tribui posse alii cuidam rei, præter ea,quæ nominata vel his similia sunt: aut veritati manifestæ cedat.

Tandem etiam aggreditur nostram explicationem verborum Christi Ioh: 3, 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu.* ubi docemus vocem *Et* habere posse significationem explicationis,non conjunctionis,& inter alia loca afferimus locum Matth: 3. 11. *Ipse vos baptizabit in Spiritu S. & igne.* Ad hoc verò, suo more, nihil ferè respondet Frantzius, quàm, hoc Matthæi testimonium de baptismo ignis reverâ ad literam fuisse completum,quando dispertitas linguas tanquam ignis habuerunt Apostoli &c. At ego totum hoc negabo. Aliud enim est visas fuisse Apostolis dispertitas linguas tanquam ignis: & baptizatos fuisse Apostolos igne. Nam ad id, ut quis baptizetur igne,necesse est ignem in eum venire,& ita in eo esse,qui eo baptizatur: Quemadmodum ad id, ut quis baptizetur Spiritu S. necesse est, Spiritum ei dari & in eo esse, qui eo baptizatur. Potest autem aliquis videre linguas dispertitas,sicut ignis,& tamen nec linguas illas habere,nec istum ignē. Fabula enim quædam est,vel saltem antiquus error, Apostolos habuisse linguas dispertitas, ut ignis. Et longè præterea differūt habere linguas dispertitas ut ignis,& igne baptizari. Hæc enim locutio rem ipsam significat: illa rei similitudinem. Sed præterea idem esse Spiritu S. & igne baptizari, inde apparet,quòd reliqui Evangelistæ nullam ignis mentionem faciant, sed tantùm spiritus sancti,quod facere nullo modo potuissent,si aliquid diversum esset ignis ille a spiritu illo S. Quod etiam in loco Ioh: 3. considerandum est. Nam in præcedentibus dixerat Iesus: *nisi quis renatus fuerit denuo, vel desuper,* ut scilicet significaret, se non de re aliqua physica loqui sed cælesti. Talis autem non est aqua hæc terrena: Rursus in sequentibus pro eo,quòd v: 5. dixerat de generatione ex aqua & spiritu, bis adhuc v: 6. & 8. eandem materiam tractans, tantùm meminit generationis ex spiritu, omissâ voce aquæ. Futilis igitur est illatio Frantzii, qui sic ait th: 174. *Quapropter quia hîc non locum habet* ἐπεξήγησις, *nec etiam in altero dicto locum eadem habebit.* Esto enim, locum non habere istam ἐπεξήγησιν in loco Matth:, num hinc sequetur id,quod ait Frantzius? Sanè si constet, alibi vocem *Et* significationem explicandi habere, nostra loci Ioh: 3. explicatio rejici nullo modo jure potest.

Baptizari Spiritu S. & igne idem sunt.

Ratio verò, ob quam vult Frantzius, aquam ibi propriè accipiendam, quàm rudis sit, expende, *Quia* (inquit) *tum temporis insignis ille per aquas baptizandi ritus introductus erat magna cum autoritate, & subinde usurpabatur.* Hoccine est fortiter e vincere, quod de se prædicat

dicat Frantzius,rem controversam? At hæc futilis conjectura tantùm est. Introductus erat ritus baptizandi, sed non a D.Iesu. Quomodo igitur D. Iesus id tantopere urgeret, quod ad suum Evangelium minimè pertinebat? Si dicet Frantzius pertinere, jam hoc probandum priùs erat ipsum, quàm ut eo aliquid aliud probaretur.

SECTIONE DECIMA Calvinianorum sententias de baptismo aquæ recenset & refutat. Sed quia alia est omnino nostra de hac re sententia, quàm Calvinistarum, committimus nunc illos inter se: hac tamen cautione adhibita, multò magis sobriam reputandam esse Calvinianorum sententiam de baptismo aquæ, quàm Lutheranorum. Et, nisi fallor, Zvvinglius totam ferè hanc de baptismo aquæ veritatem perspexit. Sed non erant tunc tempora satis matura ad ista percipienda. Faxit Deus, ut homines, quibus veritas ex parte affulsit, velint ea tractare religiosissimè & diligentissimè, quæ ad salutem necessaria sunt,ut tandem finis sit controversiarum,quæ magis homines invicem exacerbant,quàm ut aliquod commodum spirituale pariant.

REFUTATIO THESIUM
D. WOLFGANGI FRANTZII,
De Cæna Domini.

Quæ est Disputatio ipsius undecima.

I. SECTIO est, de causa efficiente cænæ Domini. De qua quia nulla est inter nos controversia, nulla hìc opus est responsione. Animadvertere tamen quædam necesse est,sparsa in his thesibus. Miro enim vel potiùs crasso artificio, ut suam monstrosam obtineat sententiam Frantzius de cæna Domini, viam sibi sternit,dum Iesum Christum omnipotentem,omnisapientem & omniveracem vocat. Quæ, rectè intellecta, licet nemo in dubium vocet,non sunt tamen rectè a Frantzio demonstrata,nec ostensum est, quomodo ad rem faciant. Nam Christus etiamsi sit omnipotens,non potest tamen ea,quę per se & naturâ suâ impossibilia sunt. quemadmodum etiam ipse Deus ea posse, dici non potest. Omnisapientia verò & veritas nihil valent, ubi revelatio vel promissum nullum antecessit. Omnipotentia rursus Christi ita necessariò limitan-

mitanda est, ut non excedat significationem vocis Christi, quæ quia Vnctum vel Regem significat, statuendum est, Christum nunc catenus omnipotentem esse, quatenus id ad salutem nostram extenditur. Quòd verò afferuntur loca, ad demonstrandam Christi omnipotentiam ante passionem ipsius & exaltationem, in eo duplex error est. Nam & vox *omnia*, universaliter accipitur, cùm tamen nemo nesciat, eam plærumque generatim accipiendam esse: & vox tradendi vel dandi pro reali traditione vel datione accipitur, cùm non minùs usitatum sit, eam pro prædestinatione traditionis & dationis accipi.

Thes: 7. Commentum merum, non doctrinam sacræ scripturæ vocat, quòd per Christum omnia ideo creata esse in cælis, in libello meo de Divinitate Christi dixerim, quia nimirum per eum mutatæ sunt pristinæ angelorum dignitates: interim ad rationem meam nihil respondet. Quæ est, quòd ob eandē causam hoc in loco per Christum dicantur esse creata omnia, quæ sunt in terra, ob quam dicuntur creata esse omnia in cælis. At ob nullā aliā causam dicuntur hoc in loco esse omnia, quæ sunt in terra, creata per Christū, quàm quod Christus sit eorū Dominus effectus, ut testatur v: 18. Ergo etiam ob eandem causam necesse est dici, per Christū facta esse omnia, quæ sunt in cælo, quia Christus factus sit eorum Dominus. Ad hanc erat respondendum potiùs, quàm commentum mihi objiciendum. Captio autem est in eo, quòd dicit, non esse hoc doctrinam sacræ scripturæ. Potest enim esse doctrina sacræ scripturæ, tam id, quod ex illis evidenter colligi potest, & illis non adversatur, quàm illud, quòd apertè in ea dicitur, licet alterum altero magis propriè ita appelletur.

Quid sit per Christum omnia creata.

Doctrina scripturæ est, quod ex ea evidenter colligitur.

Reliqua non persequor: Nam ad rem nihil faciunt. Christi enim potentia, sapientia & veritas non potest efficere, ut aliquid ille faciat, quod verbo illius nobis tradito contrarium sit. Et præposterum est, docere, Christum posse omnia facere: & interim non docere, illum promisisse, se aliquid facturum. Ostendatur, illum promisisse aliquid vel saltem revelasse: & nemo erit, qui id eum facturum vel facere posse, dubitaturus sit.

II. SECTIONE docet, quæ sit substantia cænæ Domini, nempe duplex Terrena & cælestis.

De terrena, quæ est panis & vinum, non est ulla controversia: De altera videamus, quid dicat Frantzius. Hanc autem dicit esse corpus & sanguinem Christi. Hoc nos negamus. Frantzius dicit, hoc peti debere ex institutione (ut multa verba ipsius otiosa in pauca contrahamus) in qua Christus dixit: *Hoc est corpus meum*. thes: 31. Quia

verò

verò rursus non ignorat, a plærisque διάνοιαν horum verborum potiùs, quàm ῥητόν, observandam esse contendi, ipse Fr: ῥητόν sequendum esse, ex eo docere annititur, quòd dictum est, panem esse κοινωνίαν corporis Christi thes: 32. Participare rursus corpus Christi esse, præsentiam & communionem contrahere corporis Christi, hoc est, illo frui, ex eo apparere ait thesi 33. 34. 35. quòd etiam ii, qui Idolothyta comedebant, hac ratione dæmonum appropinquationē & præsentiam quandam contrahunt & sortiuntur. Sed quàm vanus & irritus sit conatus Fr. ex his, quæ breviter hîc annotabimus, agnosce cādide lector. 1. In verbis Christi: *Hoc est corpus meū*, voci *Hoc* attribuitur explicatio erronea, vel saltē dubia & nulla ratione fulta. Quasi vox *hoc* significet absolutè istum panem, quem Christus tunc porrigebat. Falsam autem esse istam & vocis *hoc*, & verborum *hoc est corpus meum* explicationē inde apparet, quòd tunc Christus, cùm panem manu teneret & Apostolis porrigeret, ipse ad mensam sedebat præsens, nec ulla ejus mutatio apparebat; & comesto illo pane, Christi corpus nihilominus manebat, separatum a pane, & paulò post tradebatur in mortē. Multò igitur rectius vox *hoc*, nō ad ipsum panem, quâ panis, sed ad id, quod tunc pane illo fiebat, nempe ad fractionem & comestionē panis referri potest. Quemadmodum in simili loquendi modo non de ipso agno paschali, sed de ipsius insolenti comestione, tunc etiam in celebratione festi paschæ dicebatur, *Hoc est phase Domini.* Deinde falsam Fr. explicationem verborum Christi esse ex eo etiam apparet, quòd loco ejus, quod Matth. & Marcus habent de calice dictum, *Hic est sanguis meus*, Lucas eandem rem describens, habet, *Hic calix est novum Testamentū in sanguine meo*, quod etiam iisdē verbis repetitur a Paulo. Quod non sine astutia omisit Fr:, prioris tantùm locutionis, Hoc est corpus meum, mentionem faciens. Hinc enim nimis manifestè constat, non tantùm figuram, sed valdè magnam eamque non unam nec admodum obviam, in verbis Christi contineri: & tamen tam certum esse putat Frantzius sanguinem esse in cæna Domini quàm corpus. Quæro autem, quomodo, propriè loquendo, Calix, vel ex mente Frantzii, vinum est Novum Testamentum in sanguine Christi? Si vinum vel calix est novum Testamentum, næ miserum est N. T.: Si vinum vel calix est N. T., quæ proprietas sermonis? Si vinum in sanguine, quomodo vinum erat sanguis? Die igitur ipso clarius est, verba Christi non tantùm admittere sobrium figuratum sensum, sed eundem planè postulare, & κατὰ τὸ ῥητόν intelligi nulla prorsus ratione posse. Sed præterea ipsa etiam Matthæi & Marci verba, de Calice prolata

Vox *hoc* in verbis Christi de cœna non panem denotat.

Verba, hoc est corpus, figuratè accipienda. 1 Cor. 11. 25.

v. Stegm. p. 563. ss

v. Hawk... ... & Stegm. p. 563.

v. Stegm. p. 562.

prolata satis unumquemque commonefacere possint, Christum non de vino dixisse, quòd sit suus sanguis, propriè loquendo. Nam non cum Christus calicem manu teneret vel vinum, sed cùm jam cænassent vel bibissent Apostoli, legitur Christum dixisse: *Hic*, vel potiùs *Hoc, est sanguis meus*, ut constaret, se non de vino vel calice, sed de actione illa bibendi infusum in calicem vinum loqui, & illam appellare suum sanguinem, quia esset quædam repræsentatio effusionis sanguinis sui paulò post futuræ. Adde quòd nō simpliciter ab omnibus Evangelistis dicitur: *Hoc est corpus meum*, sed cum additione, *quod pro vobis traditur* aut *frangitur*. Quia verò Christus nunc non habet illud corpus, quod pro nobis traditum fuit aut fractum. corpus enim illud fuit carneum: Christus verò nunc factus est in Spiritum vivificantem, hinc sequitur, nec Apostolos tunc Christi corpus comedisse, quia non comederunt Christi corpus pro nobis traditum. hoc enim mensæ tunc assidebat integrum; nec nos hodie illud comedere posse. Porrò valdè prodidit suam causam Frantzius, dum verba, *Hoc est corpus meum*, κατὰ τὸ ῥητὸν intelligenda esse probat ex illis verbis: *panis est communio corporis Christi*. Hæc enim phrasis alium omnino sensum ferre potest, quàm eum, quòd, qui sacro illo pane vescitur, Christi corpus substantiale participet. cùm sermo sit ibi de corpore, in quo etiam sanguis inest. addit enim: *poculum quod benedicimus, est communio sanguinis Christi*. At Christum hodie corpus tale habere, in quo sanguis sit, vix credo aliquem ex cordatioribus & magis sobriis Theologis dicturum. Literæ certè sacræ nihil tale unquam affirmant, nec tale quid ex illis deduci potest, imò contrarium apertè dicunt, nempe, Carnem & sanguinem regnum Dei hereditare nō posse. Communionē verò Christi corporis & sanguinis, significare posse, professionē cōmunionis corporis & sanguinis Christi, hoc est eorum omnium, quorum consequendorum causâ Christus mortuus est, hinc apparet, quòd Paulus simili modo eos, qui victimas comedunt, participes esse altaris ait, quo, qui panem comedunt & vinum bibunt, participant corpus & sanguinem Christi. Sed quis est, qui dicere audeat, eos, qui victimas comedunt, participare altare, hoc est, accipere & sortiri aliquid de altari: & non potiùs fateatur, participare altare illos, dici ideo, quia profiteantur, se ad illud altare, hoc est, ad istam religionem & cultum pertinere? Quemadmodum etiam ulterior phrasis, participatio mensæ Dæmoniorum, nullo modo potest significare, quòd aliquid mali a mensis illis contraxerint necessariò. Nam poterat aliquis vesci idolothytis, & tamen nihil a dæmonibus sortiri aut contrahere communionis. Alioquin Paulus ea

Christ' post bibitionem dixit: *Hoc est sang'is meus.* Mar. 14. 23.24. Luc. 22. 20.

v. Stegm. p. 569.

De quali corpore Christus in cæna locutus sit.

v. Stegm. p. 575.

1 Cor. 15. 45

Vnde impropriętas locutionis in cæna Domini agnoscenda.

Quid sit communio corporis & sanguinis Christi.

v. Stegm. p. 570.

licere, vel licita per se esse, nunquam dixisset, quod facit, sed tanquam per se mala, planè vitanda esse docuisset. Non poterat autem aliquis simul & semel profiteri communionem cum Christi populo, & cum idololatris. Sed de his infrà suo loco plura.

III. SECTIONE fabulam recenset, quæ alterâ fabulâ nititur, nempe unionem panis & corporis, vini & sanguinis Christi, quæ nititur unione quadam personali, quam homines otiosi ipsimet in Christo confinxerunt, & cùm eam probare nequeant, credi tamen volunt. Quasi verò credi id possit, quod nullo modo probari potest.

IV. SECTIONE similiter explicare conatur id, quod ipsemet Frantzius incomprehensibile esse non semel fatetur, & quod impossibile esse ratio testatur, sacræ verò literæ nusquam attestantur. Quænám scilicet sit ista sacramentalis comestio corporis, & bibitio sanguinis Christi in cæna Domini: Sed quia hanc ex sacramentali unione profluere ait, ut illa, sic etiam hæc pro meris & magnis nugis censenda sunt. Cujus rei maximum est argumentum, quòd hæc omnia, quæ hîc magistrali more tractat Frantzius, nulla vel ratione vel testimonio sacrarum literarum comprobat. Quæ sanè deploranda potiùs quàm refutanda est hominum audacia, ne quid dicam gravius.

Verba Pauli, *Qui comederit panem hunc, vel biberit poculum hoc Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Christi*, tantùm docent, ad cænam Domini posse etiam indignos accedere, & eâ frui, quia scilicet panis tantùm & vinum in ea sit: At si, corpus Christi & sanguinem ejus ibi esse, Apostolus credidisset, proculdubio aliter locutus fuisset. Nemo enim indignè Christi carnem comedere aut sanguinem bibere potest: sed ipsa Christi carnis manducatio & sanguinis bibitio opus est omnium sanctissimum, imò ipsa sanctitas & dignitas ista, quâ ad comedendum panem & bibendum vinum in cæna Domini inprimis opus est. Et certè nimis crassa Lutheranorũ sententia de hoc articulo religionis Christianæ vel ex eo posset patere, quòd cogantur fateri, homines etiam impios participare corpus & sanguinem Christi. Quo quid turpius dici unquam potuit? Sed sinamus hæc anilia.

Nemo indignè carnem Christi potest comedere.

v. Slegm. p. 579. v. Slegm. p. 579.

V. SECTIONEM Frantzio & ejus asseclis donamus. Oblectent se ejusmodi tricis & obscuritatibus, quæ sint inusitatæ prædicationes sacramentales, qui nolunt prodire in apricum veritatis, & in luce Evangelica ambulare.

VI. SECTIO non minus propria est Frantzii & Lutheranorum. Habeant sibi istam formam, quam volunt, cænæ Domini, donec Dominus eis aliquid rectius revelet. Videant autem Lutherani, quàm prope accedant ad istam idololatricam Pontificiorum opinionem,

quam tanto cum conatu explosam volunt, cùm tantùm non dicit th: 94. Frantzius, verborum Christi recitationem efficere, ut panis corpus, & vinum sanguis Christi fiant, quo vix aliquid absurdius dici potest. Et benè habet, quòd in his omnibus thesibus, ne unum quidem apicem citat Frantzius ex sacris literis, tantùm unicum addit ex Chrysostomo testimonium, ut habeant scilicet similes labra lactucas; & appareat, nihil hanc formam cænæ Domini cum sacris literis commune habere, commentum autem esse istius corruptæ Ecclesiæ, in qua olim præsidebat Chrysostomus, & alii ejus similes.

Lutheranorum de cæna sententia vicina Pontificiorum sententiæ.

VII. Sectione persequetur Frantzius, qui sint fines institutæ Cænæ. Sed & hìc in dimidia parte usque ad thes: 110 nihil sanum, nihil rectum Iam enim indicatum est, communionem corporis & sanguinis Christi, alio modo esse posse, poculum quo gratias agimus, & panem quem frangimus, quàm quem Frantzius comminiscitur, quasi scilicet substantiæ corporis & sanguinis Christi sint participes, qui pane vescuntur & vinum bibunt. Quod præter ea, quæ suprà dicta sunt, ex eo etiam apparet, quòd Paulus non vinum, sed poculum, & poculum benedictionis, quod benedicimus, ait esse communionem sanguinis Christi. At enimverò, si Paulus de ipso vino dicere voluisset, quòd id sit communio sanguinis Christi, pro vino poculum non usurparet. Nam vox hæc *poculi* facilè hominem a vini consideratione avocare potest ad usum vini, quod in poculum infusum bibitur. Deinde vox *benedictionis* addita voci poculi vel calicis planè aliud suadet sentire, quàm vinum esse communionem sanguinis Christi. Nam si est calix benedictionis, hoc est, gratiarum actionis, & nos illo benedicimus (hæc enim vocis benedicendi significatio est ex Hebraica lingua), jam constat, homines ibi non participare vel sortiri vel accipere (ut Frantzius sentit & loquitur) sanguinem Christi. participatio enim vel sortitio rei præsentis est: At benedictio, quę hoc loco idē est quod commemoratio, rei præteritæ esse solet. Et notandum insuper est, verba Pauli *Calix benedictionis*, non significare calicem benedictum, ut Frantziꝰ unà cum Pontificiis, aliquid divinū sibi & suis hac ratione arrogantibꝰ, interpretatur, sed calicē quo sumto benedicimꝰ. Mox enim additur, *Quem benedicimus*, nempe omnes, qui ad mensam Domini accedimus. De Corinthiis enim sermo erat, apud quos tunc Apostolum nullum fuisse ex eo constat, quòd de multis rebus Apostolum Paulum consulebant, quæ Apostolus præsens expedire potuisset. An porrò aliquis Ecclesiæ doctor vel Pastor fuerit, non constat. Hoc certum est, Paulum ita ad Corinthios scripsisse, ut manifestè constaret, tam ad ipsam Ecclesiam, quàm ad pastorem illius

Cur in cęna non sit cōmunio corporis & sanguinis Christi.

celebrationem cænæ Domini & benedictionem illam spectare, & nullam hac in re esse reipsâ Ecclesiæ a pastore differentiam, & ita porrò constat, verba, *calix benedictionis quem benedicimus*, non minùs ad auditores, quàm ad pastorem referenda esse. Auditores autem alio modo benedicere calicem benedictionis non possunt, quàm, utendo illo, profiteri se ad corpus & sanguinem Christi pertinere, hoc est, ad ea omnia, quæ Christi morte acquisita quodammodo nobis sunt, & proinde gratias Deo agere pro ista morte Domini Iesu Christi. Qui præcipuus, imo unicus est finis institutæ cænæ Dominicæ.

Finis cænæ D. unicus.

Non est autem dissimulandum, quàm graviter errent omnes Lutherani, dum id, quod morti Christi tribuere debebant, ceremoniæ huic externæ, quæ est, commemoratio istius mortis, ut etiam ipse Frantzius fassus est disputatione antecedenti, tribuunt. Mors enim Christi est, quæ nos omnes & singulos certos reddit de divina benignitate: Mors Christi est pignus & obsignatio novi fœderis; & quicunque eam considerat, is per eam consequi potest certitudinem eorum, quæ Deus nobis promisit. Hoc ergo dum cænæ Dominicæ asscribit Frantzius, non procul abest ab aliqua idololatriæ specie.

Luth. tribuũt cænæ, quod morti Christi tribuendũ est.

Illud verò nimis audax est pronunciatum Frantzii th: 103. Quòd scilicet id, quod Paulus de circumcisione dicit, quòd sit sigillum justitiæ fidei, multò magis de manducato corpore & de bibito sanguine Iesu Christi, quoad usum, statui debeat, quòd sit sigillum & obsignatio justitiæ fidei. Illud enim Paulus dixit, hoc Frantzius. Circumcisionis finis manifestè expressus est in sacris literis, ob quem finem jure sigillum justitiæ fidei Abrahamicæ dicta fuit, de quo suprà dictum est: At cænæ Dominicæ alius finis est expositus, qui non patitur, ut ea sit confirmatio vel obsignatio justitiæ fidei, nempe commemoratio mortis Christi. Nam qui commemorat mortem Christi, eum jam obsignatum esse oportet, quoad justitiam fidei. Hæc autem obsignatio fit per mortem Christi.

Non est cæna domini par circumcisioni.

Fabulosa esse illa verba thesi 104. *Deum in omni verbo Evangelico propter meritum & satisfactionem filii sui omnibus offerre imputationem justitiæ Christi*, suprà suo loco ostensum est.

Corpus Christi in cæna exhiberi, quod th: 106. affirmatur, error est. Quomodo igitur corpus exhibitum, ita arrhabo redemtionis nostræ esse potest, quod porrò affirmat Frantzius, ut Spiritus sanctus arrhabo est obsignans promissionem de æterna cõsuetudine cum Deo? Apage istam blasphemam & idololatricam opinationem.

Similis huic est alter error, quòd baptismus (nempe aquæ) sit stipulatio bonæ conscientiæ cum Deo & pactio fœderis. Similis blasphemia,

ſphemia, quòd ſimili modo ſit ſtipulatio bonæ conſcientiæ & reconciliationis cum Deo cæna Dominica, quemadmodum eſt baptiſma illud, de quo id D. Petrus prædicat. Hos errores graves jam tempus eſſet agnoſcere, & nec ſeipſum nec populum Chriſti miſerè ſeducere, & efficere quantum in vobis eſt, ut confiſus his commentitiis conſolationibus, nihil minùs cogitet, quàm ut Deo obediat. Quis enim de carne ſua cum omnibus concupiſcentiis crucifigenda cogitet, ſi uſu panis & vini, qui quotidie obvius eſt, poſſit remiſſionem peccatorum & obſignationem divinorum promiſſorum, imò ſtipulationem bonæ conſcientiæ & reconciliationis cum Deo factæ conſequi? — *Errorũ circa baptiſmũ & cænam in commodum*

Quæ deinceps a theſi 110. usque ad 116. perſequitur Frantzius de altero cænæ Dominicæ fine, quòd ſit commemoratio mortis Chriſti, & pro ea gratiarum actio, ut vera ſunt, ſic totum illud deſtruunt, quod hactenus de alio fine ejusdem dictum fuit. Quemadmodum enim Iudæi, cùm agnum paſchalem comederent, non beneficium aliquod recens accipiebant, ſed pro olim accepto gratias agebant, & illud commemorabant: ſic etiam Chriſtiani, quia mortem Chriſti commemorant, & pro ea gratias agunt, non præſens beneficium requirunt, ſed antiquum memoriâ repetentes, illud laudibus extollunt, & religioſiſſimo gratiſſimoque animo revolvunt.

IIX. SECTIO differit de effectis cænæ Dominicæ. Sed quæ de effectis in fidelibus dicuntur, ea omnia verba tantùm ſunt. idque ex eo apparet, quòd nullum ſacrum teſtimonium ad id probandum afferre potuerit Frantzius, Irenæi & Cyrilli placitis de hac re contentus. Nam quòd tacitè huc illud referri vult, quod Chriſtus de manducatione corporis & bibitione ſanguinis ſui loquitur Ioh: 6., id per ea refutatur, quæ ipſe Lutherus ſuper hunc locum commentatur, quòd ſcilicet non de cæna Domini, ſed de fide locus ille intelligendus ſit. Iam ſi fidei iſta tribuuntur, qua ratione eadem de uſu cænæ Dominicæ prædicari poſſunt? niſi fortaſſe cæna Domini fides ſit, & fides cæna Domini. — *Lutheri de loco Ioh. 6. ſententia.*

Infideles, quod theſ: 122. & ſequentibus perſequitur Frantzius, participare corpus & ſanguinem Chriſti realiter & oraliter, ô quam turpe eſt! poſt participationem verò non conſequi eos remiſſionem peccatorum, ô quam abſurdum & monſtroſum! Cùm Chriſto teſte, quicunque carnem ejus comedit & ſanguinem ejus bibit, in Chriſto maneat, & Chriſtus eum ſit reſuſcitaturus die ultimo.

Sed de his plura in ſequenti diſputatione.

REFUTATIO THESIUM D. WOLFGANGI FRANTZII, posteriorum de Cæna Domini.

Quæ est Disputatio ipsius duodecima.

THesi 3. ait, nos *tam omnino penitissimeque sacram Domini cœnam evacuare, funditusque pervertere, quàm qui unquam alii perverterunt.* Sed non videt Frantzius, se esse cum suis, qui multa ad sacram Christi cænam addendo, eandem perverterint: nos verò ea, quæ sunt superflua, resecando, suæ eam pristinæ dignitati restituere, & ea tantùm relinquere velle, quæ ad eam verè constituendam pertinent.

Deinceps usque ad thesin 49. recenset, tum quomodo ab aliis in hac re, nempe in negotio cænæ Domini, dissentiamus, tum quid ipsi de ea sentiamus, quæ nunc referre non est necesse, cùm ea extent in libris nostris in publicum editis, & a Frantzio etiam citatis th: 48. Itaque ad responsiones ejus descendamus.

Thesi igitur 50. ea, quæ nos adversus manducationem corporis Christi in cæna disserimus, hoc unico vocabulo refellere voluit, *Capernaiticè.* concedens scilicet & contendens, manducari posse corpus Christi in cæna, sed non Capernaiticè. Et omnia nostra objecta tantùm Capernaiticam manducationem inferre. Quæ responsio quàm sit crassa & rudis, pius & prudens lector judicet. Ita enim se gerit Frantzius, ac si aliquid constet de isto modo manducandi Christum Capernaitico ex sacris literis, qui diversus sit ab eo, quem hodie sequuntur omnes Lutherani. cùm nullam aliam credere potuerint Capernaitæ comestionem Christi corporis & bibitionem sanguinis ejus, quàm quę reipsa & ore fieret, siquidem crassum aliquid sibi fingebant, ut verisimile est. Quæ enim alia comestio & bibitio crassa esse potest præter eam, quæ ore fit? Atqui Frantzius ipse fatetur & contendit, in Christi cæna comedi realiter & oraliter Christi corpus. Quomodo igitur differt a Capernaitis? Si dicat, se non credere, dentibus comminui Christi corpus, quod credebant Capernaitæ, primùm nescio, unde illud sciat de Capernaitis? Deinde si panis est corpus Christi, panis autem comminuitur dentibus, quomodo non pariter & corpus comminuitur? Iste enim modus

Lutheranorum de cæna sententia Capernaitica est.

v. Stegm. p. 576.

modus comedendi oraliter aliquid, & non comminuendi tamen, ut ipse Fr: fatetur, verè inusitatus imò impossibilis est & semper fuit.

Quæ de mutatione corporis Christi, & mutandis fidelium corporibus dicenda differt ad 17. disputationem, ea etiam nos illuc rejicimus.

Ad id verò, quod nos dicimus, de sensu verborum Christi, *Hoc est corpus meum* &c. referentes vocem *Hoc* non ad panem, sed ad actionem frangendi & comedendi panem, ut sensus sit, *Hoc*, non panis, sed hæc actio frangendi & comedendi panem, *est corpus*, hoc est, est commemoratio Christi corporis, pro nobis fracti, ut Apostolus loquitur 1. Cor: 11. respondet Frantzius th: 54. *Quòd non possit unicum numero vel minimum afferri argumentum, quo evincatur, fractionem panis esse in cœna divinitus mandatam, ideoque necessariam, nisi & azymos, & vesperam, & tantummodo certum diem ac septimanam ante Pascha & accubitum, & similia divinitus mandata esse dicere volueris. Cadit igitur illud, quòd fractio cœnæ sit instituta propter adumbrandam fractionem seu passionem Christi, ex fractione panis.* At ego quæro, quid illud sit, *Hoc facite in meā commemorationem?* Certè totū illud quod Dominus ipse tunc fecit, & præcepit, illis verbis contineri, nemo negabit. Quid verò illud est, quod tunc Dominus fecit? accepit panem, fregit & jussit eum comedere. Ergo, ut panem accipere & comedere, sic etiam eum frangere illos impoſterum jussit: & ut sine accepti panis commestione, sic etiam sine fractione panis, cœna Domini celebrari ritè nequit. Hinc est, quòd ista actio olim, solo Fractionis panis nomine insigniebatur. Stat igitur firmum, fractionem panis necessariò in legitima cœnæ Domini celebratione requiri.

Fractio panis ad cœnæ celebrationē pertinet.

Sed respondet adhuc aliud Fr: th: 55. *Quia Christus in sua cœna Iudam obsessum à Diabolo, Apostolus apud Corinthios tales in sua cœna habuit convivas, qui simul erant indigni, securi, Idolatræ, participantes de mensis dæmoniorum, quòd inde certissimè altera quoque adumbratio adversariorum nostrorum cadat, quasi comestio panis sit instituta ad adumbrandam jam modò antea factam spiritualem manducationem, siquidem certum est, quòd in istis nulla spiritualis præcesserat vel fuerat manducatio, ergo nec usu cœnæ spiritualem aliam manducationem jam modò factam adumbrare poterant.* At ego vicissim: Incertum est, an Iudam Christus in sua cœna habuerit. Incertum non minùs, Paulum idololatras veros in sua cœna convivas habuisse (quanquam etiam illud audax est dictum, Apostolum habuisse in sua cœna convivas nescio quales, qui cœtui isti tunc non interfuerit) Sed esto, Christum habuisse Iudam, Paulum indignos, securos &c. Num hinc consequetur,

tur, comestionem panis non esse institutam ad adumbrandam (ut Frantzius loquitur) jam antea factam spiritualem manducationem? Nihil minùs. Verba enim nostra non de facto, sed de jure intelligenda esse, quis non intelligit? Et quæ hominem indignum ad participationem cœnæ Domini efficiunt, inter alia etiam hæc sunt, quæ hîc enumerantur. Quanquam hic duo notare libet, nescio qua fronte nobis affictâ a Frantzio. 1. est, quod thes: 53. habetur: *Nos pane fracto profiteri, Christum jam olim fregisse suum corpus pro nobis.* Quis enim nostrum unquam ita locutus est? Non Christum corpus suum fregisse, sed Christi corpus fractum esse pro nobis, cum Paulo affirmamus. 2. est, *Panis comestionem institutam esse ad adumbrandam jam antea factam spiritualem comestionem corporis Christi.* Nam similiter nemo nostrum ita loquitur unquam: sed dicimus, tantùm abesse, ut in cœna Domini corpus Christi comedatur & sanguis ejus edatur, ut, qui antea Christi corpus spiritualiter non manducaverit, manducatione hac panis carnali planè indignus sit. Vnde patet, facilè fieri posse, ut aliquis panem hunc comedat, & tamen Christi corpus antea non comederit, nempe quia indignè pane isto sacro vescatur.

v. Stegm. p. 508.

Thes: 56. est. *Id quod solidissimè probatur ex contextu, quia agit de ejusmodi hominibus, in quibus non beneplacitum fuit Domino, qui prostrati fuerunt a Domino in deserto v. 1. 1 Cor: 10. qui provocabant abusu cœnæ Dominicæ ad iram v. 22.* Ineptissima hæc est Frantzii probatio ejus, quod dixerat thesi præcedenti. Vt ut enim non sit opus negare, ad cœnam Domini accedere potuisse homines improbos: tamen verba illa, quæ hîc a Frantzio citantur ex cap: 10. nihil ad rem faciunt. Hæc enim non ad Christianos tunc temporis existentes pertinent, sed ad Israelitas, qui multis seculis ante perierant, referenda esse, ipsa verborum series testatur. Quomodo enim Corinthii in deserto prostrati perierunt? Atq; ita iterũ firmum stat fundamentum nostrum, si modo hoc fundamentum nostrum est, unde apparet, locutionem Christi de cœna esse figuratam.

Thes: 58. est 3. *Quia Apostolus 1. Cor: 10. communionem vel communicationem in cœna Domini ita ad corpus Christi dirigit, sicut communionem in cœnis idolorum ad Dæmonia, quòd inde iterum certò consequatur, in cœna Domini nobis non adumbrari propriè conjunctionem charitatis mutuæ.* Hoc falsum esse suprà bis demonstratum est satis copiosè.

Thes: 59. est. *Hisce adversariorum tricis expeditis, sciendum ulterius & Quinto est, quòd ipsi per fallaciam divisionis malè separent ea, quæ in τῷ ῥητῷ Christi, & in explicatione τοῦ ῥητοῦ Christi Paulina*

conjun-

conjunguntur: siquidem utrinque res cœlestis sacramenti a re terrena sacramenti nequaquam divellitur, sed arctissimè copulatur, adeòque nobis quoque inde discendum & videndum, quidnam de pane & calice benedictionis dixerit. Cur verò fallaciam illam a nobis commissam non explicavit Frantzius? Fortassis metuit, ne ipsa ejus explicatio proderet ipsius fallaciam. Probandum erat, τὸ ῥητὸν in Christi verbis sequendum esse, & Paulum illud ῥητὸν explicasse: & apparuisset, an aliqua a nobis fallacia divisionis commissa esset. Miror autem Frantzium non animadvertisse, fallaciam, vel potiùs aliquid gravius a se commissum esse, dum dicit, Paulum explicasse τὸ ῥητὸν Christi, & tamẽ τὸ ῥητὸν ab ipso urgeri. Vbi enim explicatio τοῦ ῥητοῦ est, ibi jam ῥητὸν esse desinit: Vbi ῥητὸν durat, ibi nulla ejus explicatio admitti potest. Meminerit denique Frantzius, nihil haberi apud Paulum, nec uspiam alibi, de pane & calice benedicto, sed tantùm de calice benedictionis, quẽ benedicimus, quod quia ad omnes pertinet, quicunque calice isto utuntur, benedictionem talem, qualem sibi fingit Frantzius, continere nullo modo potest.

Thesis 60. est. *Quòd autem sextò allegant, manducationem ipsam ipsius corporis Christi, ideo fieri non posse, quòd corpus ascenderit in cœlum, & ibi maneat usque ad restitutionem omnium, ad id nullo negotio respondemus. scilicet, quòd hi duo articuli ascensio Christi in cœlum, & præsentia corporis in sacra cœna, sibi mutuò & verbo Dei non contradicant.* Thes: 61. *In ascensione enim Christi in cœlum non tam motus ille externus, & externa exaltatio à terra versus nubem & cœlum spectari debet, quàm exaltatio plenissima carnis Christi, super omne nomen, quod nominari potest, adeoq; ad divinam & absolutam potestatem in omnia, quæ sunt in cœlo & in terra, adeo ut quæ ad hanc rem pertinent, ex sententia ipsorum adversariorum, nec humana nec angelica vox effari queat.* & post hæc th: 62. mea verba allegat, quibus quàm latè pateat regnum Christi, doceo in libro de Divinitate Christi: & tandem, secundùm nos etiam, carnem Christi divinam potestatem habere asserit th: 63. At hìc Frantzius primùm nimis ineptè, ita articulum (nempe religionis Christianæ) nominat, præsentiam corporis in cæna, ut ascensionem Christi. Illa enim præsentia corporis Christi in cæna, non articulus fidei, sed putidum ipsius commentum est. Deinde sententiam tantùm suam nudam recitat, de ascensione in cælum, eamque talem, quæ risu digna est magis quàm responso. Sacra scriptura apertè testatur, Iesum sursum esse exaltatum & elevatum, & nubem cum suscepisse ab oculis Apostolorum, cùm in cælos ascenderet; & ita natura & ratio ipsa hanc ascensionem accipiendam esse suadent: Luc: 24.51. Act: 1.9.

Frantzius verò, hoc ferè negato, dicit per hanc ascensionem spectari debere exaltationem plenissimam carnis Christi, &c. ô nugæ, quarum etiã nos participes facit. Ergo nos credimus, carnem Christi esse exaltatam, ut id nobis affingere Frantziũ non puduerit? Christum nos exaltatũ esse credimus, vel personam Christi: Carnem ipsam, hoc est, naturam humanam absque persona consideratam, pro commento non minùs stulto quàm absurdo, habemus: & tamen nos ita pro fungis habet Frantzius, quibus hoc obtrudere non vereatur. Christum nihil non posse affirmo ego, affirmant omnes nostri, quod th: 62.63.64.65. persequitur Frantzius: Sed id ad ea tantùm referri debet, quæ Christus vel se facturum promisit, vel indicavit in Evangelio; vel certè naturâ suâ sunt possibilia.

Thes: 66. ait. *Verùm enimverò, cùm in Christi carne agnoscant* (de nobis loquitur) *omnem potentiam, quæ ipsi à Patre data est, & secundùm istam potestatem divinam Christum etiam ut hominem nobis adesse posse credant, utique nullo jure ex locali motu in ascensione Christi contra præsentiam in cæna argumentari licebit.* Ascensione quidem locali, contra præsentiam Christi in omnibus locis, non argumentamur aut pugnamus: At contra præsentiam talem, ut corpus ipsius realiter & oraliter in terris manducetur, ipsius in cælos ascensio, disertè pugnat & clamat, nec ullo modo ista duo inter se conciliari poterunt unquam. Neque excusat quicquam Frantzium, quòd ait thes: 67. se non crassam, visibilem, physicam, sed cælestem, mysticam, incomprehensibilem præsentiam Christi in cæna facere. Nam si realiter & oraliter non tantùm adest, sed etiam realiter & oraliter manducatur Christus, quomodo non est præsentia ipsius crassa & non mystica? Desinat autem, rogamus, Frantzius affingere nobis, quòd carnem Christi aliquid accepisse dicamus, præsertim si vox *carnis* ita accipiatur, quemadmodum ipse eam accipit, & accipere illum necesse est.

Ascensio Christi in cælos pugnat cum præsentia corporis Christi in cæna.

Thes: 68. est. *Optimè autem expendat benevolus lector causam, quam subjiciemus, propter quam adversarii omnem oralem & spiritualem manducationem ex cæna Domini tollere tam potenter laborant,* Th: 69. *Ea nulla est alia nisi hæc, quia negant, carnem Christi nobis sua passione & morte quicquam promeruisse, sed tantùm ita pro nobis passam fuisse, sicuti amicus in gratiam amici interdum aspera quædam patitur.* Nos verò vicissim rogamus (quia precibus nunc res agitur, non argumentis) ut expendat benevolus lector Frantzii puerilem futilitatem. Negamus nos quidem, non Christi carnem, sed ipsum Christum nobis quicquam promeritum esse. hoc enim in sacris literis non tantùm non contineri certò nobis persuasum est, verùm etiam

cum illis id ex diametro pugnare, jampridem invictis rationibus demonstravimus: sed nos per id omnem oralem & spiritualem manducationem ex cæna Domini tollere laborare (quanquam rursus nimis incautè dictum est, nos *omnem* oralem manducationem ex cæna Domini tollere laborare) nec unquam nobis in mentem venit, nec, ut veniret, opus fuit ullo modo. Nonné enim multi sunt, vel saltem esse possunt, qui carnis Christi meritum negent, & tamen oralem vel spiritualem manducationem in cæna Domini concedant? Calumnia autem est præterea non levissima Frantzii, quòd Christi carnem (ut Frantzii nugatorios sermones retineam) ita pro nobis passam esse dicamus, sicuti amicus in gratiam amici interdum aspera quædam patitur. Christum enim passum esse pro nobis docemus ex Dei consilio & voluntate, ut postquam immortalis ipse evasisset, potestatem nos servandi absolutissimam consequeretur, & ita nos a peccatis & morte æterna liberaret. Cujus rei nullum in natura rerum exemplum ostendi potest.

Quomodo Christus pro nobis passus.

Iam quæ deinceps thesi 70. simpliciter asserit, *stantibus promissionibus Christi, quòd in cæna distribuat carnem & sanguinem suum, simul etiam stare doctrinam de merito Christi*, indigna sunt responsione. Nam quid falsius est, quàm Christum promisisse in cæna distributionem corporis & sanguinis? Quid ineptius, stante illa promissione, stare doctrinam de merito Christi? cùm æquè incerta sit doctrina ista de merito Christi, ut ista promissio. Et etiamsi promissio esset de ista distributione, non appareret tamen, quomodo doctrina de merito Christi staret. Nam meritum Christi esse posset firmum, etiamsi Christus non promisisset distributionem corporis sui in cæna: & firma esse posset promissio distributionis corporis & sanguinis Christi in cæna, absque ulla doctrina de merito Christi.

Quæ thesi 73. ait, *Deum intra se & ita secundùm suam essentiam inexcogitabili & ineffabili modo omnipræsentem esse, & se alibi ea de re disputasse vel disputare*, suo loco relinquimus, cùm, quid hîc dicat Frantzius, nesciamus: interim si hoc unquam docuerit Fr:, videbimus pondera argumentorum, & quid illis opponi possit, tunc exponemus. Omnipræsentiam Dei statuimus & Christi etiam (non carnis Christi, ut ineptire pergit Frantzius): sed talem qualem scriptura perhibet, nempe quoad ipsorum virtutem, favorem & auxilium. Hanc verò puto nihil profuturam isti monstrosæ Christi corporis & sanguinis in cæna præsentiæ.

Thesi 75. est. *De eo, Septimo, quòd Christi corpus maneat in certo cæli loco*

li loco usque ad restitutionem omnium, satis dictum est Disp:3.de persona Christi,nec opus est pluribus hoc loco hac ipsa de re. Ergo nos etiam illuc lectorem remittimus.

Th:76. *Porrò octavo adversus finem & effectum cænæ Dominicæ, quales afferant objectiones,nunc tandem etiam videndum venit.* Th:77. *Primùm per manducationem (inquiunt) & bibitionem in cæna nihil potest effici in mente hominis: Respondemus, verum hoc eße, de craßa,Capernaitica,Physica & naturali participatione signorum vel symbolorum externorum tantùm, qualem formam cænæ ipsi constituunt, falsum hoc eße de sacramentali participatione panis & corporis, vini & sanguinis, superiùs descripta & ritè usurpata, ut non per indignitatem iis homo ad judicium fruatur.* At hîc nulla est responsio recta. Nam affirmare, aliquid verum esse certo respectu, & falsum alio respectu, non est objectionem solvere, nisi simul probetur, id verùm esse, cujus respectu falsùm esse id dicitur, quod objicitur. Quod suo more hîc facere negligit Frantzius. Nam nullam sacramentalem participationem panis & corporis, vini & sanguinis, in cæna demonstravit: & etiamsi eam demonstrasset, nondum tamen constaret, quomodo comestio oralis, vel quæ ore fit, qualis est illa sacramentalis, possit aliquid in mente hominis efficere. Et certè hoc tantùm non est cum ratione insanire, si dicatur, oralem manducationem aliquid in mente hominis efficere posse, vel etiam spiritualem manducationem alligatam esse ad oralem manducationem. Quia enim spiritualis manducatio corporis Christi perpetuum aliquid est, dici quidem potest, tunc etiam illam fieri, cùm cæna Domini celebratur: sed non est tamen oralis illa manducatio panis, manducatio ista spiritualis corporis Christi, nec vice versa. Quemadmodum tunc cum aliquis laborat, vel simile quid facit, potest etiam comedere spiritualiter corpus Christi: & tamen nec labor iste, nec simile quid, est spiritualis manducatio corporis Christi, neque hæc manducatio ad laborem illum alligata est, sed ut manducatio spiritualis corporis & bibitio sanguinis Christi est aliquid perpetuum, quod in nobis inesse debet, sic etiam in omnibus vitæ nostræ factis considerari potest & debet.

Manducatio carnis Christi, quomodo differat a manducatione panis.

Th:78. *Deinde nullum (ajunt) verbulum extat in scripturis, quòd fides confirmetur & augeatur per usum cænæ Dominicæ. At iterum regerimus, illud apertè dici in istis verbis Christi, cùm inquit: Hoc facite in mei commemorationem. & 1.Cor:11.29. Mortem Domini annunciabitis donec veniat.* Th:79. *Quid enim quæso, sibi aliud volunt hæc verba, quàm istud, ac si dixisset Servator noster & legatus istius B.Paulus, sacra hac*

cæna

cœna utamini ad fidei vestræ, quæ circa mortem & passionem & resurrectionem & meritum occupatur, incrementum & confirmationem, ubi etiam ex fide eadem Christo Servatori vestro, gratias ardentiores, ex fideli & ardenti pectore agetis, pro tam crudeli morte, quam pro vobis subiit, ut per eam ad nos rediret insigne meritum. Hoccine est respondere ad objectiones? Suam, eamque nec sacris literis nec sanæ rationi congruentē, afferre explicationem vel potiùs glossam? Equidem hanc negligentiæ notam esse crediderim. Quanquam ipse sibi etiam contradicit. Semel enim ait, id apertè dici in illis verbis Christi: & rursus dicit, aliud nihil sibi velle ista verba, quàm istud, ac si dixisset Servator noster & Paulus &c. Nam ubi est opus paraphrasi, vel explicatione quadam, ibi apertè aliquid non dicitur, & vice versa. Sed quomodo tandem verum erit, fidem confirmari & augeri per usum cænæ Domini? cùm fieri possit, ut aliquis sit in fide confirmatissimus, antequam ad cænam Domini accedat, ut de Apostolis & aliis eorum similibus, qui scilicet Spiritu S. præditi fuerant, & sunt, dici potest & debet: celebratio autem cænæ Dominicæ ad omnes in universum spectat? Adde quòd omnia, quæ nos in fide confirmare debent, extra nos posita esse oporteat; nec ullum opus nostrum detur, quo fidem nostram confirmemus: sed quicquid facimus, fidei nostræ testificatio est. Reliqua huc pertinentia omitto.

Usus cænæ domini non confirmat fidem.

v. Slegen. f. 589.

Opera nostra sunt testificatio fidei.

Thes: 80. iterum conqueritur de nostro odio adversus Christi meritum. Sed ut uno verbo satisfaciam Frantzio, dico frustra dici, aliquem illud odisse, quod existere posse negat. Negamus esse meritum, & firmissimis rationibus, cur id faciamus, demonstramus. Has refellere præstat, quàm istis insulsis sermonibus in nos debacchari.

Thesi 81. & 82. argumentum nostrorum recenset, quod ex vocabulo ἀνάμνησις ducunt, vocem nempe illam non recordationem, sed rei, quam quis bene & perpetuò recordatur, solennem commemorationem significare, ex verbis Pauli, quæ Christi verborum explicatio vera sunt, apparere, qui annunciationem mortis Christi appellat id, quod Christus sui commemorationē. Et hanc esse formam cænæ Dominicæ, nos quidem affirmamus & contendimus. Attulerat autem nescio quis etiam locum Heb: 10. 3., in quo vox ista Græca ἀνάμνησις eandem etiam significationem habere deprehendatur. Ad hoc responsurus Frantzius, nescio quas latebras quærit, & a re digreditur, ita ut ipsemet ad rem ipsam sese revocet th: 87., in qua tamen ad rem nondum reverâ redit. Summa eorum, quæ dicit thesibus præcedentibus, est, *commemorationem peccatorum*

v. Slegen. f. 590.

eorum, *cujus fit mentio Heb:* 10., *non tantùm fuiße annunciationem*, *sed etiam recordationem*. Hocque inde apparere, 1. *quòd ideo præceptum fuerit*, *ut se affligerent per jejunium eo die*. 2. *quòd sacerdos omnia peccata filiorum Israel super caput hirci confeßus sit*. Sed primùm frustra laborat Frantzius. Ipsemet enim fatetur, annunciationem factam fuisse, cùm dicit, *non tantùm* eam factam fuisse. Quòd verò annunciatio absq; recordatione esse nequeat, hoc ex accidente est, & ad naturam istius actionis nullo modo pertinet. Quemadmodum etiam annunciatio mortis Christi in cæna Domini absque recordatione esse nequit: Et tamen non ob recordationem sed ob commemorationem mortis Christi cæna ista instituta est. Deinde fallacissima est ista conjectura, quòd ideò jejunio afflixerint semetipsos Israelitæ, ut in memoriam sibi revocarent peccata præterita, cùm multò credibilius sit, id ideo factum esse, ut tantam peccatorum copiam, quam semel sibi remitti tunc experiebantur, tantò magis dolerent. Denique ipse se refutat Frantzius. Nam peccata ista in generali, ut loquitur, non in particulari, explicata fuisse ait, idque Lyræ testimonio confirmat. Quid verò opus erat, memoriam suam excutere (ut loquitur Fr.) vel recordari eorum, quæ antea fecerant, peccatorum, si in generali ea explicasse sat erat?

Cæna domini non est ob recordationem mortis Christi.

Quod verò addit, gravia etiam peccata isto annuo sacrificio expiata fuisse, id falsum esse alibi a nostris & a nobis in hac responsione suprà demonstratum est. Absque misericordia enim moriebatur, qui legem Mosis transgressus esset, teste autore Epistolæ ad Hebræos cap: 10. Explicationem etiam loci Heb: 10., quam Fr: affert thes: 86. nunc non examinamus, cùm hoc ad disputationem hanc nostram nihil prorsus faciat.

Thes: 87. ait: *Sed ad rem ipsam. In hac commemoratione anniversaria omnium iniquitatum totius Israelis, quemadmodum quilibet videbit & fatebitur, utique simul & recordatio & annunciatio requirebatur. Primùm quomodo enim potuißent singuli commemorare, annunciare, prædicare, confiteri, deplorare peccatum, quod sub denunciatione exterminationis severißimæ facere jubentur, Lev:* 23.29. *nisi priùs & quidem vel omnium maximè recordati fuißent peccatorum, si non omnium, tamen aliquorum: si non in omni specie, attamen in genere.* Ad hæc jam responsum est, paulò antè th: 82.

Th: 89. *Manet igitur, in loco allegato ἀνάμνησιν significare recordationem & commemorationem, & principaliter quidem recordationem, quæ principaliter fit mente, ex qua postea oritur annunciatio seu prædicatio seu commemoratio.* Imò manet, vocem ἀνάμνησιν in loco

citato

citato significare potissimùm & propriè commemorationem. Hæc quidem præsupponebat recordationem, sed id non ex vi verbi, ut ab autore nostro usurpatur, nec ex natura istius sacrificii ullo modo pendebat. Nam qui præcipit, ut aliquid commemoretur, is jam præsupponit, eum, cui commemoratio rei præcipitur, memoriam ejus animo fixam tenere. Autoritati Ammonii, qui dicit ἀνάμνησιν esse, ὅταν τις ἔλθῃ εἰς μνήμην τῶν παρελθόντων, oppono ego Pauli autoritatem, qui ἀνάμνησιν Christi ait, esse annunciationem mortis ipsius. Annunciatio autem alicujus rei, non est ejus recordatio: sed rei, quam quis antea recordatur, certo tempore solennis celebratio, & pro eadem gratiarum actio. quemadmodum loci similes, ubi voces æquipollentes voci καταγγέλλειν reperiuntur, manifestè docent. 1 Cor: 14. 25. 1. Pet: 2. 9.

Thes: 91. *Similiter igitur utrumque complecti necesse est ἀνάμνησιν in articulo de cæna Domini, primò recordationem mortis Christi nobis omnia bona promeritæ (quod meritum recordari oderunt adversarii & ita contra nostram hanc ἀνάμνησιν seu recordationem pugnant acerrimè) Secundò annunciationem istorum meritorum piam & publicam.* At ego vicissim, quia sententiam tantùm dicit Frantzius, meam illius oppono sententiæ. Vbique quidem & semper Christi mortis recordari possumus: sed eam solèniter cōmemorare vel annunciare nō possumus, nisi in cæna Domini. Recordatio enim ad singulos pertinet: commemoratio vel annunciatio non nisi ad ecclesiam. Recordatio privatum aliquid est & vulgare: Annunciatio publicum quid & solenne, ut etiam agni paschalis manducatio, quæ hujus nostrę manducationis simile quid est quoad formam & usum, docere potest. Hinc est, quod Paulus ait: *Quotiescunque panē hunc comederitis*, &c. *mortē Domini annunciatis* (præsentis enim temporis & modi indicativi vox Græca καταγγέλλετε esse censenda est, aut censeri saltem potest,) quæ vox *quotiescunque*, certum tempus determinat, &, non semper fieri posse Christi mortis commemorationem, apertè docet ac demonstrat. Non semper est occasio annunciādi mortē Christi.

Quomodo fractio panis sit communio corporis Christi, & calix benedictionis communio sanguinis Christi, jam ante abundè demonstratum est, & nihil ista omnia juvant Frantzium ad istam oralem corporis Christi manducationem, & sanguinis Christi bibitionem, quam fingit in cæna Domini.

Th: 94. Frantzius, ad ingenium suum rediens, ait: *Dubium nullum est, adversarios Photinianos nunquam ita laboraturos fuisse, in cæna Domini penitus evacuanda, nisi unicum istud ipsis tantummodo obstaret, quòd meritum Christi nullum agnoscunt. Nullas enim absurditates, cum sacris literis pugnantes ex nostra doctrina de cæna eruere &*

demon-

demonstrare possunt, nisi quòd semper meritum, meritum Christi ob oculos habent & eliminare conantur. Sed nos nec in Cœna Domini evacuanda laborare, verum est; nec in tollendis ab ea humanis commentis, de merito illo Christi fictitio quicquam vel somniamus quidem. Bene autem habet, quod Frantzius sentit, istum etiam errorem sublatum iri, si nostra de cœna Domini constet sententia. Hæc enim & constat, & indies magis, Dei beneficio, constabit. Illud denique, quòd nullas absurditates cum sacris literis pugnantes ex doctrina Lutheranorum de cœna Domini eruere & eis demonstrare possimus, an ita se habeat necné, ex iis, quæ jam dicta sunt, constare potest. Nam non tantùm absurda multa, sed etiam blasphema suo modo, & ad idololatriam proclivia quædã, in ea sententia inesse, certò nobis persuasum & ipsa luce meridiana clarius est. Sed jam desiit omnino Fr. argumentari & respõdere, & tantùm narrationes persequitur. Sic enim ait th: 95. *Primùm igitur accedimus & illâ sumtione veri corporis & veri sanguinis simul cũ nostris animabus recordamur mortem Christi, Deinde hac ipsa actione, & in hoc esu vel usu ex annunciatione adjuncta fidem nostram augemus, & quidem singuli in specie specificam nostram fidem augemus, sicut ex qualibet prælectione verbi Dei nos singuli quotidie & indies fidem nostram mirificè crescere animadvertimus.* Respondemus igitur falsum esse, nos in cœna sumere verum corpus & verum sanguinem Christi: Falsum esse nos ibi potissimùm recordari mortis Christi: Falsum esse, nos hoc esu vel usu fidem nostram augere, quemadmodum fides nostra ex prælectione verbi dei augetur. Nec enim talis externa actio est auditio vel prælectio verbi divini, ut cœna domini, quæ non tantùm externa actio est, sed etiam ceremonia. Qui verò prælectionem verbi divini æquiparant celebrationi cœnæ dominicæ, ii non considerant, quantum res externæ differant a ceremoniis, & iis præstent. Est quidem omnis ceremonia actio externa, sed non est omnis actio externa ceremonia.

Non idem sunt ceremonia & res externa.

Th. 96. *Etsi verò ante cœnæ Dominicæ usum quilibet pius semper cogitat & recordatur, mortem à Domino pro se toleratam; tamen in ipso usu & hoc ipso usu, magis exuscitatur ad eam ipsam mortem perpendendam, & ad gratiarum actionem magis attentiorem huic meditationi conjungendam.* Hîc ipsam scripsit veritatem Frantzius: & si hoc verum est, jam falsum est, quod antea dixit, nos illa sumtione panis recordari mortem Christi, vel saltem ad id panis fracti usum institutum esse. Nam quod antecedere debet, ut hîc ait, usum cœnæ Dominicæ, id in ipsa sumtione panis fieri vel incipere demum nequit. Longè autem aliud est, magis exuscitari ad Christi mortem perpendendam,

dendam, quàm commoveri ad eam recordandam, vel fidem ex ejus usu augeri.

Thes: 97. est: *Hæc autem fiunt non crassa illa & externa panis, & externa crassáque vini sumtione; quam solam exagitant adversarii, sed ex ipsis verbis cœnæ, sine quibus profectò tota actio reliqua frigesceret. Verba enim cœnæ docent, explicata secundum tenorem aliorum Evangelistarum, quòd Christus expiaverit peccata nostra, non in cœna sed in cruce, & quòd unica oblatione, nimirum ea, quæ in cruce peracta est, perfectos fecerit in perpetuum eos, qui sanctificantur, ut cum his temporibus, quando Evangelium vulgatur in orbem terræ, sit remissio quidem rectissima peccati, non tamen fit amplius oblatio cruenta pro peccato. Nec enim Christus instituendo cœnam instituit novum sacrificium.* Imò nulla alia re fieri ea omnia voluit Christus, quàm externa panis & vini sumtione, quam nescio cur crassam appellet Frantzius. Sic enim Apostolus ait: *Quotiescunque panem hunc comederitis & vinum hoc biberitis, mortem illam domini annunciatis.* Quid verò est, *Hæc fieri ex ipsis verbis cœnæ, sine quibus tota actio reliqua frigesceret.* Ergo verba possunt addere robur alicui rei? Quid verò tandem verba efficient, quæ Christus protulit, cùm cœnam hanc institueret. cùm ea, quæ ad ipsam cœnam pertinent, partim figuratè accipienda sint, ut cum dixit, *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus:* reliqua verò, utpote in quibus exprimitur, quare corpus traditum & sanguis effusus sit, nempe *in remissionem peccatorum*, quod apprimè notandum est, de mortis Christi efficacia & virtute loquantur, cujus mortis hæc ceremonia commemoratio tantùm est. Quæ duo si distingueret Frantzius, facilè errorem suum crassum agnosceret. Nam quicquid de expiatione peccatorum, quicquid de reconciliatione humani generis cum Deo, victoria mortis & abolitione potestatis satanæ disserit, hoc totum ad mortem Christi latè ex sensu scripturæ, pro omnibus, quæ eam consecuta sunt, acceptam pertinet; non verò ad cœnam Domini. Habet etiam suam efficaciam magnam in salute nostra ipsa mors Christi, & multa eorum, quæ ad salutem spectant, tribuuntur illi in sacris literis: Sed hæc omnia nihil ad cœnam Domini pertinent. Quærunt igitur homines beneficia in eo, quod est commemoratio mortis Christi, quæ in ipsa morte Christi quærere debebant. Et per hoc ad sequentia etiam responsum est, quæ extant usque ad thesin 102. In qua denuò cramben suam apponit bis vel ter recoctam, dum ait: *Quod autem ratiocinantur adversarii ex vocabulo ἀναμνήσεως, in cœna Domini nibil fieri, nisi commemorationem & annunciationem, seu repræsentationem mortis Christi pro nobis toleratæ, illud*

V. Stegm. p. 593.

διαίρεσιν pugnat cum Christi verbis : Edite, hoc, scilicet quod porrigo & edetis, non est tantùm panis, sed & corpus meum, ut etiam vel inprimis cum Paulo, qui panem vocat κοινωνίαν 1. Cor: 11. Atqui hanc explicationem Frantzii nuda verba esse, & magnum errorem continere, jam ostensum est, per id, quòd negatur, & Christum de pane, quâ panis est, dicere, quòd sit corpus suum, & Paulum de pane, quâ panis est, quòd sit communio corporis Christi.

Thesis 103. est. *Quomodo enim per panem fiemus κοινωνοὶ corporis Christi, nisi in actione cænæ reipsa cum pane copulabitur & distribuetur corpus Christi, modo tamen superiùs ex verbo Dei explicato?* At falsissimum est, nos fieri participes corporis Christi per panem, nec Paulus id unquam dixit: sed tantùm panem, quem frangimus, ait, esse communionem corporis Christi, eò quòd per istam panis fractionem & calicem benedictionis, quem benedicimus, profiteamur communionem corporis & sanguinis Christi, hoc est, eorum omnium, quæ Christus traditione corporis & fusione sanguinis nobis parta vel confirmata esse voluit, ut suprà abundè declaratum est.

Thesis 104. est. *Necessariò igitur statuimus & firmiter credere cogimur, non fieri tantùm mortis Christi in cæna repræsentationem, tanquam in comædia Herois, sed nosmet corporaliter fieri participes corporis Christi, idque ex beneficio Christi, corpus suum nobis præsentantis.* Falsum hoc esse, quod ad nauseamusque, contra leges thesium, repetitur, ex iis, quæ jam dicta sunt, apparet. Iste verò cavillus Frantzii, nonné jure exagitari posset, dum ait, non fieri tantùm mortis Christi in cæna repræsentationem, tanquam in comædia Herois? Non cavillis nunc certandum est Frantzi. hi enim eum, contra quem effutiûtur, confirmant potiùs in ejus sententia, quàm ut alienam commendent.

Thes: 105. *Præterea nono, quòd inquiunt: Remissionem peccatorum non contingere propter annunciationem mortis, sed propter ipsam mortem Christi (etsi eo sensu, de quo Disput: 4.) Regerimus, quod jam modò dictum est, unicâ quidem oblatione expiata fuisse omnia peccata; sed tamen applicationem istius beneficii fieri per fidem, tum in verbo tum in Sacramentis, tum in precibus apprehendentem beneficia Christi per mortem suam nobis promerita & impetrata.* Regeritur quidem à Frantzio aliquid, sed frustra. Nam rationi alienæ opponere nudam sententiæ vel opinationis assertionem, quid est aliud, quàm causam suam prodere & suspectam reddere? Falsissimum est, mortem Christi esse Christi oblationem, & morte Christi sola expiata esse peccata nostra. Hoc enim sacrificio Christi, cujus in cruce præparatio tantùm facta, ipsum verò sacrificium in cælis, quorum sancta sanctorum, in

quibus

quibus sacrificium legale olim peragebatur, figura erant, reipsa peractum est, tribuunt sacræ literæ. Applicatio verò ista beneficii præsertim per Sacramenta, ex humano cerebro nata est, & sapit nescio quid anile & superstitiosum: ignota certè est universo sacro codici, adeò ut nec verbum tale, nec quoad sensum simile in eo quippiam reperiatur.

Thes: 106. *Vnicum decimum restat expediendum objectum Photinianorum, nimirum istud, quòd cœnam non patiuntur appellari sacramentum, sed docent esse opus bonum, divinitus ita nobis injunctum, sicut celebratio sabbathi, & invocatio & gratiarum actio sunt bona opera divino verbo nobis injuncta.* Vox Sacramenti in hac significatione barbara vel saltem sacris literis incognita est: ab hominibus verò otiosis, qui ceremoniis hujusmodi nescio quid præter sacram scripturam, superstitiosum, aut etiam idololatricum ex parte, tribuere non sunt veriti, ad tegendum dolum usurpata. Præstat igitur aliis nominibus appellari in Christi cætu hanc ceremoniam, præsertim cùm jam omnia ad rationes & Evangelii trutinam resecari, in religione Christiana, jampridem Dei & Christi singulari beneficio, cœperint? Esse autem cœnæ Domini celebrationem bonum opus, quomodo nisi a maligno negari potest? Similem autem esse celebrationi sabbathi, quod hodie abrogatum est, quid est aliud, quam ab animo malevolo & impotenti profecta cavillatio? Nobis in cœna nihil conferri: sed nos esse, qui per eam gratias Deo agimus, ipsissima est Evangelii & purissima veritas. Ad hoc verò responsionem parat Frantzius talem.

V. Slegm. p. 583. Cœna domini an Sacramentum appellanda. Hom. l. 3 223.

Thesi 108. *Respondebunt autem ad hoc objectum ipsi pueri, ritum celebrandæ cœnæ respectu nostri opus bonum sano sensu non posse non appellari: interim verò, quia iuxta doctrinam superiùs monstratam & invictam in ea actione Christus ipse suum corpus & suum sanguinem nobis communicat, non nisi per insanum solœcismum cœna Domini reliquis nudis & puris putis sic vocatis operibus comparabitur, aut jure annumerabitur.* Si opus bonum esse cœnam Domini nemo negare potest, cur id tanquam aliquid inconveniens & parùm verum elevavit paulò antè Frantzius? Dum verò Christum in ea actione suum corpus & sanguinem nobiscum communicare, dicitur, nonné occasio esset doctrinam hanc ut anilem absurdam & perniciosam exagitandi, & dicendi, ipsos etiam pueros jam intelligere, quantopere delirent & tantùm non insaniant, qui in manducatione panis & bibitione vini quærunt Christi corpus & sanguinem? Sed meliorem nos a Deo mentem omnibus, qui ita seducti sunt, precamur.

Thesis 109. est, *Ad reliqua objecta, quæ protulimus ex ipsorum scri-*

ptis paulò antè, etiam cuivis, ex iis, quæ hucusque dicta sunt, respondere non erit laboriosum aut difficile. An verum sit, quo se & alios solatur Frantzius, videat lector. Nam si, quæ dicta sunt, talia sunt, qualia esse ea docuimus, nescio, quid ex errore veri excerpi possit.

Thes: 110. *Profligatis igitur iis copiis, quibus obtinere volebant, cænam Domini complecti solius panis & solius vini fractionem & infusionem, manducationem & bibitionem cum gratiarum actione, sponte tandem evanescent ea, quibus pugnant. 1. non nisi in toto cætu & à toto cætu cænam debere celebrari, & quidem 2. non nisi per fractionem & infusionem, quæ fiat in publico. 3. adeoque sedendo potissimùm, citra omnem geniculationem, ubi falsò nos insimulabant idololatriæ. 4. denique ut nihil referat, sive minister, sive alius partes illas distribuat.*

Thes: 111. *Etsi bonum est, quòd frequentiores communicantes numerantur, tamen de eo, quòd non nisi totus cætus cænam domini celebrare queat, quòd accumbendum sit in cæna domini, sicut distribuit Dominus cum suis discipulis, quòd cum fragore quodam sit panis frangendus, quòd cum sonitu infundendum vinum, quòd tam panis quàm calix in manus omnium communicantium sit tradendus, à Christo vel Apostolis nullum expressum accepimus mandatum. Et cur non ad* εὐσχημοσύνην *plurimùm prodeßet, ad imitationem Christi ministro potiùs quàm alteri distributionem in cæna committere. De reliquis ceremonialibus alio competente loco.* Respondeo, quod ad 1. attinet, Nonnè loco mandati est: *Cùm convenitis in unum, non est (id) Dominicam cænam manducare. Vnusquisque enim suam cænam præsumit in manducando, & alius quidem esurit, alius autem ebrius est.* & iterum: *Cùm igitur convenitis, expectate alius alium.* Et etiamsi verò mandatũ ea de re expressum non esset, quis nisi stupidus non intelligit, hujusmodi ceremoniam non nisi a cætu Christi, quantus is esse potest, celebrari posse, minimè verò ad singulos Christi professores pertinere, ut alia ejus præcepta, qua de causa etiam σύναξις appellata est antiquitus, & multos de uno pane participare Apostolus manifestè dicit, ideoque etiam κοινωνία vel communio appellari potest. Rectè deinde eos facere, qui ad mensam Domini accumbunt: errare autem eos, adeoque causas nectere superstitionis, & simplicitatem hujus ceremoniæ corrumpere, qui ad eam deambulant, vel geniculantur, quis est, qui non videat? Quis unquam audivit, aliquem cænare cum aliquo, ambulantem aut genua flectentem? Fragorem porrò & sonitum id appellare, dum panis frangitur, & vinum infunditur, certè nimis hyperbolicum est: & nobis affingere, quòd cum fragore & sonitu panis frangendus & vinum infundendum sit, tantùm non calumnia est. Ipsam autem fractionem & infusio-

Requisita celebrationis cænæ domini.

1 Cor. 10. 17

V. Stegm. p. 581.

& infusionē, quæ utraq; sine fragore & sonitu fieri potest, quid obest observari, siquidē id Christus præcepit? Nā hac ratione larva ista superstitionis facilè detrahetur, & agnoscent omnes, nihil ibi tale latere, quale hactenus cum Pontificiis Lutherani latére, non sine magna multarū animarū jactura, contendunt. Panem denique & calicem in manus communicantium tradi, nonné est convenientius, quàm hominibus ea ab alio ita porrigi, ac si manibus capti essent? Cèrtè hîc etiā ἐυσχημοσύνη illa, quid faciendum sit, docere omnes debebat. Ministrū cœnam distribuere, facilè quidem ferri potest: sed tamen ita, ut, si aliter aliquando facere cogat necessitas, nihil contra Christi religionem fieri, credatur. Reliqua, quæ Frantzius aliò differt, nunc non persequor. Hoc unum dico, defendi ea nullò modo posse, qualia sunt ex multis, quòd ad ægrotos defertur panis & vinum, quòd pro pane hostia illa usurpatur, & alia. Quid enim? Num modum celebrandi nescierant ecclesiæ Apostolicæ? & nunc magis ovum sapit quàm gallina, ut a corruptissimis seculis, quæ Apostolorum tempora sunt consecuta, sit modus celebrandi res divinas petendus? Quantò rectiùs illi faciunt, qui omnia, quantum ejus fieri potest, quæ ad cultum divinum exercendum pertinent, revocant ad illam simplicitatem Ecclesiæ Apostolicæ, qualis vel illis vivis, vel ad aliquod post ipsorum obitum tempus duravit. Ista enim modi celebrandi cœnam Domini mutatio, quantam superstitionum, quantam idololatriæ segetem in Christi Ecclesiam invexerit, testatur inprimis Pontificia Ecclesia, a quibus superstitionibus, & specie saltem idololatriæ, liberi non erunt Lutherani, donec ista omnia abjecerint, & solo Evangelii tum mandato tum exemplo contenti fuerint. Quanquam nos, qui pro libertate, quam Deus nobis concessit, Christum & Apostolos imitamur, neminem ob diversitatem ceremoniarum, quantumvis sint erroneæ, dummodo absit reipsa idololatria & nimis crassa superstitio, vel contemnimus vel condemnamus, rem ipsam magis, quàm ejus quasdam externas circumstantias, attendentes.

Modus celebrationis cœnæ domini a Christo & Apostolis petendus.

Deinceps a thesi 112. usque ad finem, Calvinianorum & Pontificiorum sententias de cœna Domini persequitur Frantzius, quæ nos omnia, expeditis illis, quæ ad nos pertinent, scientes prætermittimus.

ABSOLUTA jam responsione ad Theses D. Wolffg: Frantzii, quas 12. disputationibus ordine absolvit, accedimus ad refutationem thesium ejusdem, quas peculiari libello comprehendit, & duodecim aliis disputationibus absolvit.

REFUTATIO THESIUM D. WOLFGANGI FRANTZII, De Christiana peccatorum confeßione & absolutione.

Quæ est Disputatio ejus posterior I.

AD PRÆFATIONEM, quæ quatuor thesibus continetur, non est quod respondeamus. Convenit enim inter nos & Lutheranos, magnam fuisse & esse in Papatu conscientiarum carnificinam, per istam tam confessionem quàm absolutionem, quam ipsimet sibi confinxére. Non possumus autem non dolere, reliquias istius erroris teneri & defendi ab iis, qui tantopere Pontificiam accusant tyrannidem. V. Aegm. [illegible] 393.

Animadvertimus autem in id, quod thesi prima dicitur, *nullum unquam sine peccatis fuiße eße & fore hominem;* idque *ex verbo Dei plus satis constare*, præterea additur. Hoc enim, si, ut scriptura solet, vox *peccatorum* pro habitu accipiatur, planè falsum est ex parte, nempe nec esse nec fore ullum hominem sine illis: si verò pro infirmitatibus vox ista accipiatur, verum id esse generatim conceditur.

Quæ in 1. SECTIONE de seria & ἀνυποκρίτῳ conscientiæ examinatione scribit Frantzius, ea non disputantis sed cõcionantis sunt.

SECTIONE 3. & 4., quia nihil iterum in ea disputat Frantzius, sed tantùm, quòd confessio peccatorum, Deo & hominibus, nempe offensis, facienda sit, affirmat, & id quibusdam locis sacrarum literarum, & testimoniis quorundam patrum, confirmat, & ea in re nullum est inter nos & illos dissidium, scientes prætetimus. Illud tantùm annotamus, frigidissimè probari a Frantzio, quòd etiam ante legem latam, ejusmodi confessio, qualis in lege quotannis fiebat, facta fuerit ab initio mundi statim post lapsum: et nullo modo necesse esse hoc ita probari. Parum etiam religiosè & verè addita esse dicimus th: 55.

Remittere offensasquo modo tenenamur.

verbis Christi in oratione Dominica: *sicut & nos remittimus debitoribus nostris*, verba illa (*utique etiam & præsertim fatentibus & deprecantibus*). Tenetur enim homo Christianus non ob deprecationem potissimùm ejus, qui offendit, sed ob divinum præceptum unicuique remittere, etiamsi tandem is non tantùm non fateatur aut deprecetur, verùm etiam de alia injuria inferenda cogitet, & infensissimus nobis esse pergat. Porrò incertum esse putamus, an verba illa Christi, Matth: 5. *Esto consentiens adversario tuo*, &c. ad offensum referri debeant, imò prorsus falsum. Cæperat enim Christus docere eos, qui alios offendunt, quomodo se gerere debeant. Ergo etiam verisimile est, eum hanc eandem thesin ad finem usque persequi. Et ut in verbis præcedentibus ratio una continetur, nempe, quòd is, qui alium offendit, si cum eo non reconcilietur, cultu Dei ritè perfungi nequeat: sic hæc verba possunt esse ratio altera, quare ii, qui offenderunt alios, debeant esse parati ad reconciliandum sibi eos, quos offenderunt, ne scilicet divinam pænam incurrant. Sunt enim multi, qui, cùm offenderunt alios, etiam pertinaces sunt, & nolunt se pertrahi ad tantam humiliationem & facilitatem, ut eum, quem offenderunt, & qui ideo adversarius eorum dici potest, quærant.

Sensus verborum Mat. 5.25. eruitur

De confessione dicenda sacerdoti ex V. Fædere, non est, quod hìc dicamus. Cùm ista ad nos Christianos nihil omnino pertineant, apud quos nulla sunt externa sacrificia.

Sectione 5. & 6. confessionem Pontificiorum auricularem exagitat, eamque non necessariam esse ostendit, & jure quidem. Itaque & hanc prætermittimus.

Quæ in Sectione 7. a thesi 132. ad 157. disserit de confessione auriculari Lutheranorum, ea quidem nobis non sunt incognita: sed an rectè fiat ista auricularis confessio, docendum erat Frantzio. Non negamus nos, peccata aliquem confiteri posse coram ministro verbi divini, ut scilicet ab eo institutus, discat in posterum a peccando cavere, & precibus ejus adjutus, faciliùs remissionem peccatorum consequatur: sed hoc nec necesse est in templo fieri; nec pro re tali censendum est, sine qua nemo ad cænam Domini admitti possit; nec denique statuendum est, idem etiam coram alio fieri non posse, qui scilicet sit homo probus, & ad erudiendum ac juvandum precibus suis eũ, qui alios offendit vel deliquit, aptus Nam ut Pontificii omnẽ sibi in omnes potestatẽ ista sua auriculari scrupulosa confessione arrogârunt: sic apud Lutheranos per istas reliquias auricularis confessionis nonnihil etiam sibi ministros, præter verbum Dei, arrogare, vel saltem arrogare posse, & homines in peccatis detineri, obvium est.

Confessio coram alio quatenus fieri possit.

Quod

Quòd verò ait, sanctissimos (qua voce abstinere debuisset Frantzius) reformatores istam generalem confessionem retinuisse ob certas causas, ad id respondemus, non sententias virorum, alioquin doctorum & piorum, sequendas esse, si reformatio instituatur religionis, sed ad ipsa Evangelii fundamenta omnia reformari, longè esse & fore tutissimum.

REFUTATIO PARTIS THESIUM D. WOLFGANGI FRANTZII, De Pœnitentia.

Quæ est Disputatio ejus posterior II.

HIC iterum multa nobis omittenda sunt, in quibus scilicet vel a Lutheranis non dissentimus, vel quæ, etiamsi aliquantulum in eis ab illis dissideamus, non magni sunt momenti.

Ad thesis autem 15. partem, in qua pœnitentia describitur: *quòd sit actus, quo quis peccata sua seriò agnoscit, ideoque ex toto corde dolet propter peccata, iramque Dei adversus peccata expavescit, simul autem misericordiam Dei, & remissionem peccatorum propter Christum promissam intuetur, firmissimeque sibi citra omnem dubitationem applicat*, non possumus non annotare hæc, quæ maximi sunt momenti & rem ipsam concernunt. Omisso autem istius applicationis misericordiæ Dei & remissionis peccatorum examine, (hoc enim antea suo loco fecimus,) dicimus 1., ea ad pœnitentiæ descriptionem addi, quæ nihil cum ea commune habent. Hæc enim applicatio seu spes misericordiæ Dei & remissionis peccatorũ, consequens quoddam potiùs sunt pœnitentiæ, ex novo Fædere dependens, quàm ut ipsam pœnitentiam quoquo modo constituant. 2. Deinde dicimus, omitti in hac descriptione id, quod forma est pænitentiæ. μετάνοια enim est mutatio animi vel mentis. Vbicunque igitur illa vel non est, vel saltem decretum ejus & conatus firmissimus, ibi quidvis aliud est, quàm vera pœnitentia. Nunquam id, quod quis semel fecit, facere, summa est pœnitentia: Conari verò, ne id iterum committatur, quod semel commissum est, vel saltem ne datã operã

Quid ad pœnitentiam requiratur.

V. Stegm. p. 156. V. Stegm. p. 492.

operâ committatur, vera est pœnitentia. Itaque istas partes pœnitentiæ pro essentialibus admittere nullo modo possumus, quas nobis Frantzius constituit, etiamsi tandem fides ad pœnitentiam constituendam admittatur.

SECTIO 3. quæ est de contritione, quidnám scilicet ea sit, transeat, cum hac monitione: verba Psal. 51. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea,* ad contritionem hanc non ita propriè pertinere. Nam, si ea, ut solent, de peccato originis (quod vocant) accipiat Frantzius, quomodo id, quod in me inest, non meâ sed alienâ culpâ, contritionem in me potest efficere? Rursus, si de eo, de quo accipi debent, accipiantur, potiùs excusare videtur David suum peccatum his verbis, quàm contritionem suam exprimere. conceptum enim esse in iniquitatibus & peccatis, locutio est hyperbolica, & significare potest, hominem ita malum esse, ac si a parentibus hoc habeat, cùm tamen non habeat revera, Quo sensu etiam Pharisæi isti cæco nato & a Domino Iesu sanato, objiciebant: *in peccatis*
Ioan: 9. 34. *tu natus es totus, & tu doces nos.* Quod, si ipsimet etiam tales fuissent, sanè ei non objecissent, vel saltem obiicere non potuissent. Et quid tandem cogit verba unius Davidis ita ad omnes & singulos pertrahere, ac si essent aliqua vivendi regula? quam etiam ad omnes eos, qui ante Davidem fuere, referri debere, nemo nisi mentis inops dicturus sit. Sed de hoc ante etiam dictum fuit.

De SECTIONE QUARTA jam antè dictum est, quòd scilicet ad naturam pænitentiæ non pertineat fides, sed consequens ejus sit, quod ex divina benignitate accedit. Non est autem prætereundum, quòd nimis liberè dicit Frantzius th: 41., exemplo eorum, qui in Christum crediderunt Act: 2., etiamsi fortassis ex numero illorum fuerint, qui Christum crucifixerunt, constare, *eos etiam erigendos esse, qui, ut autor Epistolæ ad Hebr: loquitur, Christum iterum crucifixerunt, quales sunt parricidæ, infanticidæ, persecutores innocentium,* &c.

Quibus gratia universaliter annuncianda.

Hoc enim, nisi rectè intelligatur, falsissimum est. Verum quidem est exemplum hoc docere, neminem tam esse malum, cui non pateat aditus ad gratiam Dei sub N. F.: Sed addita hac cautione, si quis antea Deum ignoraverit, vel non bene noverit, & per meram ignorantiam peccata, gravissima licet, commiserit. Nam si quis post agnitam veritatem evangelicam & post semel exutum peccatorum habitum, iterum peccati vel unius vel multorum habitum contrahat, iam impossibile, scilicet apud homines, est, talem rursus renovari ad pœnitentiam, utpote qui Christum denuo crucifigit, quod de iis, qui antea per meram ignorantiam peccabant, dici nullo modo potest.

Quæ deinceps dicuntur thesi 44. *quòd ea, quæ de pœnitentia hactenus dicta sunt, cum primis etiam ad eos spectent, qui post conversionem denuo prolabuntur in peccata*, ad ea jam antea suo loco responsum est, disput: septima. Summa est: I. patere aditum ad misericordiam Dei, & ad pœnitentiam iis etiam, qui habitu peccati vel peccatorum sunt implicati, si scilicet, per id tempus, quo sunt in Christi ecclesia, nondũ habitus peccatorum abjicere potuerint. Illi enim ex numero sunt infirmorum, & his, si resipiscant, spes superest firma remissionis peccatorum. Vbi tamen notandum est: Si in habitu isto manserint, etiamsi, si resipuissent, servari potuerint, tamen eos in æternum perituros, nisi resipuerint, & huc locus pertinet 1. Ioh: 2. 1, 2. II. patere etiam illis aditum ad misericordiam Dei & pœnitentiam, qui, postquam semel se totos Deo dedicârunt, & ab omni peccatorum habitu liberi fuerunt, peccant quidem idque graviter, interim tamen habitu peccati illius non implicantur, & huc facere videtur locus Gal: 6. 1. Habitus verò, ut hoc etiam addamus, ex eo cognoscitur, si quis crebrò, data ad eam rem occasione, peccatum committat, quãtumvis id doleat & deploret. Huic enim peccatum dominatur, hic secundum carnem ambulat, hic opera carnis facit, & quicunque tales sunt, regnum Dei possidere non possunt. Ad loca, quæ hîc affert, ex oratione dominica, Matth: 18. 22. Gal. 6. 1. 1. Ioh: 2. 1. & ad illud, quod ex Chrysostomo citatur, quatenus verum est, suprà responsum est.

V. Stegm. p. 499. Hoornb. 3, 550.

Quibus spes remissionis peccatorũ serviat.

V. Hoornb. 3, 550.

V. SECTIO, in qua quæritur, *an nova obedientia sit pars tertia pœnitentiæ*, frigidè & irreligiosè a Frantzio absolvitur. Facit enim obediẽtiam, consectarium tantùm veræ pœnitentiæ, idque tale, quod non sit prorsus necessarium ad salutem, qua in re quàm graviter erret Frantzius, jam antea non semel indicatum & demonstratum est. Nunc hoc iterum dicimus, Frantzium hoc ipso etiam in loco prodere causæ suæ magnam absurditatem, dum, præter Theologorum, nescio quorum, sententiam, nihil fere ad hanc rem confirmandam affert. Non enim Theologorum qualiumcunque autoritate, sed firmissimis sacrarum literarum testimoniis res tanta conficienda omnino erat. Nec enim (ut vulgare est dictum) multitudo, vel autoritas etiam, erranti-um errori parit patrocinium.

V. Stegm. p. 497.

At habet Frantzius argumentum ex verbis Ioh. Baptistæ Matth: 3. *Facite fructum pœnitentiâ dignum. Ecce enim*, inquit thesi 51. *Ioannes Bapt.* διαῤῥήδην *&* κατὰ τὸ ῥητὸν *distinguit inter* μετάνοιαν *sive pœnitentiam, & inter* τοὺς καρποὺς μετανοίας *seu fructus pœnitentiæ*, & th: 52. addit: *Quemadmodum aliàs fructus propriè non sunt partes arboris essentiales: ita quoque nova obedientia non est propriè pars una pœnitentiæ.*

tentiæ. Absit autem, ut hæc argumentatio vel ratiuncula Frantzii tantum ponderis habeat, ut efficere possit, novam obedientiam, vel obedientiam simpliciter, non esse essentialem partem pænitentiæ. Hæc enim (ut sic loquar) sola ferè est essentia pænitentiæ, cùm, ut antea dictum fuit, μετάνοια in mutatione mentis & actionum ex ea promanantium reipsa consistat. Quod verò locum Ioannis attinet, observandum est 1. vocem *fructus*, non propriè sed figuratè sumi pro eo, quod suo modo consequens est, quemadmodum fructus in arbore. Vt etiam alibi fructus spiritus, dicuntur esse opera bona, quia scilicet spiritus gubernationem consequuntur. Deinde verò apprimè notandum est, in pœnitentia vera constituenda, non requiri statim ab ipso puncto, quo ea incipit, bonorum operum executionem. Fieri enim potest, & fit plærumque, ut tunc nulla sit reipsa occasio ostendendi animi sui istam in melius mutationem: sed satis est, si quis habeat consummatam voluntatem præstandi omnia bona opera. Hanc autem Deus pro ipso facto pro illo tempore accipit. Hæc consummata voluntas instar arboris est, &, si quis eam se habere profiteatur, credendum illi est: Monendus autem pariter est, ut id, quod se animo concepisse affirmat, ad exitum perducat, alioquin habendus pro mendaci vel impio, quod Ioannes Baptista faciebat. Et, quoad rationem, differunt quidem ista deploratio peccatorum & obedientia: sed quoad rem ipsam, nulla est vera pœnitentia, hoc est, animi mutatio, ubi non est obedientia, primùm in animo & voluntate perfectè proposita & constituta, deinde verò data occasione, ad exitum producta.

Obedientia pœnitentiæ potissima pars est.

Eph: 4. & 5.

Quid sint fructus pœnitentiæ.

Illud verò intolerabile planè est, quod thesi 54. dicitur, ad docendum, quòd bona opera sint fructus pœnitentiæ, hoc est, consectarium simpliciter: *Alioquin etiam in manifestã prolaberemur absurditatem, si novam obedientiam æquè (ac contritionem & fidem) partem unam pœnitentiæ veræ constitueremus. Etenim pœnitentiam omnibus ad salutem necessariam esse in confesso sonat apud omnes Christianos: At bona opera esse necessaria ad salutem, dicere, multa nos prohibent, de quibus alibi.* Absurditas igitur Frantzio est, quod ipsissima Evangelica veritas & ejus præcipua pars censeri debet? Bona opera esse necessaria ad salutem. Vnus ille locus pro multis esse debet: *Sectamini sanctimoniam, sine qua nemo videbit Dominum.* Vnica item illa consequentia, quòd vita æterna tam merces quàm præmium appelletur, pro mille valere debet. Nam in re tam manifesta laborare, est hominibus persuadere velle, ut de re certissima dubitare incipiant. Error autem hic Frantzii tanto major censendus est, quòd (contrà

V. Slegm. p. 502.

Opera bona necessariò requiruntur ad salutem. Heb: 12. 14.

quàm

quàm ille affirmat) quidam sine pœnitentia servari possint: sine operibus verò bonis nemo prorsus. Certè enim illi, qui non egent pœnitentiâ, sine ea servari possunt. At tales sunt justi. Idque totum Christus tot verbis expressit Luc:15.7. Iusti autem sunt ex mente sacrarum literarum, qui peccati nullius habitu sunt implicati, etiamsi interdum per ignorantiam aut infirmitatem errent vel peccent. Tales autem quosdam saltem fuisse, & credibile admodum est, & præter hunc locum, alibi etiam affirmatur. Vide Rom:5. 14. ubi Paulus disertè ait, peccatum etiam in eos regnasse, qui non peccârunt. Maxima autem Iohannis, *Si dixerimus, quòd non peccavimus*, vel de eo, quod in plærisque fit, accipienda est, vel vox peccati ita explicanda est, ut etiam eas infirmitates & ignorantias comprehendat, quæ in iis, qui a peccati habitu liberi sunt, reperiuntur, ob quas, si Deus summo jure agere vellet, omnes damnationi sunt obnoxii. Quid verò juvat, quod suprà alicubi dixit Frantzius disput: septima, se, Christianum eum esse, ter centies millies negare, qui fidem suam in Christum, moribus a Deo & Christo præscriptis non testificari studet, talemque vitâ æternâ tandem privandũ pronunciare, si, opera bona ad salutem necessaria non esse, dicere idem Fr: non erubescat? Hoccine est pietatis inter Christianos curam & rationem habere? vel non potiùs eam, quantum in nobis est, exsibilare, & ex animis hominum funditus extirpare? Quis enim illud facere annitatur, quod ad salutem æternam non sit necessarium, præsertim si sit admodum difficile, ut est pietatis studium? Eat nunc Frantzius cum sua indignatione, quam erga eos concepit, qui impiè vivunt: Nos verò tamdiu, si non omnis impietatis defensorem, saltem frigidum pietatis doctorem eum reputabimus, & reputandum esse dicemus, quamdiu dicet, bona opera ad salutem necessaria non esse. Ita tandem suo se miser sorex indicio prodidit, quod hactenus occultare voluisse visus est.

Pœnitentia & bona opera differunt.

Errorís Lutheranorũ de bonis operibus incommodum.

SECTIONE VI. VII. & VIII. contra Pontificios disputat, & docet, pœnitentiam non esse Sacramentum, &c. quæ, quia nihil ad nos, non examinamus.

SECTIONE demum IX. adversus nos scribere incipit, quæ breviter ventilabimus. Sommerum, ut antea dixi, defendere nolo, tum quia libellum istius hominis ad manus non habeo, tum quia vix aliquid nobis cum eo commune est in hisce articulis. Quid adversus libellum, cujus titulus est: *Examen qui sint abnegatores Iesu Domini*, scribat, videamus. Hunc enim a nostris olim conscriptum esse non diffitemur, & hactenus eum nihil falsi continere, persuasum habemus, in cujus autorem anxiè inquirere Frantzium, testatur id,

tur, id, quod eum antea Iohannis, nunc Matthæi Radecke esse dicat; nec tamen, quod voluit, divinavit. In hoc libello illud potissimum reprehẽdit th:119., quòd ait: peccatũ petulanter & datâ operâ commissum nullo sacrificio expiari, & hoc pronunciatum Frantzius ridet, dum addit: nimirum *Levitico (quia sacrificium meritorium penitus isti abjiciunt)*. Qua in re cavillator magnus est, & magnam suam prodit audaciam. Cur enim verba illa reprehendit, quæ sunt autoris Epistolæ ad Hebr: cap: 10? qui certè sciebat, nullo sacrificio Levitico expiari peccata petulanter commissa, & tamen dixit, nullum relinqui sacrificium ei, qui peccat volens? Deinde cur necesse est, de Levitico sacrificio intelligi verba ista, si est sacrificium Iesu Christi, licet non meritorium? Datur enim Christi sacrificium absque illo ridiculo, absurdo, blasphemo & pernicioso de Merito errore.

Cæterùm hoc potissimùm accusat Frantzius, quòd nostri in variis scriptis dicant, ea tantùm peccata remitti, (nempe ordinariè & vi Fæderis, sic enim & sentimus & loquimur,) quæ ex fragilitate & ignorantia proficiscuntur: quæ verò petulanter & datâ operâ, vel ex deliberata malitia committuntur, nullam habere remissionem. Quod equidem verissimum esse & adversus omnium, nescio quos, impetus facilè defendi posse, puto, si ita illustretur, ut antea etiam monui: nempe 1. ut consideretur, eos quidem habere spem remissionis peccatorum, qui in peccatis etiam gravissimis adhuc hærent, si nunquam antea habitum peccatorum deposuerunt. 2. eos etiam, qui habitum peccatorum deposuerant, etiamsi peccent graviter, spem remissionis peccatorum habere, si tantùm interdum per fragilitatem & ignorantiam peccent, habitum verò non contrahant. Hæc si observentur, puto ad omnia responsum esse, quæcunque a Frantzio afferuntur aut afferri possunt.

Iubet afferri differentiam Frantzius th:129. inter nos & Novatianos, quorum sententiam damnamus. Affero igitur ego: Novatiani hominem renatum peccare posse negabant: nos eundem peccare posse, & graviter, affirmamus, nec tamen, perdere eum suam regenerationem, credimus, nisi peccati habitum contrahat, hoc est, nisi crebrò peccatum illud iteret. Quid vult amplius Frantzius?

Differentia inter nostros cætus & Novatianos.

Quod verò conqueritur thes: 130. de misera & periculosa conditione illorum, *qui per carnificiem passim jugulantur. 2. qui propter peccata magnis morbis divinitus corripiuntur & in iis extinguuntur. 3. qui morte cruenta & immatura extinguuntur. 4. qui simili aliquo modo pereunt, sic, ut judicia Dei in illis fiant manifesta, utpote quos terra absorbet, quos ignis egreßus a Domino devorat,*

devorat, &c. id rectiſſimè facit Frantzius. Quanquam enim fieri fortaſſis poteſt, ut tales ſerventur ob id ipſum, quia pœnitentiam, vulgò ita appellatam, agant, hoc eſt, deplorent peccata ſua, quæ pars eſt pœnitentiæ, ſi ob peccata ita puniantur: tamen miſerum omnino eſt ita extingui & perire, & periculoſum. Certum enim eſt, tales verè & perfectè reſipiſcere non poſſe eo modo, quem Deus ordinariè ab hominibus requirit, nimirum ut vitam anteactam corrigant, niſi ſola mente & voluntate. Hanc verò an Deus ſemper ſit acceptaturus, dubium omnino eſt, licet non omnino incertum. Ex iis verò, quæ fieri quandoque poſſunt, regulam conſtituere univerſalem, aliud nihil eſt, quàm homines ſpe inani lactare, & turpiter animas eorum perdere. Non eſt autem prorſus certum, omnes illos, qui morte cruenta & immatura, vel ſimili modo atroci & repentino extinguuntur, propter peccata puniri, ideoque dici definitè non poteſt, quantumvis ſit miſera illorum conditio, eam eſſe, quoad animæ ſalutem, periculoſam.

Nihil autem facit Frantzius, dum locum affert ex Ezech: *Nolo mortem impii*, &c. Hic enim locus, præter ea, quæ antea de eo diſputata ſunt, ſingularis eſt, & certa de cauſa certis hominibus iſta Dei gratia promiſſa fuit, ne ſcilicet crederent Iudæi, ſe ob parentum peccata puniri; et magis, quid Deus præſtare poſſit, quàm quid ordinariè præſtare velit & præſtet, docet. Nam quæ Deus ordinariè præſtare vult, ea ex lege, quæ omnibus data eſt, & quæ ad omnes pertinet, petenda ſunt, non verò ex aliquo Propheta, qui multis poſt latam legem ſeculis extitit, & cujus ſcripta ad paucos ex populo Dei pervenire potuerunt. quod idem etiam de aliis locis, ſicubi tales occurrant extra legem, intelligendum eſt. Præterea ſuo modo ad eos omnes impios accommodari poteſt & debet, quicunque per ignorantiam & infirmitatem tales fuerant. His enim, qualeſcunque & quanticunque tandem ſint, omnibus patet aditus ad gratiam & miſericordiam Dei. Et hoc idem reſponſum eſto ad verba Mat: 16. 18. Ioh: 20. 23. quæ theſ: 136. affert Frantzius. Denique hic locus, iis tantùm ſpem facit, qui ad Deum convertuntur. Hoc verò de nemine verè dici poteſt, niſi qui vitam anteactam non tantùm ſe correcturum, quantumvis religioſè, addo etiam verè, promittit, & proponit, ſed eam revera corrigit.

Quatenus Deus nolit mortem impii.

V. Steg. p. 500.

Locum 1. Iohan: 2. 1. ad eos pertinere arbitramur, qui nondum excuſſere imperium & habitum peccatorum, licet in Chriſti Eccleſia ſint, propter varia obſtacula, ne quis de aliqua nimia ſeveritate vel ſacræ ſcripturæ, vel noſtra conqueratur. Æquiparat enim peccata illorum, ad quos ſcribit, peccatis totius mundi, dum ait: *Et non*

V. Hornb. 3, 177.

pro nostris tantùm, sed etiam totius mundi, quæ totius mundi peccata non possunt esse nisi scelera, &, quod majus est, scelerum gravissimorum, &, ut omnia dicam, omnium inveteratissimi habitus.

De loco Ezech: 33. idem quod de loco, qui habetur cap: 18. sentiendum omnino est, ut circumstantiæ ipsæ docent.

Thes: 140. ait, *Item si Matth: 18. 22. non septies; sed septuagies septies remittere jubemur fratri, cur Deus peccatoribus miseris non remitteret multò magis toties aut adhuc sæpius? Adegisset alioquin nos ad servandam legem misericordiæ, quam tamen ipse à se alienam esse putaret. Vbi autem illud vestrum, ô Photiniani, tum locum habere posset, quò scribitis, Deum plærumque summo jure nobiscũ non agere, Part: 1. cap: 1. de Servat.* Ad hoc etiam suprà responsum est. Deum nempe remisisse nobis dici posse, multò plura, quàm ea sunt, quæ vult nos aliis remittere, si consideretur hominum pravæ actiones, quibus antea, quàm Deum cognoverant, eundem offenderunt, quod ibidem exprimitur per debitũ decem millium talentorum, quæ paterfamilias servo suo jam remiserat, a quo volebat, ut alii etiam conservo centũ grossos remitteret; nec opus est, ut denuo peccatis nosmetipsos oneremus vel intricemus, ad id ut appareat, quàm Deus sit beneficus & misericors in remittendo. nisi eorum similes esse velimus, de quibus Paulus loquitur, quorum damnationem justam esse testatur, & quos etiam gravissimè refutat. Quanquam præterea Deus etiam, proculdubio, sæpissimè omnibus remittit plurimas ipsorum infirmitates vel peccata, per infirmitatem & ignorantiam commissa, ita ut nobis præire dici possit in eo, quod a nobis exigit, & nulla fuerit causa, cur sic exclamaret Frantzius, ut facit. Certè enim Deus summo jure nobiscum non agit, si infinita præterita peccata remittit, & nostras modernas infirmitates & ignorantias non numerat, nec nobis imputat.

Quomodo De⁹ id præstet, quod a nobis exigit

Rom: 3. 5. 7.

Thes: 141. *Tertiò opponimus exempla eorum, qui perversè & datâ operâ peccârunt, & tamen remissionem obtinuerunt, Abrahami & Iacobi polygamorum, Aaronis & Salomonis idololatrarum, Davidis homicidæ & adulteri, Petri ter abnegantis Dominum, populi in deserto, qui decem vicibus petulantissimis tentaverat Dominum, Num 14. 22. ideoque in terram Canaan non omnes intrare potuerunt.* Ad plæraque hæc suprà respondimus. 1. Quosdam eorum non peccasse, ita ut credit Frantzius, ut Abrah: in polygamia, quò etiam Iacobi factum referendum est. 2. Etiamsi peccassent, tamen non constare, id ab eis perversè & datâ operâ esse factum, ut Aaronis & Davidis factum. 3. Etiamsi perversè & datâ operâ peccassent, tamen in eo non per-

severâsse. Nunc etiam addo: unde scit Frantzius, Solomonem peccati sui idololatrici, & populum, qui in deserto periit, peccatorum suorum remissionem esse consecutum? Nam si perierunt, ut scriptura de Iudæis testatur, remissionem peccatorum illis contigisse, dicere, est scripturæ S. contradicere.

Ad objectionem nostram, sumtam ex Epistola ad Hebr:, quòd pro peccato spontaneo non relinquatur hostia, respondet thes: 142. *constitisse pro illo sacrificium, idque probat loco Lev: 6.* 1,2,3,4,5,*6.* Sed præterquam, quòd ad hoc totum fusissimè responsum est a nostris, præsertim in lib: de Servatore, duo sunt, quæ refutant Frantzium, primùm, quòd non de quovis peccato ultrò commisso in loco Levit: sermo est, sed de tali, quod, licet non sit planè commissum per meram ignorantiam, non sit tamen tale, ut dici possit commissum esse, (ut scriptura V.F. loquitur) brachio excelso. Adduntur enim ibi hæc verba, *& qui quodlibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus solent homines peccare.* 2. Ibidem manifestè dicitur id, unde apparet, sacrificium istud legale non suffecisse ad talia peccata expianda, quemadmodum sufficiebat ad alias meras infirmitates & ignorantias expiandas, quòd scilicet ab eo, qui talia, qualia ibi commemorantur, præter sacrificium, satisfactio requiritur, dum dicitur, *reddet omnia, quæ per fraudem voluit obtinere integra, & quintã insuper partem domino, cui damnum intulerat, pro peccato autem suo offeret arietem,* &c.

Sub lege pro peccato spontaneo non cõstitit sacrificium.

Ad locum verò ipsum Heb:10. respondet thesi 144. *Epistolam illam de illis loqui, qui Christum planè cognoverant, & tamen ab eo deficiunt,* &c. At hoc dum ait Frantzius, fatetur ipsemet peccatum esse, quod non remittatur, & totum illud destruit, quod hactenus construxit. Nam & nos idem planè dicimus, dari scilicet tales casus, in quibus nulla spes sit, ordinariè & generatim, vel de vi N.F., loquendo, remissionis peccatorum, & horum duos ostendimus, ex ista Epistola, & ex aliis etiam locis. Prior est c: 10. si quis veritatem Evangelii agnitam abneget & blasphemet. Alter c: 6. si quis, qui omniũ peccatorum habitũ & jugum semel excusserat, iterũ habitui alicujus peccati implicetur. Hos homines Deus interdum non vult, ut unquam deplorent sua peccata, ut exemplum Iudæorum, tempore Christi, docet: interdum vult, ut deplorent, & tamen non vult, ut verè resipiscant, & ad se convertantur, ut exemplum Iudæ ostendit.

Quando nõ detur spes remissionis peccatorum vi N.F.

Hoc absoluto Frantzius ita pergit thes: 157. *Alterum, quo in pœnitentiam Christianam ab ipsis peccatur, ut hoc quasi obiter attingamus, est illud, quòd fidem in meritum Iesu Christi penitus damnant, nihilque nisi sola bona opera, tanquam media consequendæ æternæ salutis, requirunt.*

quirunt. Primùm quid opus erat istud hîc obiter inseruisse, de quo suprà suo loco non pauca, imò hæc omnia, quæ hîc repetit, dixerat. Deinde quid mirum est, nos damnare fidem in meritum Christi, cùm nullum meritum Christi agnoscamus, & pro nugatoria fabula id totum habeamus? Tum qua fronte ausus est dicere Frantzius, nos nihil nisi bona opera, tanquam media consequendæ salutis æternæ, requirere? Nam primùm & principaliter, ad salutem consequendam, contendimus requiri Dei gratiam & misericordiam: Opera verò bona nos requri contendimus ad salutem, tanquam causam sine qua non. Et hæc opera statuimus esse formam fidei, & ita ipsam quodammodo fidem, ita ut, quoad verba, idem dicamus cum Lutheranis, fidem, addo etiam, solam fidem, post dei gratiam, ad salutem requiri. Possemus igitur totum hoc multiplici jure rejicere: Sed quia nimis gloriatur Frantzius de eo, quod hîc nostræ sententiæ, quâ Christi meritum negamus, opponit, adeo, ut ea omnia, quæ Socinus in libro suo de Servatore, de errore satis factionis, & de locis, in quib⁹ sacrificii Christi fit mentio, disserit, per hæc, quæ nobis hîc proponit, solidissimè concuti & eruditissimè destrui affirmare non dubitaverit: Quin etiam in hæc verba prorumpere non erubuerit thes: 158. *Hunc nodum Gordium tantæ duritiei esse, certò scimus, quòd Ostorodus, si vel cum b is mille Alexandris magnis accesserit, eum tamen nunquam sit dissecturus*, videamus sanè, quid hujusmodi sesquipedalia verba portendant, & an non illud sit, quòd, qui vincere se posse desperant, victoriam sibi petulanter polliceantur.

v. Wernsd. 2, 676.

Ad salutem principaliter gratia Dei requiritur; deinde bona opera.

Thesis igitur 148. est: *Cæterùm hoc in loco ipsis iterum in memoriam revocamus, inprimisque Ostorodum diligenter considerare jubemus hoc argumentum tribus partibus comprehensum & absolutum 1. Quòd typica sacrificia victimarum, statim post lapsum in paradiso, cum promissione de semine benedicto cæperunt.* Thes: 149. *Nam quia cap: 4. in Genesi fratres adducunt oblationem, & Abel quidem de primogenitis pecudum suarum & de adipe earum, necessariò consequitur, ipsos ea sacrificia adduxisse ad Adamum patrem, summum tum temporis sacerdotem, qui & docuit suam Ecclesiam, & simul administravit sacrificiorum ceremonias.* Thes: 150. est. *Adam verò quandónam & à quónam acceperat mandatum sacrificandi pecudes? Vtique non nisi tunc, & non nisi ab illo, qui post lapsum fecit Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos, quum jam nudi starent & eos puderet.* Thes: 151. *Alioquin enim tunc Adam propter recentissimas Dei objurgationes, ne unam avem occidere ausus fuisset minimam, pro cultu aliquo divino; multò minus pecora grandia, nisi specialissimam & expressissimam Dei voluntatem & ordinationem*

nationem ea ipsa de re accepisset antea. Thes. 152. *Ex quo ipso per optimam illationem simul illud quoque obtinetur, in statu integritatis nulla fuisse sacrificia. Cogitet de his accuratiùs Ostorodus*. Audi quæso, benevole lector, quid sit illud, de quo hîc accuratiùs Ostorodum & nos cogitare velit Frantzius. Ex scopis dissolutissimis vult nos argumenta colligare, & ex conjecturis futilissimis petere refutationem solidissimorum argumentorum & explicationum. Primùm errores non pauci in hac prima sunt oratione, quam primam partem argumenti ad marginem appellat satis insciè Frantzius: *Quòd typica sacrificia victimarum statim post lapsum in paradiso, cum promissione de semine benedicto cœperunt*. Nam 1. Unde constat, sacrificia, quæ fiebant ab initio mundi, fuisse typica? quis typi hujus uspiam meminit? 2. unde constat, sacrificia cæpisse statim post lapsum, cæpisse in paradiso, cæpisse cum promissione de semine benedicto? (ut jam concedam factam esse aliquam promissionem, quod tamen incertum imò falsum esse, suprà etiam demonstratum est) Sacrificia enim, quæ Abel & Cain Deo obtulerunt, nec in paradiso, nec statim post lapsum, cum ista Frantzii promissione, oblata esse, tum ipsa ratio docet, (nam cum Adamus in paradiso esset & peccasset, solus erat cum uxore: ejectus verò e paradiso uxorem demum cognovit, ex qua Cainum & Abelem suscepit. Hos verò statim post nativitatem sacrificasse, quis nisi mentis inops affirmabit? præsertim cùm legatur, tunc ejus ætatis fuisse fratres primos, ut alter alterum interimere posset) tum ipsa etiam sacra scriptura testatur. dicit enim, post ejectionem parentum e paradiso: natos fuisse filios duos, & Abelem fuisse pastorem ovium, Cainum verò agricolam; Factum etiam esse *post multos dies*, ut offerrent &c. Qui multi dies non paucorum annorum loco censendi sunt. En habes lector veritatem particulæ primæ partis argumenti Frantziani. quid speras de reliquo? Sed præterea, quid ex eo consequetur, quod affirmat Frantzius, etiamsi esset verissimum, cùm tamen sit falsissimum? Illud fortasse, quod ait thes: 152. in statu integritatis nulla fuisse sacrificia. Concedamus & hoc suo modo. Sed quid hinc rursus extruet Frantzius? Nectat si potest has dissolutiones. Sacrificia nulla fuisse in statu integritatis, quid mirum? cùm adeo breve illud fuisse constet, ut vix de eis cogitandi tempus esset. Sed si quis dicat, etiamsi status integritatis mansisset, tamen futura fuisse vel offerri potuisse sacrificia, quid ad hæc responderet Frantzius? Denique si, post lapsum tantùm extitisse, vel extare etiam debuisse sacrificia, quis concederet, num hinc consequeretur, quod somniat Frantzius, ea in illum finem extitisse, ut nescio quid figurârent? nonné absque ullo respectu typi

Farrago errorum Frantzii.

Eu typi offerri poterant ad testandum animum erga Deum religiosum,& beneficiorum memorem? Num denique, etiamsi typica fuissent,id, quod ea figurasse credit Frantzius,figurassent? An non aliudquid, idque Deo dignius dari posset,quod ea figurassent, præter istam ineptam de sacrificiis opinionem, quæ hodie inter multos obtinuit? Illud verò,quod necessariò consequi ait Frantzius ex eo,quòd Cain & Abel adducunt oblationem, nempe ipsos ea sacrificia adduxisse ad patrem Adamum, summum tum temporis sacerdotem, qui & docuerit suam Ecclesiam, & simul administrârit sacrificiorum ceremonias,nonné totum magno risu dignum est? Primùm quæ necessitas consequentiæ; Adduxerunt: Ergo ad patrem Adamum? Sed quæ veritas præterea? non enim *adduxerunt*, sed *obtulerunt* habet textus, & quod majus est, obtulerunt Domino: quomodo igitur ad Patrem Adamum adduxerunt? Porrò quæ rursus necessitas consequentiæ,obtulerunt Domino: Ergo per summum sacerdotem. Nonné aliquid Deo offerri potest absq; summo sacerdote? Adamum verò summum sacerdotem appellare, eumque ceremoniarum sacrificiorum magistrum constituere, quid quæso est aliud, quàm seipsum egregium rerum novarum & puerilium inventorem exhibere,& religionem etiam ipsam deridendam aliis proponere? Sed his omnibus omissis,etiamsi totum hoc commentum,sanè plusquam anile, Frantzii concederetur,quid tandem obtineret Frantzius? Vnde vel per speciem meritum illud Christi, cujus stabiliendi causa, hæc tanta machina argumentorum adhibita erat, deduci posset? Nonné enim potuit Deo sacrificare Adam absque figuratione meriti Christi? Quid verò tandem responderet Frantzius,si legeretur, Adamum etiam sacrificasse, quod certè fieri potuisse, nec ipse Frantzius negare fortasse poterit, quónam ille summo sacerdote,& ceremoniarum ad sacrificia necessariarum magistro usus fuisset? Reliqua persequi piget me & pænitet. Sed quid agam, cùm nos ita provocet & seipsum ita jactet Frantzius in hac sua deductione? Interrogat quandónam & a quónam mandatũ sacrificandi pecudes acceperit Adam? Respondeo. Si accepit,a nemine nisi a Deo accepit? Sed,an acceperit,quæritur. Nam si mandatum accepisset,cur id non ad ipsum potiùs spectasset,quàm ad filios,præsertim si tunc datum ei fuit, cùm Deus ei tunicam pelliceam faceret, hoc est,longo tempore ante quàm liberi essent adulti? Iam verò, si ipsi datum fuisset mandatum sacrificandi, quis,ut modò diximus,ejus nomine ea obtulisset,siquidem summo sacerdote,ad quem adducuntur sacrificia, secundùm Frantzium, opus est? Vnde verò constat, Adamum tunc,cùm a Deo objurgaretur, & tunicâ pelliceâ indueretur,

pecora

pecora grandia occidisse, ut Frantzius affirmet, cum tum propter recentissimas Dei objurgationes, ne unam avem minimam, nedum pecora grandia occidere ausurũ fuisse? Ergo jam pecora grandia ita erant multiplicata, ut mactari quædam possent, cùm Deus Adamo nudo tunicam pelliceam pararet, & ob peccatum commissum eũ objurgaret? Ergo pecora eaq; grandia ad sacrificia necessariò requirebantur, cùm tamen de Caino legatur, quòd de fructibus terræ Deo obtulerit, Abel verò de primogenitis gregis & de adipe illorum? Quis tandem finiserit commentorum Frantzii? En habes, lector, primam partem argumenti Frantziani, de fide in meritum Christi. In qua quid rectè dictũ sit, non video. Nisi fortasse hoc unicum, quòd aliqua Dei revelatio accesserit, quæ Adamum docere potuit, Deo cultum & honorem esse deferendum, eumq; ut affectione animi in Deum, sic etiam externis actionibus, quales scilicet tunc exerceri poterant, testificandum. Quanquam nec hoc omnino certum est. Potuit enim Deus ipsis filiis Adami hoc patefacere. Sed jam audiamus alteram partem argumenti hujus, quæ continetur thesi 153.

Adjicimus autem 2. quòd typica Sacrificia desierunt cum ipsa morte Christi pro nobis tolerata. Utique enim statim post resurrectionem, & pleniùs post ascensionem Christi, in pentecoste divinitus edocti Apostoli, proclamârunt illa capita doctrinæ, quæ in Epistolis ipsorum cernuntur. Thes. 154. *In scriptis autem Apostolicis & inprimis in compendio illo reliquarum Apostolicarum Epistolarum, (quoad hanc ipsam materiam) nimirum in Epistola ad Hebræos, tractatur illud quoq; præcipuè, quòd sacrificia veteris Testamenti fuerint ritus & signa ad tempus imposita, nimirum usq; ad illud tempus, quo Christus per proprium sanguinem hircorum & vitulorum ingressus est semel in sacrarium, æternam redemtionem nactus.* En verba ipsa Frantzii, quæ omnia concedam, ut aliquid obtineat, si modo possibile est, ut aliquid per ea obtineatur. Quanquã ridiculè proculdubio Epistola ad Hebr. compendium Apostolicarum Epistolarum appellatur: & ineptissimè dicitur, quòd Christus per proprium sanguinem hircorum & vitulorum ingressus sit semel in sacrarium. quod etiam malo lapsui asscribere vel amanuensis vel typographi. Videamus quid hinc effici posse credat Frantzius. Id autem habetur Thesi 155. *His præmissis ulterius 3. expendatur illud, quòd quicquid in scriptura de sacrificiis typicis dicitur, quòd expiarint peccata hominum, illud in iisdem scripturis sanguini Christi applicetur, quòd purget nos ab omnibus peccatis, quòd sit precium redemtionis &c.* Hîc illud maximopere notandũ est, quòd nõ soli sanguini vel morti Christi tribuatur in s. literis nostrorũ peccatorũ expiatio, sed etiã, & inprimis sacrificio ipsi- Peccatorum expiatio sacrificio Christi inprimis trĩbuitur.

cio ipsius. Nec immeritò. Sacrificia enim illa legalia non tantùm mortis Christi, sed etiam sacrificii ipsius & hujus maximè typi fuerunt. Sacrificium autem non nisi in cælis perfectum esse, hinc perspicitur, quòd sacrificia veteris Testamenti non nisi in sanctuario perficiebantur. Sanctuarium autem illud vel sancta sanctorum typus erant cæli ipsius, in quod Christus ingressus est, non tunc cum moreretur in cruce, sed postquam in cælos ipsos ascendit. Et sanè, si Christus in cruce sacrificium peregisset, quomodo dici posset, quod thesi præcedenti etiam allegat Frantzius, Christum per proprium sanguinem ingressum esse semel in sancta sanctorum? Hoc unicum si consideretur & intelligatur, universam hanc rem illustrare, & summi erroris Frantzium convincere potest. Certè enim Christus, qui nunc sacrificio suo peccata nostra expiat, nihil meretur, nemini satisfacit. Huc facit illud, quod suprà etiam ipse Frantzius attulit, quòd Christus, post suam resurrectionem, demum jusserit annunciare pœnitentiam & remissionem peccatorum in nomine suo. Quia scilicet expiatio peccatorum reipsa demum cæperit ab eo tempore fieri, quo Iesus potestatem auferendi ab hominibus pœnas peccatorum perfectam consecutus est.

Sacrificium Christi in cælis perfectum.

Hoc jam ita constituto, corruit thesis 156. *Vtique autem, sicuti typicè expiârunt sacrificiis peccata sua Iudæi, ita quoq; propriè expiavit peccata totius mundi sanguis Iesu Christi, nimirum non prædicatione, aut simili aliquo tali; sed reali satisfactione.* Iam enim demonstratum est, typicis sacrificiis legis opponi Christi etiam sacrificium, in quo nullus satisfactioni locus est. Præterea licet etiam Christi morti tribuatur peccatorum nostrorum expiatio, id tamen non ideo fieri censendum est, quòd ea sola peccatorum expiationem absolverit, sed quòd sine ea sacrificium Christi fieri non potuerit, quemadmodum sine mactatione pecudis ante tabernaculum, sacrificium legale in sanctis sanctorum fieri non poterat, nec tamen ista mactatio pecudis ipsum erat sacrificium. Calumnia autem est in eo, quod tacitè nobis affingit Frantzius, dum dicit, *non prædicatione aut simili aliquo tali.* Quasi scilicet nos dicamus, Christi sanguini peccatorum remissionem a nobis tribui propter prædicationem? Quàm enim absurdum hoc esset? Dicimus quidem prædicatione etiam Christum expiasse dici posse peccata nostra, quatenus scilicet Dei nomine summum vitæ æternæ beneficium nobis annunciavit: sed non ad sanguinem Christi, prædicationem istam referimus. Dicimus etiam Christi sanguine peccata nostra expiari, tum quia nos de voluntate Dei (quæ peccatorum remissionem continet) ipsa per se certissimos reddit, tum, idq; potissimùm, quòd Christo causa extitit mors ipsius consequendi eam potestatem, quâ pec-

Cur Christi morti tribuatur peccatorum expiatio.

quâ peccata nostra nunc expiantur reverâ, hoc est, quâ omnia supplicia divina a nobis avertuntur, & quâ olim ipsa mors æterna a nobis avertetur, & vicissim omnia in nos beneficia divina conferuntur, & quâ olim ipsa vita æterna nobis donabitur. Hoc enim est, si absq; figuris loqui velimus, expiatio peccatorum nostrorum. Eat nunc Frantzius, & glorietur de suo nodo Gordio, & provocet bis mille Alexandros magnos ad eum dissecandum, & dicat, omnia, quæ Socinus de morte & sacrificio Christi scripsit in lib. de Servat. per has ipsius scopas dissolutissimas, & tantùm non deliria, solidissimè concuti, & eruditissimè destrui: Cōcludat deniq;, invictam stare suam de fide in meritum Christi (sic enim antea dixerat, & sic dicendum ei est) opinionem. Tu verò, benevole lector, non quid promiserit, sed quid præstiterit Frantzius, considera. Quid sit peccatorū expiatio.

Deinceps a thesi 160. corollaria duo tractat Frantzius. Alterum est, *Semel justificatos, posse amittere Spiritum S.* Quod quia nos etiam concedimus, non est quod hîc immoremur. Alterum est: *non posse contingere nobis in hac vita tantam perfectionem, ut peccare non possimus.* At hæc verba ita nudè posita, contradicunt verbis D. Ioannis: *Qui nati sunt ex Deo, non possunt peccare.* Itaque nullo modo admittenda sunt, nisi cum sobria interpretatione, quæ a nostris non uno in loco indicata est, & quam nunc repeto tribus verbis: Dicuntur homines non posse aliquid facere, non tantùm ideò, quòd facultas & potestas, verùm etiam quòd voluntas id faciendi eis adempta sit. Vt cum dicunt Apostoli: *non poßumus nos ea, quæ vidimus, & audivimus, non loqui: non poßumus aliquid adversus veritatem sed pro veritate.* Hoc eodem modo dicitur: regeneratos non posse peccare. Et vox *peccare*, præterea accipitur pro duratione in peccato, vel pro peccati habitu. Non possunt, inquam, in peccati habitu hærere illi, in quorum mentibus fixa hæret vitæ æternæ tum dulcedo tum certitudo. Hoc enim illud semen est, de quo Ioannes loquitur, & quod causam esse dicit, cur homines regenerati non possint peccare. Quod etiam alibi dicit: *Omnis qui habet spem hanc* (nempe se Deo similem futurum) *in ipso*, (nēpe Deo) *seipsum purificat, sicut ille* (Deus) *purus est.* Hanc sententiam, quæ ipsissima via est salutis, quæ etiam alibi per imitationem Dei & Christi exprimitur, Frantzius impugnat th: 169., mirabili tamen modo. Primùm enim concedit, præcipi, ut Christum imitemur; & hoc etiam ut concionatores faciant, suadet. Deinde verò dicit th: 172. in locis, quos nos citamus 1. Cor: 11. 1. 1. Thess: 1. 6. Eph: 5. 1. Matth: 5. Ioh: 15. 12, 13. 1. Ioh: 3. 3, 7. tantummodo de una virtute imitanda agi. Atqui falsum est, in omnibus locis tantùm unam virtutem nominari.

Margin notes: 1. Ioh: 3. 9. — Quid sit non posse peccare. — Act: 4. 20. 2. Cor: 13. 8. — [handwritten: v. Slegm. p. 490.] — Quid sit semen Dei. — 1. Ioh: 3. 3.

nominari. in singulis enim singulæ ferè virtutes commendantur, & ita erunt aliquot virtutes, pro numero locorum allegatorum. Deinde falsum & ineptissimum est, ut etiam antea ostensum fuit, verba indefinitè prolata ita restringere, ut tantùm unam virtutem & non potiùs omnes, quæ nobis præscriptæ sunt, comprehendant, cùm ubique locorum, in quibus hujusmodi verba habentur, ut simus imitatores Dei & Christi, non tam adhortatio ad singulares virtutes, quàm ratio adhortationis ad istas virtutes singulares, contineatur, quæ ratio non potest esse nisi generalissima. alioquin nullius valoris futura. ut cùm, exempli causa, Christus dehortatur a blasphemia, jure illud dicitur: *de omni otioso verbo reddent homines rationem Deo;* & non est otiosum illud verbum, tantùm ad blasphemiam restringendum, etiamsi de ea sermo sit institutus, sed generaliter accipiendum, de omnibus sermonibus, qui blasphemiæ vel pares sunt vel similes, & statuendum, a genere universo argumentationem fieri ad istam speciem: vel cùm Iacobus, dehortans a levitate gloriationis, quòd simus facturi hoc & illud, non invocato nomine Domini, ita concludit: *Qui scit ergo benefacere & non facit, peccatum illi est,* non sunt hæc verba ultima tantùm ad speciem illam, de qua sermo est, referenda, sed pro ratione, quare recipienda sit ipsius admonitio, habenda ex quibus tanquam ex genere universo concluditur similiter species.

Argumenta adhortationum deducuntur ex generalibus rationibus. Mat. 12. 36.

V. [illegible] 9, 14.

Jacob. 4. 17.

Hinc videre est, quàm ineptè istud addiderit Frantzius th: 173. *Hæc autem ideo monere necessarium fuit, ne Socinus gloriari possit, se obtinuisse hoc omnino plenarieque ex sacris literis, quòd Christum imitari (nimirum in omnibus moribus innocentibus) possimus. Ad Thessal: enim scribitur quidem, quòd imitatores Domini facti sint; verùm tantummodò & specialiter illud applicatur iis in una virtute.* Esto id ita se habere. Quid verò impedit, quominùs ii, qui in una virtute Christum imitantur, in alia etiam imitari possint? Imo si in una, quæ est difficillima, nempe rerum adversarum patientia, Christum imitari possunt, parumné liquet, imitationem etiam dari in aliis multò facilioribus. Facilius enim est piè vivere, quàm innocenter afflictiones perpeti. Et quid tandem est, quòd Frantzius ita petulanter veritati repugnat, quam deinde thes. 174. ipsemet asserit, dum ait: *In reliquis oraculis* 1. *Pet.* 1. 15. 1 *Ioh.* 2. 6. & 3. 7. *Rom.* 13. 14. *Eph.* 4. 24. *Colos.* 3. 10. *De omni sancta conversatione secundùm omnem puritatem agi non inficiamur, & moneri, ut singuli imitentur innocentiam & puritatem Christi, quæ pietas, innocentia & puritas Christi nobis passim, ut exemplar pietatis imitandæ proponitur.* Si inficiari non potes Frantzi, in his locis agi de omni conversatione, & moneri, ut singuli imitentur Christi innocentiam & puritatem,

Imitatio Christi est possibilis.

puritatem, quomodo non obtinuit Socinus omnino & plenariè ex sacris literis, quòd Christum imitari (in omnibus moribus innocentibus, ut tu loqueris) possimus? Nisi fortasse dicat Frantzius, moneri homines ad id, quod præstare nullo modo possunt, quod non minùs ridiculum quàm absurdum est. Sed audiamus reliqua.

Thesis 175. *Secundò libenter concedimus, quòd induere Christum, significet imitari puritatem morum Christi in exemplis allegatis; sed hoc negamus, quòd induere Christum nihil ampliùs in se complectatur, quàm imitationem morum Christi.* Audimus Frantzium affirmantem: sed audiamus etiam probantem: Thes. 176. *Quicunq; in Christum baptizati estis, Christum induistis, inquit Apostolus Galat. 3. 27. At infantes in Christo baptizantur & rectè baptizantur, ut aliquot disputationibus de baptismo suis locis evicimus. Ergo infantes Christum induerunt, nimirum meriti applicatione, nondum verò morum externis exercitiis, quæ in illam ætatem cadere non possunt.* Thes. 177. *Quamdiu igitur stat pœdobaptismus, tandiu hæc quoq; distinctio dicta firma manebit, nos induere Christum duplici ratione: 1. Fide, quâ meriti Christi vestem nobis circumponimus, & in ea coram facie Domini comparemus, misericordiamq; petimus & consequimur. 2. Imitatione morum, quâ coram facie proximi testamur, nos esse filios cœlestis patris & amicos Christi nostri.* ô argumentum puerile! sed tamen respondeo. Primùm major, quam vocant, æquivocatione laborat in phrasi, Christum induere. Interdum enim ipsam actionem imitationis Christi, interdum solam ejus professionem significat. In loco ad Gal. 3. 27. actionem ipsam imitationis Christi significare non potest. De illis enim dicit, quòd Christum induerant, quos & graviter reprehendit, & tantùm non defectionis a Christo accusat. Relinquitur igitur, quia Paulus de Galatis præcisè pronunciat, eos, Christum induisse, eum de professione potissimùm imitationis loqui. Minor verò, quid est aliud, quàm audax & pertinax pronunciatum? An jure baptizentur infantes, inter nos saltem controvertitur. Quomodo igitur ex eo aliquid probari potest? & etiamsi tandem rectè baptizarentur infantes, nimis tamen puerile esset, dicere, eos reipsa Christum induere, cùm verba illa actionem ejus omnino requirant, qui induit Christum, eamq; planè singularem, qualem in infantes cadere posse, qui affirmat, ei medicamentis opus est, non argumentis. Iam si ista Christi meriti applicatio nititur pædobaptismo, adeò ut hujus autoritate stet & cadat, quod ait Frantzius, videat, quid merito isto Christi futurum, vel quid de eo sperandum sit. Iam pridem enim Pontificii agnoscunt, Pædobaptismum ex sacris literis solis probari non posse: inter alios non pauci sunt,

Christum induere dupliciter accipitur.

sunt, qui eum planè rejecerunt, & plures, qui necessitatem ejus nullam vel exiguam ad salutem vident. ita ut soli Lutherani esse videantur, qui istius ceremoniæ sint defensiores, satis quidem rigidi, sed tamen omnino frigidi. Addam autem ego hæc etiam: Pædobaptismum stare posse ut rem adiaphoram: & tamen meritum Christi nullum esse. Nam non, ut meritum Christi infantibus applicetur, baptizari infantes possunt: sed ut in Christi Ecclesiam qualicunq; modo, ex mente saltem eorum, qui ita sentiunt, inserti censeantur.

Thes: 178. est. *Tertiò & præcipuè negamus, eam esse virium humanæ naturæ conditionem, ut satis possit omnia malitiosa, perversa, ultronea peccata cavere.* At neque nos id affirmamus, eam esse virium humanæ naturæ conditionem, ut possit omnia peccata malitiosa &c. cavere: Imò si vires humanæ considerentur per se, credimus perexiguum futurum studium innocentiæ in hominibus, præsertim ad Christi Evangelium conformatæ. Sed est divinum auxilium, idque tum externum, nempe promissa Dei & eorum confirmationes, quod omnibus offertur, quibus Evangelium annunciatur; tum internum, nempe Spiritus S. donum, qui omnibus datur, quicunque Evangelium recipiunt, & eidem obedire conantur, quo si homo juvetur a Deo, ecquis est, qui affirmare audeat, non posse hominem Deo ita obedire, ut nullius peccati, præsertim gravis & enormis, habitum contrahat? quæ ista obedientia est, in qua Deus acquiescit, & quæ fidei nostræ forma est. Deinde non negamus, in regeneratis etiam peccata enormia deprehendi posse, si peccata pro actibus peccatorum accipiantur: sed tantùm habitus in eis esse posse negamus. Vbi enim est habitus peccati, ibi jam regeneratio cessat.

Auxilium Dei duplex ad obedientiā datum.

Ratio quam affert Frantzius th: 179. de peccato originali, exsibilatione digna est. Quid verò est, quod Frantzius, rem ita dubiam probaturus, hoc pro argumento affert, quod, si non planè falsum (ut nos existimamus) saltem controversum est? cùm probationes ex iis rebus depromendas esse, quas utraq; pars pro veris recipiat, ipsamet sana ratio suadeat, nec ipse etiam Frantzius nesciat.

Quod de exemplis affert th: 180. quorundam filiorum, *qui sint proni ad malitiam ab incunte ætate, vel etiam ex ipsa nativitate*, id primùm pro regula haberi nequit, nec peccato alicui originis asscribi. Hoc enim in omnibus inest ex mente Frantzii: at ista corruptio paucis omnino. Quæ etiam physicas quasdam rationes habere potest, tantùm abest, ut ex peccato illo fictitio oriatur. Deinde nulla est tanta inclinatio naturalis, quæ diligenti cura & educatione pia corrigi, imò etiam tolli nequeat. unde constat, non esse ista innata homini illo

ni isto modo, quem peccatum illud originis flagitat. Itaque rem totam concludentes, adversus ea, quæ Frantzius thes: 183. ait, & non probat, *debere conatum tantùm imitandi Christum in homine regenerato reperiri, interim fieri non posse, ut satis imitetur Christum:* oppono ei, quæ principia sunt Christianæ religionis, & omni exceptione majora: *Sine sanctimonia nemo Deum videbit: Si dicamus, quòd communionem habemus cum eo* (Deo) *& in tenebris ambulamus, mentimur: Qui dicit se in ipso* (Christo) *manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare. Omnis qui in eo manet, non peccat, & omnis qui peccat non vidit eum, nec cognovit eum. Filioli nemo seducat vos. Qui facit justitiam justus est, sicut ille justus est.* Ambulare autem ita, ut Christus ambulavit, non peccare & justitiam facere, non est, conari tantùm id pręstare, sed reipsa id præstare. Dicam tamen hoc pro rei hujus explicatione, quod etiam suprà non semel dictum est. Duo sunt gradus imitationis Christi, alter est, quem prorsus necesse est, ut assequantur omnes, qui servari volunt, & is est, ut ab omnium peccatorum habitu sint liberi: alter est, ad quem aspirare perpetuò tenentur, & is est, ut ab omni peccatorum actu liberi sint. Et licet necessariò a Deo non requiratur, ut simus ab omni peccatorum actu liberi, requiritur tamen, ut quantum ejus fieri potest, ad eum perpetuò contendamus & nunquam in studio pietatis satis nos progressos esse statuamus. Hęc via salutis est, arcta illa quidem & angusta, sed verissima. Hanc Deus omnibus ostendat; nos verò in ea juvet & confirmet. Amen.

Parum est conari Christo obedire

Heb: 12. 14.

1. Joh: 1. 6. & 2. 6. & 3. 6. 7.

Imitatio Christi duplex.

REFUTATIO PARTIS THESIUM. D. WOLFGANGI FRANTZII, De Sacramentis in Genere.

Quæ est Disputatio ipsius posterior III.

HIc omnia ea, quæ novem sectionibus tractat Fr: datâ operâ præterimus. Nam I. plæraque nihil aliud sunt, quàm nudæ Frantzii assertiones, nullis fundatæ probationibus. Deinde ea, de quibus controversia moveri potest, jam antea in disputationibus de baptismo & Cæna Domini agitata & excussa sunt. Denique magnam partem dictorum consumit Frantzius in refutandis tum Calvinistis tum Pontificiis, qui de sacramentis, unâ cum illo, multa sentiunt & scribunt falsa & erronea, licet alii minùs alii ma-

alii magis. Ad sectionem 10. rectà accedimus, quâ nos etiam nominatim perstringit.

Postquam igitur nostram de istis, quæ vocant, sacramentis, sententiam exposuisse se credidit thes: 147. & 148. tandem thesi 149. ad causam enarrandam accedit, ob quam nos ista sacramenta rejiciamus. Ad quam diluendam priusquam accedamus, hoc unicum notandum est, nos ea, quæ Frantzius commemorat, sacramenta, non ita rejicere, ut pro rebus sacris ea non habeamus. Quomodo enim, quod Deum autorem habet, & quod ad gloriam suam, vel etiam populi divini a reliquis hominibus segregationē, Deus & olim extare voluit, & nunc etiam extare vult, rei sacræ nomen non mereatur? Sed istam significationem phaleratam vocabuli Sacramenti, quo aliquid tremendum & adorandum tegunt Lutherani cum Pontificiis, meritò detestamur, ne superstitioni & idololatriæ fenestra denuo in Christi Ecclesia aperiatur. Addam etiam hoc: Nos cænam Domini non simpliciter pro nostro bono opere, quo nos Deo confessionem & memorationem conferimus (ut Frantzius satis ineptè loquitur) sed pro tali opere, quo singularis & solennis Dei & Iesu Christi gloria & nominis ipsius celebratio continetur, quemadmodum olim celebratione agni paschalis celebratio nominis divini continebatur, habere. Sed jam audiamus Frantzium. Thesis 149 est. *Porrò cur concedere nolint, Deum nobis cælestia bona, adeoq; gratiam & vitam æternam offerre, & conferre per media sacramentalia, adeoq; scripturas, ea de re loquentes, vehementer detorqueant & depravent, rationem tibi, pie lector, nullam aliam dabunt, quàm hanc: rationi contrarium esse, quòd cum rebus terrenis debeant & possint offerri & communicari cælestia bona.* At ego aliam rationem, eamq; potiorem afferre nostros ajo. Nempe sacram scripturam nusquam quicquam tale vel dicere, nec quicquam tale ex illis colligi posse, quòd Deus per externas ceremonias gratiam & vitam æternam offerat & conferat. Nam si hoc sacræ scripturæ dicerent, vel si hoc ex illis legitimè colligi posset, jam statim rationi nostræ nuncium remitteremus, & s. literis fidem absq; omni hæsitatione adhiberemus. Et calumniari nos Frantzium dicimus, quòd nullam aliam rationem demus, cur non credamus istis nugis, quàm hanc: rationi contrarium esse, quòd cum rebus terrenis debeant & possint offerri & communicari cælestia bona. Quanquam non diffitemur, nos, posita hac principali ratione, quòd scilicet nec in scriptura aliquid dicatur, nec ex ea excerpi vel colligi possit, hanc etiam addere: nihil recipiendum esse in rebus ad salutem & religionem pertinentibus, quod rationi sit contrarium. Omnia enim, quæcunq; ad salutem & religionem

[Margin: Quatenus Sacramenta non rejiciamus. — v. [handwritten] 3, 226.]

[Margin: pro quali opere bono cæna domini habeatur]

[Margin: Cur per sacramenta bona cælestia non conferantur. — v. [handwritten] 1, [handwritten]]

nem pertinentia, a Deo sunt revelata, rationi consentanea esse, certissimè persuasum habemus; & eum, qui aliter sentit, toto cælo errare, tamdiu contendemus, donec vel unicâ instantiâ demonstrabitur, rationi aliquid esse contrarium, quod in sacris literis continetur.

Hoc quia probare aggreditur Frantzius, audiamus eum. Sic igitur habet thes: 151. *Hæc verò interpretationis scripturæ ratio, si obtinere debet, utique primum statim articulum de Deo nobis evertet. Quis enim ratione sua aßequi valebit, exempli gratia, ipsam Dei eßentiam omnis principii expertem? quo profundius hac de re de æternitate principii experte retrorsum rationis humanæ scrutinium sese extendet, eò magis confundetur & conturbabitur.* Viden', benevole lector, Frantzium terminos, quod vocant, mutare? Affert enim exemplum rei hujusmodi, quæ rationi non est contraria, sed eam tantùm superat, qualis est, Deum esse omnis principii expertem. Nos verò ultro fatemur, plurima esse in religione Christiana, quæ rationem superent, & tamen nobis necessariò sint credenda ob id ipsum, quia, quantumvis rationem superent, tamen in sacris literis prodita extent, & rationi nostræ, quam superant, sint maximè consentanea. Nam Deum omnis principii expertem esse ita ratio dictat, ut aut talem Deum esse necessariò statuendum sit, aut nullum. Deum totum infinitis locis præsentissimum adesse, quod th: 152. asserit Frantzius, si de essentia ejus accipitur, erroneum aliquid censendum est. Quomodo verò favore suo præsentissimus adsit, licet rationi non illustratæ non sit cognitum: tamen quia sacræ literæ id affirmant, necessariò credendum est. Idem etiam de eo, quomodo omnium hominum cogitata interna introspiciat, & facta eorundem intra sese retineat, & tandem vel remuneretur vel puniat Deus, quod thes: 152 ait Frantzius, sentiendum est.

Religio supra rationẽ est, non contra eam.

V. Hoorn... [handwritten marginal note, partly illegible]

Concludit Frantzius thes: 155. *Mysteria hæc sunt, omnem captum rationis superantia, & nobis tantùm à scripturis indigitata.* Fatemur id ita esse, & propterea etiam, quia a sacris literis indigitantur, firmiter ea credimus, licet omnem rationis captum superent, & laudamus Frantzium, qui nunc aliter loquatur, quàm antea locutus fuerat, tum in his thesibus, tum in præfatione super has 12. disputationes posteriores, in quibus id etiam reprehendit, quòd velimus omnem scripturæ explicationem talem esse, quæ rationi applaudat. Potest enim aliquid rationem superare, & tamen eidem applaudere. Qualia ferè sunt omnia, quæ in religione, præsertim Christiana, continentur. At quæ sequuntur in eadem thesi falsissima esse proclamamus: *Eodem igitur modo habenda mysteria sunt in baptismo & cæna Domini operationes divinæ, quando ex scripturis in infantibus Deum agere profitemur, & quando*

Quæ scriptura indicat, etiamsi rationem superent, credenda.

V. Hoorn. [handwritten marginal note, partly illegible]

quando juxta scripturas adultis in legitimo usu corpus & sanguinem suum mysticè præsentissimum sistit, juxta potentiam carni suæ communicatam infinitam. Hæc enim non mysteria in sacris literis contenta, aut rationem superantia sunt, sed vanissima humani cerebri commenta, quæ ita rationi subjacent, ut falsissima ea esse, facilè perspicere ipsa ratio possit, & proinde aspernanda esse suadeat.

REFUTATIO PARTIS THESIUM D. WOLFGANGI FRANTZII, De Ordine Ecclesiastico.

Quæ est Disputatio ejus posterior IV.

QVÆ de ordinatione ad docendum & sacrificandum Adami disserit Frantzius Sectione 2., ea nos omnia pro magna fabula habemus, nec quicquam opus esse putamus in tanta luce Evangelii, cum tantis tenebris & næniis confli-ctari. Illud tantùm miramur, imò ad id quodammodo obstupescimus, dum locum Heb:5.v:1,2,3,4,5, &c. ad hanc rem detorqueri audimus. Ibi enim de sacerdotibus, quos tales esse constat, sermo est, & quomodo ad tale munus deligantur, docetur: Nunc verò quæstio est de eo, quinam debeant censeri inter sacerdotes. In loco ad Heb: tantùm de certo genere sacerdotii sermo est, quale erat Aaronicum: Nunc verò sermo est in genere de sacerdotio. Nugas reliquas de vocatione ministrorum verbi ab Adamo usque ad Christum, Frantzio donamus. Christum & Apostolos vocatos fuisse nemo negat; Matthiam Apostolum per suffragia Apostolorum in locum Judæ suffectum credimus; Paulum constituisse presbyteros non inficiamur; Modum certum eosdem constituendi observatum fuisse in sequentibus seculis, admittimus: Sed nondum rem acu tetigit Frantzius, nec ad nucleum ejus accessit. Doceatur ita fieri debere cum omnibus, qui voluntatem Dei annunciant, & doceatur vel testimonio sacrarum literarum, vel ratione ex illis desumta, & res salva erit.

Quid in ordinatione ministrorū concedatur, quid non.

v. Hornb. 3, 205.

TERTIÆ SECTIONI, quòd vocatio fieri debeat cum consensu Ecclesiæ, nihil etiam addimus vel opponimus, cùm, si rectè intelligatur, verissima sit.

QUARTA

QUARTA & QUINTA SECTIONE recenset & perstringit Frantzius Pontificiorũ de hac vocatione errores. Dolemus autem, Fr: vocationem Lutheri, quæ in Papatu ei contigit, habere pro divina & legitima; & non potiùs hoc urgere, quòd absque ista vocatione docere alios potuerit & debuerit. Quia scilicet non tantùm charitate erga proximum ad id ducebatur, verùm etiam impetu quodam divino ad idem rapiebatur; vocatio autem, qualem fingunt Pontificii, nullo modo necessaria erat. Hac enim ratione seipsum intricat, & viam præcludit ad directè respondendum Pontificiis, qui istam vocationẽ nimis superciliosè exigunt. Sed quia aliter sentit Frantzius, & nos, qui, quod jam dixi, verissimum esse statuimus, pariter reprehendit, & furentes vel delirantes etiam appellare non erubescit, videndum est, quomodo nostram hanc sententiam refutet. Adducit autem Frantzius argumenta ex libello Ostorodi, quibus probavit, non esse necessariam vocationem & missionem ministrorũ. 1. Argumentũ facit, quòd loca Ierem: 23.21. *Currebant & non mittebam eos*, & Rom: 10.5. *quomodo prædicabunt, nisi mittantur*, tantùm ad eos sese extendant, qui nova & prorsus antea ignota doceant. Hoc verò non facere eos, qui hodie alios docent. 2. est. Quòd prædicatio veritatis pertineat ad homines convertendos. Hoc verò omnibus incumbere vi charitatis Christianæ. 3. est, multos docuisse, qui non tantùm missi non erant, verùm etiam qui veritatem non integrè tenebant. ut Act: 8. 4. de iis, qui, pulsi Hierosolymâ, evangelizabant, & Act: 18. de Apollo. 4. facit, quòd doceri non possit ex sacra scriptura, nemini nisi vocato licere baptizare, & cœnam Domini administrare. imò quòd prius a Pontificiis & Lutheranis etiam viris & fœminis concedatur: Cœnæ verò Domini administrationem non uni personæ demandatam esse ex loco 1. Cor: 11. apparere. Ad quæ, quid respondeat Frantzius priusquam videamus, annotandum est, 1. Frantzium errare, dum pro argumento Ostorodi affert id, quod primo loco ponitur. Illud enim tantùm responsio est ad ea loca, quæ ab iis, qui istam vocationem urgent, afferri solent. Quod verò quarto loco ponitur idem reipsa est cum secundo argumento.

Cur Lutherus docere potuerit & debuerit.

Cur non sit necessaria missio. v. [handwritten illegible] 3, 287. 46.

Sed jam videamus Frantzii responsionem, Thes. 100 est. *Ad has opiniones & rationes Photinianorum breviter respondemus, & 1. in genere, illas omnes originem suam accipere partim ex ignorata, partim ex non satis animadversa perpetua consuetudine totius Ecclesiæ Catholicæ V. & N.T. quam nimirum sine omni dubio primi parentes ante diluvium a Deo ipso acceperunt.* Ergo tantùm consuetudine (teste Frantzio)

nititur tota hæc res; ut nunc eam concedamus Frantzio? At consuetudo nulla præcepti loco haberi, nec quenquam ad quicquam faciendum cogere vel potest vel debet. Habuerit suas consuetudines V. & N. T. Ecclesia, quid tum postea, si eas nobis non præcepit Deus, vel aliquis alius Dei nomine? Hanc consuetudinem (nempe vocationem & missionem ad munus docendi) primos parentes a Deo ipso accepisse, unde constat? Quomodo probatur a Frantzio? Illone suo *Utiq;* vel *sine omni dubio?* At hoc nihil est apud eos, qui rationibus non autoritate moventur ulla. Dico igitur: Tantum abesse, ut animadversa & considerata consuetudo Ecclesiæ V. & N. commonefacere nedum docere aliquem possit, neminem absq; missione partes docendi alios sibi sumere posse, ut potiùs confirmare aliquem possit, nulla ratione necessariũ esse, ut id perpetuò observetur. Consuetudo enim & necessitas contraria sunt. Dico iterum, Conatum Frantzii, quo docere vult, ante legem latam, & constitutum sacrificium legale, fuisse quosdam a Deo vocatos & electos ad docendi & sacrificandi partes, ita acceptas, ut hîc eas accipi necesse est, nempe ut multis competant, tam esse inanem, ut inter ea, quæ alicui dogma istud suspectum facere possunt, hoc sit quasi præcipuum. Quis enim unquam tale quid vidit vel audivit in sacro codice? Conjecturis verò fallacibus, quas suprà recensuit Frantzius, pati sibi imponi, imprudentium est. Post latam verò legem de modo ordinandi sacerdotes, quid mirum eum, ut & alia Dei præcepta, observatum fuisse? Hæc verò omnia, quia cum aliis legis ceremoniis cessârunt, quid aliud est, ista urgere hodie, quàm ex corpore, quod est Christus seu ipsius Evangelium, umbram facere, & a ratione homines ad δόγματα revocare? Non quid olim in usu fuerit & quid Deus tunc præceperit, in ritibus externis sequendum est: sed quid hodie nobis a Christo & Apostolis præscriptum sit, id solum attendendum est. Christum & Apostolos a Deo missos fuisse credimus; & ut mitterentur, necessarium fuisse existimamus. Quis enim doctrinam ipsorum antea planè inauditam admisisset, nisi constitisset, eos ab ipso Deo ad istud munus vocatos & missos fuisse? Cujus eorum vocationis & missionis talia tunc extabant testimonia & argumenta, quæ nemini, nisi perversissimo & pertinacissimo, satisfacere non poterant. Apostolos deniq;, adhibitis, ut videtur, seniorum aliorum suffragiis, alios etiam, qui in Ecclesia docerent & eis præessent, constituisse, idq; loco vocationis & missionis cujusdam haberi posse, concedimus: sed totum hoc, quod scilicet ita factitatum sit in Ecclesia Apostolica, nihil evincit eorum, quæ vult Frantzius. Nam nemo eorum, qui hodie do-

Consuetudo non infert necessitatem.

Ante legem nihil de officio sacrificandi legitur.

Quid necessariò sequendum sit.

die docent alios, similis est vel Christo vel Apostolis in docendo. Cùm non novam & antea inauditam doctrinam tradant, sed antiquam Christi doctrinam hactenus neglectam, denuo prædicent,& hominibus commendatissimam reddere studeant, docentes ex ea, populum Christi tam quoad cultum Dei, quàm quoad mores esse corruptissimum. Non negamus,ex ista consuetudine primitivæ Ecclesiæ Apostolicæ consequi, illud etiam jure fieri posse hodie,quod olim fiebat;&,si Ecclesia semper incorrupta mansisset,non dubitamus,quin valde justum fuisset,ut modus iste ordinandi ministros observaretur, quemadmodum etiam nunc, ubi est constituta Respubl. Christiana, valdè decorum esse arbitramur,ut id observetur: Sed non hoc potissimùm quæritur. Hoc enim in quæstione est: An hujusmodi constitutio sit prorsus necessaria ad constituendum verbi Dei ministrum. Hoc autem nos negamus. Nihil enim tale (quod caput rei est) legimus in descriptione eorum, quæ ad Episcopum constituendum requiruntur. Vbi tamen omnia ea recenseri necesse est,sine quibus munus istud consistere nequit:nec uspiam alibi indicatum vel levissimè videmus,eum,qui talis sit,postea vocari & mitti ab aliquo debere. Imò posse aliquem per se munus tale concupiscere vel affectare,manifestè scriptum legimus. Iam si tunc temporis, cum esset constitutum quodammodo,quinám docere alios deberent, & ordo extabat, a quo nemo recedebat,& quem omnes approbabant, videmus tamen aliquos docuisse, qui a nemine vocati aut missi fuerunt, ut exempla Apollo & eorum, qui pulsi Hierosol.fuerant,docent,quantò magis hodie id fieri potest,ubi secessio facta est a Pontificiis, & repudiatus ipsorum & ordo & consuetudo. Nec curandum est quicquam,quòd ii, qui alios docent, ab illis nec vocati nec missi sint,dummodo secundùm Canonem Apostolicum apti sint ad munus istud obeundum. Et si ob εὐταξίαν aliquid faciendum est,nihil impedit, quominùs viri,prę aliis pietate & judicio præstantes,cum consensu reliquorum,qui ex horum judicio pendent, eos, qui apti sint ad docendum alios, eligant, vocent,approbent,& in munere isto docendi alios constituant? Oblectent se Pontificii suis circulatoriis ceremoniis & ritibus: dummodo nos rem ipsam teneamus, hoc est, ad normam & canonem Apostolicum,qui habetur. 1 Tim.3.& Tit.1. ministros verbi habeamus,in hoc acquiescamus,& gratias etiam Deo pro tanta libertate, quâ nos donavit, ex animo agamus. Hæc sententia nostra est de ordinatione ministrorum, quam eis, qui ex solo verbo Dei de rebus divinis sapere volunt, non displicituram spero: nec metuendum erit,si id, quod

Cur non sit necessaria missio.

Quid in ordinatione ministrorũ fieri possit.

quod nos sentimus, observetur, ut aliqua fiat confusio Platonica, quod præsagit Frantzius thes:104. Nec ita sumus hebetes & obtusi, quod de nobis, ut video, firmiter concepit Frantzius, ut quicquam absque legitimo ordine in Ecclesiis nostris administremus: Imò quicquid verè ad ordinem & decorum pertinet, multò rectiùs & puriùs a nostris observari, quàm a Lutheranis, unusquisque, qui nostras & illorum vidit Ecclesias, sponte sua fatebitur. Verba illa thes: 101. *At servetur voluntas & ordinatio Dei, non verò, quod nostro arbitrio & nostræ rationi commodum judicabitur*, absque omni necessitate prolata sunt. Nam quia nulla de hac missione extat voluntas & ordinatio Dei, necessariò rationis ductus sequendus est & analogia religionis, a qua, quò quis magis recedit in hisce rebus, tantò magis peccat.

Vbi deest præceptum, faciendum quod sana ratio svadet

Absoluta hac sua generali responsione Frantzius aliam etiam parat specialem Th:106. *In specie*, ait, *respondemus ad reliqua* 1. *Apud Ierem cap: 23. primariò agitur de iis, qui jactitabant, se prædicare jussu Dei, non venturam captivitatē Babylonicam, ideoque non intromittendum esse regem Babylonicum in urbem; secundariò tamen illud (præsuppositis istis, de quibus hactenus diximus) non planè incongruè ad quamvis vocationem accomodatur.* At hæc responsio Frantzii causam illius nihil juvat: nostram verò confirmat. Fatetur enim prmariò agi, in verbis Ieremiæ, de re singulari, & hoc est, quod nos volumus: ad quamvis verò vocationem ea accōmodari posse, non tantùm affirmandum, sed etiam probandum erat. Quanquam hoc etiam valdè ineptè dictum est, hæc verba ad quamvis vocationem accomodari non planè incongruè. Tacitè enim sumitur pro concesso, vocationem ministrorum dari & requiri. Ad id verò, quod non est, nihil etiam accommodari potest. Si esset aliqua necessaria vocatio ministrorum, certum esset, hæc verba suo modo ad eam accommodari posse: Sed quia nullam esse nos contendimus, frustra id a Frantzio dictum est. Dicere autem debuisset Frantzius, posse ista verba ad munus eorum, qui alios docent, accommodari.

Thes: 107. est: *Apostolus verò Rom: 10. totus respicit ad ordinariam & perpetuam consuetudinem Ecclesiæ veteris, & hoc dicit, Iudæos, qui antea contemserant Christum & cæteros Apostolos prædicantes, qui audiverant vigiles excubantes ad sepulchrum Christi &c. ideo nunc nondum posse credere, quia à Christo missos nondum velint audire.* Thes: 108. *Alium sensum ex eo loco Ostorodus non eliciet, si omnia diligenter contulerit. Manet igitur, requiri vocationem, non tantùm in iis, qui Evangelium tunc completum prædicare debuerunt; verùm etiam iis, qui*

quovis alio seculo prædicârunt, aut adhuc prædicaturi sunt. At non sententiam suam Frantzius nobis promiserat se allaturum super verba Pauli, sed responsionem ad nostram, quæ est: Quòd ibi de Apostolis sit sermo. Quæ verò de Apostolis dicta sunt, ea non pertinent necessariò ad omnes, qui docent alios. Quæ nostra sententia & argumentum tamdiu stabit, donec aliqua ratione firma non evertatur. Qua de re tota, & hoc etiam loco plura scribere potuissemus, nisi res nimis manifesta, & jam, in alio de ecclesia libello, id a nobis præstitũ nõ esset. Illud, quòd Iudæi audiverunt vigiles excubantes ad sepulchrum Christi, non exagito, ut & alia multa, ne insultare tanti viri lapsibus & erroribus videar. Moneo tamen, ut ipsemet Frantzius & alii considerent, quàm hæc sint ab omni veritate alienissima.

Concedit thes: 109. Frantz: *posse & debere unumquemque alios privatim docere & convertere:* interim tamen, ait, hoc non sequitur: *Ergo etiam publicè quilibet docere debet aut potest, etiamsi non vocatus fuit ad hanc rem singulariter.* De fæminis nemo nostrum unquam dixit, eas docere posse publicè. De viris, eos, qui privatim aliquem verè docere possunt, posse etiam publicè docere, si ita opus sit, nisi contrarium probetur, omnino statuendum est. Dico, qui verè docere possint, hoc est, qui ita teneant veritatem Evangelicam, ut & infirmos consolari & rudes instituere, & adversantes refutare possint. Dico, eos docere posse, hoc est, nihil revera obstare, quò minùs jus docendi habeant. De facto quæritur, an docere debeant. Ad hoc jam responsum est, ut ordo, qui sufficiat, adhibeatur, non ex necessitate, sed ob εὐταξίαν & decorum. Etsi velis etiam hoc addere, ob autoritatem ecclesiæ primitivæ, quæ hoc ordine etiam usa fuit, licet non in omnibus, qui tunc alios docebant.

De Philippo & diaconis aliis, qui non vocati docuerint, respondet Fr: thes: 110. *textum potius in illam partem inclinare, quòd vocati fuerint ad hoc utrumque, ut Apostolos sublevarent distribuendo eleemosynas & simul concionarentur.* Nos hoc alterum negamus. Probat id Frantzius thesi 111. *Id quod inde apparet: 1. quia post electionem statim de Stephano subjicitur, Act: 6. 10. quòd plenus gratia & fortitudine fecerit prodigia & signa magna in populo, & quòd non potuerint resistere sapientiæ & Spiritui ᾧ ἐλάλει, quo vel per quem loquebatur.* Sed quæ hæc est probatio? Stephanus statim post electionem ad diaconatum fecit miracula, & loquebatur Spiritu. ergo fuit vocatus ad munus docendi? Loquebantur omnes spiritu & nunc etiam loquuntur, qui Christi causâ persecutionem patiuntur (miracula enim cessârunt), cui spiritui nemo resistere potest, nec tamen missi ad munus do- Matt. 10. 19.

cendi vel tunc fuerunt, vel nunc sunt. Loquebatur spiritu Stephanus, quia Dominus Iesus illum ipsi suppeditabat, quemadmodum etiam miracula faciebat, quia ea potestas ipsi tunc concessa erat, quæ etiam in aliis perplurimis vulgaribus Christianis habitabat, ut multa sacræ scripturæ loca docent. Sed missa hac infirma probatione, videamus aliam.

Thes: 112. ait: 2. *Quia ex illis septem unus Philippus nominatur expreßè Evangelista, Act: 21:8. & Evangelistarum munus cum munere Apostolorum, Prophetarum, Pastorum conjungitur, Eph: 4.11. Ad eandem claßem Apollos, quin referri debeat, qui Act: 18. & 19. prædicavit, quidnam quæso prohibebit? præsertim cùm ex his textibus, 1.Cor: 3.5. & c & 1.Cor: 4.1. illud ipsum clarissimè possit conspici:* Primum a re deflectit Frantzius. Non enim quæritur, an munus Evangelistarum cum munere Apostolorum conjungatur. Possunt enim conjungi munera inter se longè diversissima, si modò ad eandem rem colliment, ut ex munere prophetarũ, juncto cum Apostolorũ munere, manifestũ est. Hi enim idem ferè faciebant, quod Apostoli, unde etiam fundamentum Ecclesiæ unà cum illis appellantur, Eph: 2.20. Et tamen eos, nempe prophetas, vocatos vel missos fuisse nemo affirmare jure potest. Paulus enim & Ioannes eorum prophetias & spiritus probare jubent, an ex Deo sint, quod de iis, qui a Christo tunc vocati erant, dici ita præcisè non poterat. Tales etiam poterant esse Evangelistæ, qui Apostolis in Evangelio annunciando operam suam navabant, qui tamen nullo modo missi fuerunt. Vnde apparet, nihil proficere Frantzium, etiamsi tandem in numerum horum referatur Apollos. Semper enim quæritur, an, qui docuerunt alios, vocati ad id & missi fuerint necné, & confirmatur etiam hujusmodi instantiis robur nostri argumenti. Vt enim ii, qui Evangelistæ & prophetæ fuerunt, docuerunt absque ulla missione: sic etiam alii doctores, docere absque missione potuerunt: & si tunc potuerunt, cur non etiam nunc possint?

Differentia inter Apostolos & Evangelistas.

Thesis 113. *Ad eandem claßem Evangelizantium referre quid prohibebit eos, qui Act: 8.4. dispersi prædicant, vel erant εὐαγγελιζόμενοι τὸν λόγον eo tempore, quando Ierosolymis manebant Apostoli Act: 8.4. Sicut etiam Act: 11.20. dicuntur εὐαγγελιζόμενοι τὸν κύριον Ἰησοῦν.* Sed 1. quomodo isti omnes, de quibus dicitur Act: 8. quòd dispersi evangelizârint, possunt referri ad eandem classem Evangelistarum, cùm constet auditores eos plærosq;, si non omnes, fuisse? Ob quam causam etiam Ecclesia Hierosolymitana in loco citato appellantur. Non solet autem Ecclesia ex Evangelistis colligi. Deinde, si omnes

mnes tales fuissent, non probatur tamen, eos, quod fecerunt, facere non potuisse, & porrò non fecisse absque vocatione. Iam enim docuimus Evangelistam docere potuisse absque vocatione. De Philippo ait thes: 114. *quòd docere non potuißet, nisi priùs ipsi Apostoli pro more manus imposuißent, & hoc pacto potestatem miracula edendi communicaßent, quod omne fiebat ad cõfirmandam prædicationem.* Sed totum hoc aliud nihil est, quàm vel mera conjectura, vel manifesta petitio principii. Nam si negetur, Apostolos Philippo manus imposuisse, idque in eum finem, ut alios doceret, quomodo id probaretur? Si rursus dicatur, eum docere non potuisse nisi Apostoli manus illi imposuissent, nonné hoc ipsum affirmatur, quod a nobis negatur? Si denique ex eo, quòd virtutes & signa quis edidit, quantumvis id per impositionem manuum Apostolicarum contigerit, colligatur, eum ad docendi munus vocatum fuisse, quid aliud dicitur, quàm omnes, quibus Apostoli manus imposuerunt, & qui per eam manuum impositionem dona miracula edendi consecuti sunt, ad munus etiam docendi vocatos esse, quod absurdum & falsum est? Poterant enim alicui per manuum impositionem dona dari miraculosa, qui tamen ad docendum nec aptus esset, nedum vocatus; poterat etiam aliquis per manuum Apostolicarum impositionem consequi donum miracula faciendi, & deinde docere sponte sua, quia res ista nec prohibita esset, nec ullo modo culpanda, sed tum ad gloriam Dei, tum proximi commodum inprimis spectans, quod deinde Apostoli non tantùm non improbaverunt, verùm etiam mirificè exosculati sunt.

Impositio manuũ non infert missionem ad munus ministerii.

Quæ verò ratio est, quòd, quia Philippus ex Evangelistis fuerit, omnes ii, qui dispersi pertransibant evangelizantes verbum Act: 8. 4. Evangelistæ fuerint, &, quod thesi 117. iterat Frantzius, tales, qualis fuit Timotheus? Textus dicit, Ecclesiam Hierosolymitanam dispersam Evangelizasse verbum: Frantzius Ecclesiam illam ex Evangelistis solis collectam fuisse contendit, idque ideo, quia talis fuerit unus Philippus. Attendite hîc pondera argumentorum, quicunque hæc lecturi estis, &, quomodo causam suam tueatur Frantzius, perpendite.

A thesi 118. objurgationem instituit Frantzius adversus Ostorodum, quòd dixerat, etiam eum docere alios posse, qui non sit per omnia peritus mysteriorum Evangelii, quemadmodum Apollos fecerat, quem Aquila & Priscilla diligentiùs vel accuratiùs viam Domini docuerant: &, occasione hinc arrepta, multa effutit, quæ vel animum ipsius impotentem vel ignorantiam eorum, quæ apud nos fiunt, produnt. Nec enim, ut brevibus ea perstringam, ex eo, quòd ait Ostorodus, posse etiam eum docere alios, qui non per omnia intelligat Ev-

angelium, concludendum est, omnes tales esse, vel etiam talem unum esse apud nos, ut cavillatur Frantzius; nec Anabaptisticum est, hoc affirmare. cùm res ipsa, aliter vix unquam fieri, doceat; nec scandalum ex eo ullum metuendum est, si plæriq; docentium mysteria omnia intelligant, quantumvis fieri possit, ut aliqui sint, qui non omnino teneant omnia. *At Paulus vult*, ait Frantzius, *ut minister sit διδακτικὸς, potens in exhortando per sanam doctrinam & in arguendo contradicentes*. Quasi verò is, cui aliquid deest in scientia rerum utilium, & mysteriorum ad Christianam religionem pertinentium, non possit esse potens in hoc utroque? quemadmodum fuit Apollos, qui, etiamsi accuratiùs institui poterat in via Domini: tamen ea, quæ de Domino Iesu erant, accuratè docebat, & Iudæos convincebat publicè, ut testatur scriptura.

Ista verò quæ ait th: 120. *se jam non mirari, quòd fex populi Anabaptistici promiscuè concionatorum munera sibi rapit in conventibus publicis & privatis: quòd Anabaptistici pueri & puellæ perrepant tabernas omnes, & ibi inter medios strepitus verba faciant, quòd inter Anabaptistas tanta reperiatur in religione sectarum diversitas & opinionum varietas, quòd denique ab Anabaptistis & à nobis tam absurda & horribilia passim sub nomine singularis eruditionis Theologicæ, & quasi revelationum divinarum defendantur*, jam non argumenta sunt, viro docto digna, sed convicia rustica & homine Christiano planè indigna. Theses scribere cæperat Frantzius: nunc verò magistrum se aliorum facit, a quibus ipse jure moneri, & in multis castigari posset, si id nunc nobis propositum esset. Anabaptistas excusare nolumus, si tales sint, quales eos hîc depingit Frantzius. Ipse viderit, an non hominibus, alioquin probis & simplicibus, injuriam inferat, & per eorum infamiam suam quærat gloriam. Quid verò causæ habuit Fr:, nos cum illis in hisce rebus copulandi? Nimis enim falsum est, fecem populi apud nos docere, & certè satis superque experti sunt hactenus omnes tam Evangelici quàm Pontificii, sibi non cum fungis aut fece vulgi rem esse, cùm nostra scripta refutare aggrediũtur: nec ita perrepit nostra pubes tabernas, ut sordidè loquitur Frãtzius. Opinionum verò in rebus, quæ salutem non concernunt per se, si quæ apud nos est diversitas, eam libertati, ad quam vocati sumus, acceptam referimus, & ingentes Deo gratias eo nomine agimus, quòd ex servitute Antichristi, cujus reliquiis gaudent Lutherani & alii etiam, ubi nihil omnino diversum ab Ecclesia sentire licet, sed in hujus & illius magistri verba tantùm non est jurandum, clementissimè nos liberaverit. Quæ verò absurda & horribilia a nobis defendantur

Libertas in diversitate sententiarũ Dei donũ.

fendantur, ecce in publico prostant omnia. Exerat vires suas, quicunque velit, nil nisi ipsum Evangelium nos defendere, semper promtissimi sumus & erimus omni loco & tempore sive per scripta sive per colloquia demonstrare.

Deinceps a thesi 122. Apollonis patrocinium suscipit, *& eum ab omni ignorantiæ culpa vindicare conatur, commemorans ejus, quæ in sacris literis habentur descriptæ, dotes insignes.* Quasi scilicet nos ista vel nesciamus vel negemus, & quasi quis non possit in multis egregiè esse informatus, interim tamen aliquid non intelligere, quod ad religionem Christi pertineat. Firmum enim manet, quòd tantùm sciverit baptisma Ioannis, & quòd ei accuratiùs viam Domini exposuerint Aquila & Priscilla. Quomodo verò ei non aliquid deest ad Christi cognitionem, qui tantùm scit baptisma Ioannis, sive id de baptismo, sive de doctrina accipias. Quanquam malum vel ignorantia augetur, si baptisma Ioannis pro solo baptismo accipiatur, & non etiam pro doctrina. Quomodo item locus fuisset, ut via Domini, quæ aliud nihil est, quàm Christi religio, ἀκριβέστερον exponeretur ei, qui, ut Frantzius ait, optimè in ea, vel in fundamentis ejus institutus erat? Nec potest hoc ita excusari a quoquam, vertat se in quot & quales velit formas, ut non semper verum maneat, aliquid saltem, si non multa, defuisse Apolloni ad cognitionem Iesu Christi.

Apollos quædam ignoravit & tamen docuit.

Nec quicquam proficit Frantzius, dum ait thes: 125. *Scivit tantùm baptisma Iohannis, Ergo non scivit baptisma Christi, nimirum de quo mox in seq: cap: 19. dicitur, quòd Christus baptizaturus esset igne & Spiritu S.* &c. Imò magis Apollonem deprimit Frantzius, quàm nos vel ullus alius. Nam si baptisma Christi nescivit Apollos, maximam partem Evangelii nescivit, & totum illud, quod scivit, minima pars fuit eorum, quæ scire debuit. Nam per baptisma Christi non illud solum intelligitur, quòd Christus exaltatus, per Apostolos & manuum eorum impositionem, tunc temporis communicaret dona miraculosa & alia, in Ecclesiæ suæ ædificationem, ut ait Frantzius: (hæc enim minima pars est baptismi istius Christi, qui fit Spiritu S.) sed continetur isto baptismo totum Iesu Christi munus, & vix augustioribus verbis præstantia & divinitas tota Christi muneris describi potest, atque ea sunt, quando dicitur, *baptizaturus est Spiritu sancto & igni.* Hinc Ioannes Baptista hoc de Christo prædicaturus, priùs se indignum esse ait, cujus calceos portet, propter hoc ipsum scilicet, quia homines, quos Ioannes aquâ baptizabat in pænitentiam, Christus baptizaturus esset Spiritu sancto & igni. Sed

Baptismi Christi quid.

nos

nos nolumus rimari id, quod nobis incognitum eſſe de Apollone Deus voluit. Nihil autem dubitamus, falſiſſimum eſſe, quod de eo ait Frantzius, ſive eo ſenſu, quem ille fingit, ſive alio verba iſta Ioannis Baptiſtæ accipiantur. Apertiſſimè enim ſcriptum eſt, quòd accuratiùs ei viam Domini expoſuerint. Quæ via Domini aliud nihil eſſe poteſt, quàm cognitio voluntatis per Chriſtum patefactæ, non verò ſcientia ejus, quòd Chriſtus exaltatus, per Apoſtolos & manuum impoſitionem illius temporis, communicaret dona miraculoſa. Absque hoc enim via Domini cognita alicui eſſe poterat.

Iam igitur frivolum & falſum id eſſe apparet, quod theſi 126. ait Frantzius. *Nihil ergo iſtius viri exemplum te juvat Oſtorode, 1. quia hîc tantùm agitur de certa circumſtantia, cum aliàs in fundamento Apollos eſſet optimè inſtitutus, & potens in fide promulganda & docenda.* Nam nec pro ſe, nec pro aliis noſtræ eccleſiæ hominibus, id exemplum attulerat Oſtorodus: ſed in genere dixerat, poſſe etiam eum alios docere, qui non per omnia teneat veritatem Evangelicam. Quod poteſt fortaſſe tantò plus ſervire vobis Lutheranis, quàm nobis, quanto vos numero nos excellitis; & quantò certius eſt, plurimos eſſe inter veſtros ſymmyſtas, qui vix centeſimam partem eorum, quæ tenere debebant, tenent, & tamen per annos non paucos paſtorum munere funguntur. Idque vel ex eo nobis conſtat, quòd interdum tales miniſtri ad noſtros cætus tranſeunt, qui ſeſe cum auditoribus noſtrarum eccleſiarum conferri, quoad ſcientiam rerum divinarum, præſertim verò intellectum ſacrarum literarum, etiam ex ſuo ſenſu, nullo modo poſſe, ipſimet fatentur. De certa verò tantùm circumſtantia in exemplo Apollonis agi, & eum in fundamento optimè fuiſſe inſtitutum, partim falſum eſt. expoſitio enim viæ domini accuratior, ipſam naturam & ſubſtantiam cognitionis Chriſti reſpicit; partim prorſus incertum. Niſi fortaſſe fundamentum dicat Frantzius, quòd ſciverit Ieſum eſſe Chriſtum. Quod impropriè quidem, ita dici poteſt. Sed quia, ad hanc rem rectè intelligendam, multa omnino requiruntur, facilè fieri potuit, ut etiam circa hoc ipſum fundamentum adhuc erraverit, vel quædam ad illud neceſſariò pertinentia ignoraverit, tum quoad perſonæ, tum quoad muneris Chriſti cognitionem, præſertim verò, quoad præcepta. Hæc enim non a Ioanne, ſed ab alio rei iſtius peritiori, diſcere eum omnino oportuit.

Alia jam tempora eſſe, quàm tunc erant, quod theſi 127. & ſeqq: ait Frantzius, novimus, *& nunc & ſcripta eſſe & legi poſſe, quæ tunc incognita adhuc erant,* confitemur: ſed tamen & hodie credimus, illud idem accidere poſſe, quia ſcilicet non omnes omnia, quæ legunt, intelligere

intelligere statim possunt; nec opus esse statuimus, ut omnia, quæ legi possunt etiam in sacris literis, is intelligat, qui alios docere aggreditur, vel etiam docet. Satis est, eos, qui alios, præsertim vulgus, docent, cognita habere mysteria Christianæ religionis, quæ ad salutem sunt prorsus necessaria; in reliquis verò, quæ ad religionem potiùs, quàm ad salutem pertinent, & ad eandem utilia sunt vel etiam utilissima, unusquisque tantum proficere debet, quantum potest maximè. Quod equidem non amplius oppugnandum censerem, sed planè approbandum Frantzio, ne fortasse nimis magnam injuriam inferat ministris ecclesiarum suarum, & eos censura hac functionibus suis privatos quasi velit. Quantum requiratur scientiæ in ministris.

Valdè autem ineptus, & fortassis etiam arrogans est Fr: dum nos ita alloquitur thesi 128. *Nos Ostorode a te tuisque hominibus plura non requirimus, quàm tum requirebatur ab illo viro.* Quid enim? Num Frantzius constitutus est, qui, quantum velit, ab aliis requirere debeat? Novimus per Dei gratiam, quid ad Ministrum verbi Divini constituendum requiratur; novimus, quænam sint illi discenda, qui alios cum fructu docere velit, & non ignotum est hominibus, quantum in illis rebus profecerint nostri cætus.

Unum restat, quod brevissimè expediam. Sacramenta, quæ vocant, non tantùm a Ministro, sed etiam ab aliis administrari posse dictum erat, & probatum a nostris. Respondet Fr: th. 133. *Ostorodum sibi contradicere, quia dicat, pastoris vel alterius è cætu electi partes esse publicè declarare, quid sibi velit manducatio in cœna Dominica:* item *pastorem vel alium ministrum panem & calicem distribuere posse.* Sed quæ hîc contradictio est vel per speciem? Nonné in verbis ab ipso Frantzio allegatis dicitur semel, pastoris vel alterius e cætu electi partes esse &c? nonné iterum dicitur, *pastorem vel alium, qui scilicet potest non esse minister verbi, panem & calicem distribuere posse?* Sed quid si sibi contradicat Ostorodus, num ideo verum est, quod ait Frantzius? Errat qui sibi contradicit: At alienus error nostrum excusare non potest, corrigendus uterque. Sed præterea injuriam facit Ostorodo Fr: Nusquam enim dicit partes esse alicujus, ut declaret, quid ibi fiat ad mensam Domini: vel postquam facta sit declaratio, quomodo peragi debeat cæna Domini: sed tantùm dicit, id posse fieri, nullam mentionem ejus faciens, quòd sit partium alicujus, hoc est, quòd ad munus alicujus id spectet. Itaque errori peccatum addidit Frantzius.

Verum autem esse quod hîc dicitur, nonné ex eo etiam apparet, quòd plærique baptismum ab alio, quàm a ministro administrari posse

v. Stegm. p. 613. posse credant in casu necessitatis, ut loquuntur? Baptismus verò & cæna Domini in eodem pretio sunt apud eos, qui pro sacramentis ea habent, qualia suprà multa legimus in thesibus Frantzii. Firmum igitur maneat, quemadmodum aliquis docere alios potest, etiamsi a nemine sit vocatus aut missus: sic etiam ritus illos sacros administrare eundem posse absque missione.

Repetitionem, quam facit Fr: hujus disputationis, a th: 136. usque ad finem, non moramur. Iam enim responsum est, non videndum esse, quid antea factum sit: sed an ea, quæ ante Christum facta sunt, ad nos pertineant; & an ea, quæ tempore Christi & Apostolorum facta sunt, necessaria sint & de essentia (ut loquuntur) ministerii. Nos quidem certò persuasum habemus, & suprà etiam docuimus, omnia ea, quæ ante Christum facta sunt circa sacerdotes, ad Christianos nihil pertinere; quæ verò tempore Christi & Apostolorum facta sunt, fieri quidem posse, & ideo etiam a nobis observari: at ut necessariò fiant, nihil esse, quod nos cogat. v. Hom. 3, 204.

ANIMADVERSIONES BREVISSIMÆ IN PARTEM THESIUM D. WOLFGANGI FRANTZII,

De Adiaphoris seu ritibus Ecclesiasticis.

Quæ est Disputatio illius posterior V.

IN tractatu hoc de Adiaphoris, quia cum Lutheranis facimus in plærisque, non est quod opponamus vel annotemus. Nos enim ii sumus, qui multa ad tempus ferre didicimus per Dei gratiam, & ceremonias honestè sepeliendas esse novimus. Licet interim non monere non possimus, cavendum summopere esse, ne multitudo ceremoniarum sensim tandem introducat superstitionem, vel etiam religionem Christi sanctissimam & verè virilem transformet in puerilem & elementalem Dei cultum. Quid cavendum in ceremoniis.

Hoc porrò non sine risu simul & indignatione legere potui, quod thesi 35. & 38. Frantzius *utilem ceremoniam esse dicat, novos sponsos cum tympanis & tuba in templum adduci, & mortuos cum sonitu campanarum deduci.* Hac enim ratione omnes etiam maximè pro- v. Stegm. p. 638.

phanæ

phanæ consuetudines excusari possunt, & tandem ludus iocusque fient cultus divinus & religio. Quasi verò non possint aliis modis honestioribus & gravioribus, nuptiæ vel etiam mortes confirmari, nempe convivarum & civium testimonio, publica copulæ confessione & similibus pro cujusq; regionis more & consvetudine. Modus confirmandi nuptias vel mortes.

Mirari autem subiit, quare in ipsa fronte argumenti harum thesium Frantzius dixerit, eas etiam adversus nos directas esse: & tamen nihil directè in eis dicatur, quod nostram diversam hac in re sententiam aperiat, & eandem refutet. Itaque credimus, nos obliquè per ea peti, quæ de adiaphoris & eorum requisitis scripsit Frantzius, utpote qui ea non admittamus. Respondemus igitur generatim & brevissimè, nos ritus ecclesiasticos illos non prorsus rejicere, quorum justa & legitima causa dari possit: Qui verò sine justa causa introducti sunt, eos, ne aliquid mali pariant, quàm citissimè e cætu Christi exterminandos esse, omnino statuimus. Quinam ritus sint tolerandi.

REFUTATIO PARTIS THESIUM D. WOLFGANGI FRANTZII,

De rebus Civilibus.

Quæ est Disputatio ejus posterior VI.

IN SECTIONE PRIMA cum Frantzio consentimus, nempe licere Magistratum gerere. Quanquam deductiones hujus rei non omnes sunt demonstrativæ.

IN SECTIONE SECUNDA nonnihil dissentimus. Credimus judicia licere exercere homini Christiano, hoc est, apud judicem accusare, sese excusare, dicere & exequi sententias in omnibus causis: sed hac sola cautione addita, ne quicquam committatur adversus Christi leges, & maximè adversus legem regalem charitatis; ne quicquam fiat quod vindictam sapiat; ne denique sint graviores pænæ sub novo Fædere, quod est tempus gratiæ, quàm olim erant sub veteri, quod erat tempus timoris. In judiciis quid sequendum.

Locus Luc: 12. (Fr: habet 14.) v: 58. quem citat Frantzius th: 18. nihil ad rem facit: *Quum vadis cum adversario tuo ad principem, in via da operam liberari ab illo, ne fortè trahat te ad judicem, & judex tradat te*

 exactori,

exactori, & exactor conjiciat te in carcerem. Primùm enim totus allegoricus est, ideóque non tam verba in eo spectanda, quàm sensus, qui est, ut ex Matth: cap: 5. apparet, quemadmodum benè is sibi consulit, qui priùs cum adversario transigit controversiam, quàm ad judicem perveniatur. Fieri enim potest, ut causâ cadat, & ita pœnas det suæ pertinaciæ: sic etiam bene saluti suæ consulere eum, qui, si alium offendit, promtus sit & paratus ad reconciliandum sibi eum, quem offendit. Certò enim futurum, ut pœnas det Deo, nisi id faciat. Deinde in genere ibi tantùm de judicibus & judiciis, & eorum executionibus sermo est. Quæ omnia suo modo concedi possunt, salva Christi religione: Iâ verò de specialibus pœnis, præsertim capitalibus, sermo est.

Nec locus Rom: 13. *Vis non timere Magistratum, bonum fac, & habebis laudem ex illo,* causæ Frantzii patrocinatur. Primùm enim certum est, Paulum loqui de Magistratu infideli, cui leges præscribere non erat muneris Apostolici: sed quia jam Magistratus iste leges suas habebat politicas, secundùm quas subditis suis imperabat, monet fideles, ne illis, quatenus erant politicæ, repugnent, rationem, inter alias, afferens, quòd possit magistratus punire immorigeros. Deinde neque hic locus docet, quonám modo puniri possint & debeant sontes. Potest enim gladium gerere Magistratus, etiamsi pœnas non irroget omnium severissimas. Gladii enim gestatio tantùm significat, Magistratum posse punire, non verò, quo velit, modo punire. Alioquin sequeretur in omnibus delictis severissimam adhibendam esse pœnam. cùm hoc, quod gladium gestet, ab Apostolo pro ratione afferatur, quare ei sit obedientia præstanda in omnibus. Quomodo verò punire debeat Magistratus Christianus, non hinc, sed aliunde discendum est, nempe ex universâ analogia N. Fœderis. Potest etiam timere Magistratum Christianus, etiamsi Magistratus non utatur omnibus modis pœnarum etiam severissimis.

Quid sit gladium gestare.

Frustra igitur illud est, quod Frantz: ait the: 20. *Christum debuiße damnare accusantem, Luc:* 12. cùm jam indicatum sit, illud & figuratum esse, & nihil pugnare cum Christi doctrina. Frustra etiam est, quòd ibidem dicit, *Paulum Magistratui suggerere debuiße monita de deponendo gladio*; cùm demonstratum sit, Paulum non præscribere leges Magistratui, sed tantùm de Magistratu, qui tunc extabat, infideli, prædicare, quales leges ille habeat, &, quomodo sint vitandæ pœnæ ab eo destinatæ immorigeris, docere, & prætereà tantùm indicare, quòd punire possit Magistratus, non verò quo modo.

Illud verò omnium infirmissimum est, quod thesi 21. tanquam pro re certiori affert Fr: dum dicit: *Imò, quod ibidem dicit Paulus: omnis*

mnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit, illud utique extendi debet, tum ad tributa, tum ad patientiam in pœnis meritis tolerandis & in alia quavis obedientia, decretis Magistratuum adhibenda. Nam quomodo ex obedientia, quæ debetur magistratui, jure colligi potest, magistratum posse, quas velit pænas, irrogare? Iam si magistratus infidelis vel injustus pænas, quas velit, irroget contrarias Christi Evangelio, certè patientiâ ista omnia superanda sunt? Sed, an id jure liceat magistratui, quæritur. Obedientia tantùm in justis & licitis rebus locum habet. Plus enim est Deus colendus, quam quivis magistratus: At patientia etiam in injustissimis. Pænas meritas tolerandas, obedientiam decretis magistratuum adhibendam, nemo negat: Sed nunc de eo, quid liceat Magistratui Christiano sub Evangelio, sermo est. Potest autem homo Christianus ferre pænas & obedire decreto magistratus, licet magna sit in eo injuria & injustitia. Breviter repetimus sententiam nostram: Si magistratus sit infidelis, de quali Apostolus loquitur Rom: 13. parendum est illi in omnibus, quæcunque Dei voluntati non repugnant; & non disputandum de eo, qualibus nos is regat legibus, & quas pænas nobis inferat, si inobedientes ei simus, sed accomodare nosmet decet ad eorum leges, & metuere pænas ab eis constitutas: At si de Christiano magistratu sermo sit, jam omnino dici illud potest & debet, eum non pro libitu suo posse, quas velit pænas, sontibus irrogare, sed semper illi rationem habendam esse legum Iesu Christi, Regis nostri omnium. Idque omnes reges Christianos non ægrè admissuros, nemo dubitat: imo nullus est regum & principum Christianorum, qui non credat, se ita regnum & principatum suum administrare, ut nihil fiat, quod Christi Evangelio contrarium sit, quamvis, ea in re modum eos excedere, possibile sit. Et ne quis statuat, hac ratione aliquid detrahi magistratui, sciendum est, nos, qui credimus, non licere Magistratui Christiano sanguinem humanum fundere, ut hodie fit, credere, quòd aliis modis, qui fortassis sunt severiores, quàm sanguinis fusio, in officio continere liceat magistratui homines facinorosos, modò ne vitâ priventur. Hac enim ratione simul etiam vitâ æternâ privari tales, plus est quàm verisimile, quo nihil magis charitati, quam proximo debemus sub N. F., contrarium esse potest. De quo nunc plura dicendi locus non est.

Leges humanæ ad Christi Evangelium conformandæ.

Quomodo puniendi facinorosi.

Hoc quia Ostorodus etiam dicit, & docet, id, quod in lege licebat, ad nos non pertinere, sic ei respondet Frantz: th: 24. *Ad quam rationem solidè respondemus, capitalium suppliciorum irrogationem non demum sub Mose: sed longè ante Mosen in orbem & in usum generis hu-*

mani introductam fuisse, & quidem auctore ipso Deo. Sed responsio hæc non directa est, quomodo igitur solida esse potest? Negatur, id ad nos pertinere Christianos, quod in lege licebat, nempe de capitalibus suppliciis. Probandum igitur erat, licere nunc etiam: & non dicendum, ante Mosen etiam id a Deo introductum fuisse. Nam eâdem operâ negabitur, id etiam ad nos pertinere, quod ante Mosen in usu fuerit. Cùm Evangelium tam temporibus quæ ante legem, quàm iis, quæ sub lege fuerunt, opponatur, & nihil nunc liceat, quod Christi Evangelio adversetur, etiamsi ab initio usq; mundi licuerit, idq; Deo autore. Deus enim est liberrimũ agens, &, qui aliquid permittere vel etiam præcipere antea poterat jurè ob certas causas, is etiam ob alias causas, id, quod semel permisit vel præcepit, potest interdicere. Quemadmodum in aliis etiam multis id accidisse videmus. Sed dicet Frantzius, se probasse, nunc etiam licere. ait enim thesi 26.

Et hanc legem repetit & confirmat Christus, quando jubet Petrum recondere gladium suum: Omnes enim (inquiens) qui acceperint gladium, gladio peribunt, Matth. 26. 52. Idem facit post ascensionem Christi Ioannes in Apocalypsi cap. 13. v. 10. Si quis gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Sed, ut suprà etiam alibi docuimus, in priore loco Christus tantùm prædicit, quid ordinariè fiat, si quis gladium accipiat: non verò docet, quid fieri jure possit vel debeat. Quemadmodum etiam hodie is, qui planè negat, licere aliquem interficere, posset eum, qui contentiosus est & ad arma statim provolat, dehortari ab ista levitate hujusmodi argumento: vide ne pœnas des tuæ levitatis. Nam ita est comparatum, ut, qui arma sumunt, per arma etiam pereant. Deinde non exprimitur is, per quem perire debeat, qui gladium accipit, nempe magistratus, quod affirmat Frantzius. Potest autem gladio perire aliquis absq; ulla pœna magistratus, ut experientia quotidiana testatur. Locus verò Apoc. 13. 10. quid ad confirmandam legem, de capitali supplicio per magistratum inferendo, facere potest, cùm ibi nemo etiam nominetur, per quem oporteat gladio occidi illum, qui gladio occiderit. Et de magistratu intelligendum id esse, nimis incertum est. Multi enim sunt, qui gladio occîdunt, nec tamen necessariò puniuntur aut puniri etiã possunt per magistratũ: Hîc autem sermo est de eo, quod aliter fieri nequeat, dum dicit: *Oportet eum gladio occîdi.* Præterea ipse Magistratus plærumq; est, qui occidit Christianos, de quo hîc sermo est. Quomodo igitur a magistratu occidi potest? ita ut res ipsa loquatur, alia prorsus de re ibi sermonem esse. Nihil igitur attulit Fr., unde constaret, idem hodie licere sub N. F., quod olim & ante legem & sub lege licuit in puniendis maleficis.

At ait thes. 28. *nihil afferri potest, ex quo colligere jure liceat, Chri-*

stum in N.T. abrogasse capitalia supplicia. Ego verò non sine causa factum esse credo, quòd non apertè & disertè sint ista abrogata in Evangelio: Sufficere autem totam analogiam Evangelii ad tollenda ista. Tempus nunc est gratiæ: Charitas proximi præcipitur perfectissima, & alia his sunt similia. Ex his, qui nō videt, manifestè sequi, non licere in vitam hominum nocentium sævire, is a carne sua, vel a spiritu Antichristi, & longa malè agendi consuetudine, excæcatus est.

In inferendis pœnis analogia religionis Christi spectanda.

Infert deinceps thesi 29. Frantzi[9], *ex eo, quòd homicidas capite plecti velit Christus, idem etiam de aliis pœnis capitalibus statuendum esse.* Sed non docuit Frantzius, Christum velle, ut homicida capite plectatur. Aliud enim est denunciare, quid fiat inter homines, & quid Deus facturus sit: & aliud est, velle, ut aliquid fiat. Velle enim est præcipere. Itaq; quemadmodum Christus non præcepit homicidas capite plectere: sic etiam, & tantò magis statuendum est, eum non præcepisse, ut adulteri vel fures capite plectantur, quantò minus est peccatum reipsa adulterium, quàm homicidium vel furtum. Nam adulterium honestatem tantùm alienam petit, furtum facultates: homicidium verò ipsam vitam. Videamus tamen, quomodo id probet Frantzius.

Affert primùm thesi 30. *exempla adulterii ante legem Mosis puniti.* Sed responsio eadem est, quæ antea fuit exposita, nempe tam ea, quæ ante legem, quàm quæ sub lege licebant, abrogata esse per Christum, censeri debere, quod ad judicia attinet. Sed quomodo probat Frantzius, Christum illam legem non abrogasse? quia dixit (ait thes. 32.) Ioh. 8. ad adulteram adductam. *Nec ego te condemno* (Fr. habet *contemno*) Et hîc suam nobis exponit verborum Christi super hac re sententiam, quare Christus ita locutus sit, nempe ut ostenderet, *non licuisse illam Pharisæis & Scribis condemnare adulteram, quia ipsi essent adulteri. Et facile alioquin passurum fuisse Christum, ut condemnaretur, si quis purus inter eos deprehensus fuisset, a th. 33. usq; ad* 38. Sed hæc explicatio Frantzii nodum non solvit; nec docet, Christum approbasse legem, de puniendis adulteriis secundùm legem Mosis. Nam si Christus legem istam approbasset, quid opus fuisset modum, eumq; tam argutum excogitare, quo adultera illa liberaretur? Licetné aliquo modo quantumvis arguto efficere, ut Dei præceptum non observetur? Nihil autem interérat a quo tandem adultera puniretur si punienda fuisset, efficere, ut Dei præceptum non observetur? Nihil autem interérat, a quo tandem adultera puniretur, si punienda fuisset, num ab hominibus piis vel impiis. Quanquam ista conjectura Frantzii valdè est incerta, & ad rem nihil faciens, quòd scilicet omnes fuerint adulteri. Nam præter Scribas & Pharisæos populum etiam adfuisse testatur historia.

historia, & eum etiam in conscientia redargutum exiisse ex templo. Omnes autem fuisse adulteros nullo modo est verisimile. Præterea satis erat, eos fuisse homines peccati, hic hujus, alius alius sibi conscios, ad efficiendum, ne manus injicerent in istam mulierem, si, quod futurum Christus prævidere potuit, ejus erant candoris & judicii, ut intelligerent, non decere eum alieno malo insultare, qui ipse pœnâ dignus sit. Sed quid si etiam concedam, Christum tunc non curasse, ut lex illa aboleretur, sed permissurum fuisse, ut lapidaretur secundùm legem Mosis, num hinc concludi jure potest, eum legem illam approbasse, & postea non abrogasse? Nihil minùs. Nondum enim tunc tempus erat abrogandi istas leges. Ferenda fuerunt multa, & multa facta sunt D. Iesu in terris degente, quæ nunc nullo modo fieri possunt salvâ conscientiâ. Quantùm tamen ejus fieri potuit, procuravit Dominus Iesus, ne ista fierent. Hoc modo etiam videmus D. Iesum de tollendo sabbato nihil apertè unquam dixisse, dum adhuc in terris degeret, sed semper ita respondisse adversariis, ac si illud nunquam violasset, significasse tamē, sublatū illud iri. Quod, ut & alia, tunc reipsa factum est, cùm D. Iesus Rex populi Dei & Christus perfectissimo modo, in cælos scilicet exaltatus, effect⁹ est. Tunc enim novi regis nova lex promulgata est.

Christus nō omnia abroganda abrogavit, quādiu in terris degit.

Thesis hujus Sectionis ultima 38. talis est: *Nihil dicimus de iis legibus, quæ Levit: 18. extant de adulteriis & incestu, quarum violatione, quia Ethnici sese polluiße ibidem commemorantur v: 26. utique ante politiam Mosis inchoatam, etiam illa peccata prohibita fuisse consequitur, nimirum per legem moralem divinam.* Hæc quomodo adjecta sit & quo fine, non video. Quis enim negat, adulterium & incestus prohibitos etiam ante politiam Mosis inchoatam, idque per legem divinam moralem fuisse? Fatemur & prohibitos & punitos fuisse: sed quæritur an idem hodie eodem modo, quod ad punitionem attinet, fieri debeat sub Evangelio? Hoc nullo argumento valido probari posse, ea, quæ hactenus examinavimus, argumenta Frantzii ostendere possunt.

SECTIO TERTIA, quæ est: *An sententiæ sint dicendæ ex imperatoriis & aliis præsentibus legibus*, mirabiliter tractatur a Frantzio. Incipit enim a Carolstadio, & de eo, nescio quid, persequitur, & eum refutat, & similes ejus esse Anabaptistas hodiernos affirmat. Quod quomodo cum veritate conveniat, non video. Ait enim semel, Anabaptistas judicia, bella, juramēta & alia tollere: rursus verò tales eos fingit, th: 56. qui universas & singulas leges Mosaicas & purè putè Mosaicas intra pomœria Christianorum agrorum revocare velint. Præterea nescio, quid in eo ponat præsidii, quòd leges quædam Mosaicæ, hoc est

hoc eſt, a Moſe traditæ, fuerint etiam ante legem traditæ, & proinde etiam nunc retineri debeant, & quòd eædem leges a quibusdam morales appellentur. Cùm tamen in genere ſciendum ſit, leges quascunque, ſive morales ſint ſive judiciales, pro abrogatis cenſendas eſſe, quæ non conveniunt cum analogia Chriſtianæ religionis, & præſertim cum charitate, ſive eæ ante legem ſive ſub lege traditę ſint. Quod ipſum etiam apparet ex eo, quod citat Frantzius ex Deut. 21. de interficiendo filio contumace. Hoc enim hodie parentibus Chriſtianis non licet. Quanquam nihil non ſit faciendum, ut filius contumax corrigatur, & corrigi eum tandem, vel mutari, vel ſaltem coerceri poſſe, etiamſi non interficiatur, ipſa res loquitur. Tunc enim rigor, nunc æquitas ſola permiſſa eſt parentibus erga liberos. Chriſtum verò hanc legem confirmare Matth: 15. ut ait Frantzius theſi 42., quando ait v: 3. *Quare vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? Nam Deus dixit, Honora patrem, & matrem, & qui maledixerit patri & matri, morte moriatur:* ineptiſſimè dicitur. Chriſtus enim eo in loco non ex ſuo, ſed ex legis ſenſu μιμητικῶς iſta verba refert, hoc eſt, recitat, quid in lege dictum ſit, non verò, quid ipſemet ea de re ſentiat, exponit.

Reliquis omiſſis iſtud in primis annotandum putavimus, quod th: 47. dicitur: *Optimè judicabit judex ex legibus imperatoriis, quatenus ex rivulo legis naturæ, hoc eſt, divinæ legis moralis extructæ ſunt.* Hoc enim falſiſſimum eſſe jam demonſtratum eſt per id, quòd lex moralis homicidas, & adulteros, & filios contumaces & prodigos interimi volebat: & tamen hodie id, quod ſcilicet ad filios contumaces & prodigos attinet, nullo modo judici Chriſtiano licere, ipſe etiam Frantzius, ut puto, concedet. Eſt igitur lex divina moralis, & unâ cum illa lex naturæ ad legem Chriſti reformanda, limitanda, temperanda. Hæc enim omnium perfectiſſima, & legum divinarum coronis eſt. Idem etiam & multò magis de legibus imperatoriis dicendum eſt: & quemadmodum multos nævos a Theologis & ICtis ſuis ſublatos eſſe docet Frantzius: ita omnes illi reliqui tollendi ſint, quicunque eas tradunt leges, quæ legalibus ſunt multò rigidiores, & quæ cum Chriſti ſanctiſſima & manſuetiſſima religione convenire non poſſunt. Qua de re plura dicendi nunc nec locus eſt nec neceſſitas.

Chriſti lex perfectiſſima.

IN QVARTA SECTIONE directè nos petit, & bella gerere, licere affirmat, quod nos negamus & indignum Chriſtiana pietate eſſe contendimus. Attendamus igitur, quid dicat hac de re Frantzius. Repudiatâ noſtrâ ſententiâ, & conſiliis, quibus paci ſtudendum eſſe, hortamur, &, quæ ſi quis ſequatur, & verè Deo confidat, ſuffectura videntur ad

tur ad eandem impetrandam & conservandam, ait the 50. *intactam manere quæstionem illam, quid faciendum sit, quando ab aliis magistratibus noster ita offenditur, ut citra religionis & regionis interitum a bellis sibi temperare nequeat.* Ad hoc respondeo: nullo bello illato posse religionem tolli. Viro enim forti non potest vis fieri. Manebit semper eadem religio in eo, qui verè Deo confidit, sive sit pax, sive bellum. Imò majorem in religione fervorem esse tempore seditionum & bellorum quàm pacis, res ipsa testatur. Si dicat Frantzius, hostem posse imperare religionem falsam & idololatricam, si non repellatur. Respondeo, imperare quidem posse, sed vi eam nemini posse obtrudere. Nam qui Dei amans est, mavult vitam perdere, quàm religionem mutare. Præter vitam autem nihil hostis eripere potest. Et quid præstat, vitam profundere defendendo religionem armis, quod sæpe fit (nam non omnes vincunt, qui armis se defendunt) quàm defendere religionem profundendo sanguinem? Certè in hoc nullum est salutis periculum: ibi verò, ex nostro sensu, certum est, ex omnium autem sensu, periculum saltem esse potest. De regione verò respondeo, non certum esse, an is sit regionem obtenturus, qui eam armis defendit. Multos enim videre est, qui hac ratione se & suos & sua omnia perdiderunt, ita ut, si aliter se gessissent, regnare possent, qui nunc extrema sunt mancipia. Nonné igitur præstat varios tentare modos, quibus regio conservetur præter bellum, quales sunt fœderum pactio, de jure suo quodammodo cessio, addo etiam tributorum solutio, & tandem ipsius etiam regionis, si aliter nullo modo fieri possit, spontanea deditio, quæ omnia fieri possunt absq; jactura salutis, vitæ, fortunarum: & nonnunquam etiam illi ipsi tamen regnant, qui ita agunt cum hostibus suis, ut exemplis multorum principum, in orbe etiam Christiano, ad oculum demonstrari posset, si necessitas id requireret. Pręstat enim semper, si aliter fieri prorsus nequeat, hostem suum pro Domino agnoscere, & ita eum sibi certò devincire, quàm incerto prælii eventui & victoriæ fallaci committere omnes suas fortunas & ipsam vitam. Sed, quid dicat Frantzius pro bello asserendo, videndum est.

Religio a nemine imperari potest

Quid faciendum ut bella vitentur.

V. Ges. Lib. ... [handwritten marginal note]

Thes: 61. est *Audiamus igitur hac de re, quæ nobis ex verbo Dei consilia suppeditentur. Quapropter bella ipsa quod attinet, defensiva scilicet, Christus* jubet *reddere cæsari, quæ sunt cæsaris, qui inde milites plurimos alebat: Et Ioannes Baptista Luc:* 3. 14. *jubet milites suis contentos vivere stipendiis, & neminem concutere, quod utrumque utique non fecisset uterque, si bella damnassent.* Audimus quid Christus, quid Ioannes Ba. dixerit. Sed quomodo hinc concludi possit, licere bella gerere,

rere, nec nos videmus, nec Frantzius ostendit. Dandum est Cæsari, quod est Cæsaris. Sed quid si ista omnia consumat Cæsar in alios usus? Quid si bellum nunquam velit gerere, & tamen tributa imperet, num ideo essent neganda? Certè nullius rei respectu habito, præter solam potestatem Cæsaris, quam tunc in Iudæos exercebat, jubet Christus dare Cæsari, quod est Cæsaris. Quemadmodum etiam hodie posset aliquis consilium dare Christianis, qui sub Turca degunt, ut, quod est Turcæ, dent Turcæ, etiamsi nihil minùs cogitet Turca, quàm ut Christianos, qui in ejus sunt dominatu, defendat. Verba verò Ioannis Bapt: quid ad nos Christianos pertinent, ut ex illis vivendi normam petamus? Non erat Ioan: Bapt: illa lux, quæ nos illuminare debebat, sed Christus est illa lux vera, quæ illuminat omnem hominem. Iohannes Baptista initium faciebat Evangelii: pænitentiam tantùm, eamque ex parte, prædicabat, nedum ut, quid omnino novo Christi populo sequendum esset, doceret. *Qui minor (est) in regno cælorum maior est Ioanne Baptista*, hoc est, unusquisque Christianus plus habet cognitionis divinæ voluntatis quam, Ioã: Bapt: quâ Baptista, quemadmodum & Ioannes major erat omnibus prophetis, quia plus cognitionis divinæ voluntatis habebat, quàm omnes ante eum prophetæ. Quomodo igitur a Ioanne, & doctrina ejus, vivendi normam petant Christiani? Locus tertius est Rom: 13. *quòd Magistratus sit minister Dei vindex, in iram ei, qui malè agit.* Id de magistratu in genere, vel potiùs infideli, dictum esse, jam antea indicavimus. Hîc igitur, quia sub Christi jugo non est, posset quidem etiam per bella vindicare injuriam sibi & subditis suis illatam: Sed hinc non sequitur, licere bella gerere Christiano magistratui. Quanquam locus ille, nihil loquitur de publica vindicta adversus hostem instituenda. Quid enim ad rem faceret: Timendus est magistratus, quia potest bella gerere? Sed de privata, quam adversus subditos exercere potest magistratus, propriè sermo est. Hanc potest magistratus, præsertim infidelis, quando vult, exercere: at belli longè alia est ratio. Nam sive bellum gerat magistratus, sive non, tamen semper est minister Dei vindex in iram ei, qui malè agit.

Non ex Ioannis Bapt: doctrina norma vitæ petenda.

Thes: 63. *Quin & leges belli rectè gerendi propositas quasdam Deut: 20. à Domino, repetit etiam Christus Luc: 14. quum inquit: Quis rex iturus committere bellum adversus alium regem, non sedens priùs cogitat, si posset cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se. Alioquin adhuc illo longè agente legationẽ mittens, rogat ea, quæ pacis sunt.* Et hîc risum teneatis amici? Christus parabolam narrat, & per eam, quomodo ad deserenda charissima, & omnia adversa perpetien-

da paratissimus esse debeat, quicunque sibi militare cogitet, docere proponit: Frantzius, Christum leges belli gerendi repetiisse, & tacitè commēdasse, affirmare non dubitat. Hac ratione ego probabo, Christum docuisse, quomodo, qui alienas curant familias, Dominos suos fraudare, & de facultatibus illorum intervertere multa, pro futura necessitate, possint, & alia huic similia nonpauca monstrosa dogmata, vel potiùs impietates.

Luc. 16.

Ad QVINTAM SECTIONEM tantùm hoc addimus: Non quidē per se peccatum esse tractare artificia, quorum operâ arma parantur, etiamsi bella gerere non liceat. Potest enim fieri, ut talia quis paret, quæ ad bella gerenda pertinent, & tamen nunquam ad bella gerenda adhibeantur. Præstat autem id facere, quod vel peccatum per se non est, vel peccati causa potest non esse, quàm vel fame perire vel suos deserere. Hanc tamen cautionem addendam putamus, si quis aliter sese nulla ratione alere possit. Aliàs enim nimis turpe est, hominem Christianum ea laborare, quæ ad internecionem hominum comparata sunt. Discere verò tale opificium, multò indignius est homine Christiano. Semper enim id eligendum est in omni vita, quod est rectissimum & ab omni specie mali quàm alienissimum.

In SEXTA SECTIONE quæ est: *An liceat contractus alios & artificia alia exercere, & tenere proprium*, nihil est quod reprehendamus. Idem enim sentimus, quod Frantzius, licet probationes quasdam non admodum probemus.

Idem etiam de SEPTIMA dicimus: Iurare licere homini Christiano, exigente id Dei gloria, salute hominum, vel etiam alia aliqua summa & inevitabili necessitate, non diffitemur: sed, ita id nunc licere, ut olim licebat sub V. T., pernegamus. Tunc licebat quavis de causa jurare, modò quis non pejeraret: Nunc verò non tantùm pejerare non licet, verùm etiam jurare non licet levi de causa, & in quotidiana vita. Sermo enim noster, nempe familiaris, debet esse contentus simplici, eaque, si opus sit, iterata affirmatione aut negatione, quod per verba Est est, non non, indicatur. Quicquid autem supra hæc est, in sermone quotidiano, id ex malo, hoc est, a diabolo est. Is enim homines eò impellit, ut sæpè jurando nomen Dei in vanum sumant. Et hæc hactenus de rebus civilibus. Orandus est Deus, ut tales excitet verbi sui ministros, qui seposita omni adulatione, magistratuum omnia dicta & facta revocare ausint ad trutinam Evangelii, ut ita unà cum aliis servari possint. Vnus enim est Deus, unus mediator Dei & hominum nempe tam vulgarium quàm regum vel magistratuum, ut Paulus argumentatur, homo Christus Iesus.

Quatenus jurare liceat.

1 Tim. 2. 6.

REFV-

REFUTATIO THESIUM D. WOLFGANGI FRANTZII, De extremo Iudicio.

Quæ est Disputationis ipsius posterioris VII. pars prior.

HIc in PRIMA SECTIONE th.6. nos accuſat Frantzius, quòd in circumſtantias quaſdam, ſingulares, ad hūc articulū pertinentes graviſſimè impingamus: Et nos deprehendi, negare immortalitatem animarum, cruciatus æternos impiorum, & deinde ſectione 2. a th. 9. diſſerit adverſus nos de ſtatu hominis ante lapſum. Quæ quomodo cohæreant, videat cordatus lector. Falſum autem eſſe ſciat, ſimpliciter nos negare animarum immortalitatem. Cruciatus etiam æternos impiorum admitti poſſe ſtatuimus, eo ſenſu, quo dictum eſt, quòd fumus meretricis magnæ aſcendet in ſecula ſeculorum, & quòd diabolus & beſtia & pſeudopropheta cruciabuntur die ac nocte in ſecula ſeculorum. Apoc. 19. 3. & 20. 10.

Iam ad SECUNDAM SECTIONEM tranſimus, in qua argumenta noſtrorum, quibus probant, Adamum ante lapſum fuiſſe mortalem, refutare conatur. Argumentum primum eſt theſ. 10. contentum. *Qui immortales ſunt, liberos non procreant. Luc. 20. 31. 36. At primi parentes ante lapſum liberis procreandis ab ipſo conditore deſtinati erant. Gen. 1. 28. Ergo primi parentes etiam ante lapſum non fuerunt immortales.* Reſponſio Frantz: eſt talis: th. 11. *Reſpondemus, pro majore propoſitione aſſerri probationem ex dicto loquente de conditione alterius mundi, & ex illa æſtimari conditionem hujus mundi ante lapſum, quæ confuſio eſt abſurda.* Theſ. 12. eſt. *Non enim unum & idem fuiſſent, (homo ante lapſum & homo poſt hanc vitam) Qualis uterq; eſſe debuit, ex verbo Dei, loquente de utroq;, eſt ſtatuendum, non ex uno verbo loquente de uno, ratiocinandum de utroq;.* Sed hîc nulla eſt legitima reſponſio. Nam nec alterutra præmiſſarum negatur, & falſa eſſe oſtenditur; nec etiam per diſtinctionem ambiguitas alterutrius oſtenditur. Major univerſalis ut ſit neceſſe eſt, & talis, quæ tam de iis, qui in futuro ſeculo immmortales ſunt, quàm de omnibus aliis, quicunq; immortales quocunq; in loco ſunt, vera ſit. Non datur enim in immortalitate tanta differentia, ut alii ſint, qui ſobolem procreant, alii verò eandem

Immortales non procreant.

idem procreare nequeant. Itaq; responsio Frantzii nihil est, quàm effugium, & studium declinandi vim argumenti hujus, quod suo loco firmum stat. Si non idem & unum fuissent homo ante lapsum & post hanc vitam, sequitur dari duplices verè immortales vel duplicem veram immortalitatem, quod non tantùm absurdum est, sed etiam seipsum destruens.

Argumentum secundum nostrum est: *Vbi est immortalitas, ibi escis non est opus*, 1. Cor: 6. *At etiam ante lapsum Adamus cibis utebatur. Ergo non fuit immortalis.* Ad hoc respondet thesi 14. ita planè ut ad 1., confusionem ineptam, cujus etiam antea mentionem fecerat, hac ratione demonstrans th: 15. *Cogitet enim Ostorodus, utrum possit valorem habere probatum hæc argumentatio: Quales futuri sunt homines in altera vita, quoad corpora & corporum conditiones, tales quoque futuros necesse fuisset homines in statu ante lapsum, si à Deo immortales creati, & tales quoque naturâ sic dicta fuissent ante lapsum. At in altera vita non edent, non bibent, non gignent. Ergo nec in statu ante lapsum comedissent, bibissent, genuissent, si immortales creati & naturâ ante lapsum constituti fuissent.* At ego argumentationem hanc Frantzii rectissimam esse arbitror, & omnino consecuturum id puto, quod affirmat, si Adam immortalis creatus fuisset. Sed addit thes: 16. Frantzius hæc verba: *Si absolutam & simplicem veritatem in hac argumentatione proponi dixerit Ostorodus, tum etiam simpliciter & absolutè sequeretur, ante lapsum in statu innocentiæ futuros fuisse & simul esse debuisse homines, quoad corpora & corporum conditiones, configuratos & similes corporis claritatis Christi.* Quin imò sequeretur necessariò, non opus fuisse ulla claritate, si immortales fuissent ante lapsum primi parentes. Idem enim sunt, gloriosum esse & immortale, ut ex cap: 15. 1. ad Cor: apparet. Et vicissim ex eo, quòd Christi corpori, quod nunc habet, simile corpus Adamus ante lapsum non habuit, necessariò sequitur, id nullo modo immortale fuisse aut esse potuisse. Videat, quæso benevolus lector, an, quod opponeret jure his nostris argumentis, Frantzius habuerit.

Immortales escis non utuntur.

3. Argumentum nostrum est: *Omne corpus animale est mortale. At Adam ante lapsum habuit corpus animale. Ergo etiam mortale. Major constat ex cap: 15. 1. ad Cor. Minor ex eodem cap: v: 45. ubi ait, Adamum primum factum esse in animam viventem. Hoc verò etiam ante lapsum de eo dictum fuisse ex cap: Gen: 2. 7. apparet.* Ad hoc respondet Frantzius th: 22. *Respondemus, quòd major vera sit tantùm de corpore animali, nunc post lapsum. Probatur hoc ex Gen: 3. 19. ubi demum post peccatum introductum introducitur a Deo hæc conditio, ut homo pulvis in pulve-*

in pulverem convertatur:id quod repetit Apostolus Rom:5.12. Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors. Ergo per invictam consequentiam ante lapsum Adam, quantumvis pulvis, tamen non fuißet rursus conversus per mortem corporalem in pulverem; sed fuißet ex hac in alteram per cujusdam mutationis celerrimum interventum traductus. Sed hæc responsio iterum planè elumbis est. Major enim ita semper vera est, ut nulla ratione possit esse aliquando non vera; neque ulla temporis diversitas naturam rerum mutare potest, & efficere, ut id, quod semper est animale, non sit semper mortale. Adeo ut nec ipse Deus id vel facere velit, vel etiam possit. Hoc enim esset secum pugnare. Sed ex animali facere immortale, hoc est, naturas commutare, hoc Deo dignum est opus. Itaque si major vera est nunc post lapsum, falsum est, eam etiam ante lapsum veram non fuisse. At ait Frantzius, post lapsum demum dictum esse Adamo: *Pulvis es & in pulverem converteris.* Quid tum postea? Num hac ratione everti potest argumētum, & robur ejus infringi? nihil minùs. Firmo enim stante eo, quòd, quia Adam ante lapsum fuit animalis, fuit etiam mortalis, facilè potest sobria aliqua explicatio inveniri istorum verborum Geneseos: Nempe Deum ei, qui mortalis quidem erat, sed tamen poterat non mori, minari, eum talem futurum, qui nō possit non mori, quæ certè gravissima pœna censenda est. Idem etiam de altero loco Rom:5. statuendum: nempe firmo stante argumento, quòd nititur fundamentis sacrarum literarum, talem ejus esse sensum, qui ab ipso Frantzio deinceps exponitur, per mortem scilicet non intelligi mortalitatem naturalem, sed ipsam mortem & moriendi necessitatem. Hæc enim vocis *mortis* perpetua ferè est significatio, & vix credo ullam instantiam dari posse, ubi aliter ea vox accipiatur. Vrgemus igitur respondentem Frantzium argumento nostro, & aliam ejus solutionem petimus.

Immortales non sunt animales.

Vis minarū Dei. Gen:3.

Mors significat necessitatem moriendi.

Deinceps Frantzius ad hanc nostram vocis *mortis* explicationem responsum parat, præmissa cavillatione sensus nostri de morte, vel morte æterna, de quo suo loco: addita etiam nostra explicatione loci Sap:2.23. de homine creato ad ἀφθαρσίαν (ut Frantzius habet) quæ est, quòd homo conditus sit in incorruptione, ut liber esset ab omni calamitate usque ad finem & terminum sibi prædeterminatum; Et quòd differant ista, immortalem esse, & conditum esse ad immortalitatem. Posse enim etiam mortalem conditum esse ad immortalitatem, imò neminem nisi mortalem ad immortalitatem conditum esse, in confesso est. Sic autem rem aggreditur thesi 33. *Verùm ad hanc prolixam instantiam respondemus, iterum committi ab*

adversariis petitionem principii. Differunt hæc duo mortalitas & mors nihil quicquam, nec post lapsum nec ante lapsum; sed inter sese adamantino nexu cohærent. Qui est mortalis, illum oportet obnoxium fieri morti. Et qui, si peccet, adjudicatur morti, ille quoque adjudicatur alicui mortalitati, tanquam itineri ducenti ad mortem. Petitionem principii nobis objicit Frantzius: quàm juste, videat intelligens lector. Dicimus differre mortalitatem a morte, idque ita docemus, quòd tempus erat, cùm esset mortalitas, & tamen nondum erat mors. Nam ante lapsum erat mortalitas, ut argumenta, quæ nunc refutat Frantzius, firmiter demonstrant: Paulus verò ait, per peccatum mortem in mundum intrasse. Reprehendit liberè alios Frantzius, & quas vult fallacias illis objicit: quid verò se fiat, & quid ipse faciat, non perpendit. Respondentis partes sibi sumsit: pro responso autem legitimo solam suæ sententiæ pronunciationem affert. Affirmat enim primùm simpliciter, nihil differre mortalitatem & mortem, sed nexu adamantino inter se cohærere: At hoc docendum erat Frantzio, non affirmandum tantùm. Nam quæ ad rem hanc sive probandam vel illustrandam affert, ea & captiosa & planè falsa sunt. Captio est in eo, quòd, obnoxium fieri morti, prolibitu suo explicat Frantzius, ut idem sit, quod mortalem esse. Nos verò per hanc phrasin, *obnoxium eße morti*, intelligimus, prorsus non posse non mori, ideoq; vocem *mortis* non ita explicamus unquam, quòd significet subjectionem istam morti, sed vel alia phrasi utimur, vel huic aliquid addimus, quod vim ei majorem addat, nempe vocem *necessariò* aut similem. Iam vel mutata hac phrasi, *obnoxium esse morti*, in aliam, nempe, *obnoxium esse necessitati moriendi*, vel addita illi voce, *necessariò*, dicimus, falsissimum esse, eum, qui est mortalis, necessariò morti obnoxium esse, ita ut non possit non mori. Potest enim Dei beneficio conservari, ita ut vel nunquã moriatur, vel ut iterum resurgat, & sic non erit morti necessariò obnoxius. Falsum etiam vel saltem admodum captiosum est illud: *Qui, si peccet, adjudicatur morti, ille quoq; adjudicatur alicui mortalitati, tanquam itineri ducenti ad mortem.* Qui enim morti adjudicatur, de eo præsupponitur, quòd jam antea naturâ mortalis fuerit: (Nam naturâ immortale absolutè, morti adjudicari nonpotest) & tantùm innuitur mutatio conditionisnon optimæ in pessimam.

Differant mors et mortalitas.

Quid sit morti obnoxium esse.

Pergit autem talia pandens mysteria Frantzius dum ait thes. 34. *Deinde differunt hæc duo esse mortalem conditum, & esse conditum ad immortalitatem, differunt inquam, hæc duo nunc post lapsum. Non verò differebant ante lapsum, quia tunc esse non poterant ambo, ergo nec differre.* Quid verò hoc est aliud, quàm principii mera petitio, & sen-

tentiæ dictio,loco responsionis? Sed præterea cavillus etiam in his verbis inest. Videtur enim dicere Frantzius,affirmari a nobis,quòd non differant hæc duo, esse mortalem conditum, & conditum esse ad immortalitatem,quod tamen falsissimum est. Affirmamus, hæc duo potuisse simul & semel reperiri & considerari in Adamo ante lapsum: sed non propterea ea duo non differre statuimus. Possunt enim duo diversissima in aliquo subjecto considerari simul & semel,diverso respectu. Quoad naturam creatus erat mortalis Adamus ante lapsum: quoad mentem & consilium Dei, creatus erat ut immortalis fieret,vel saltem fieri posset, si modò de ista immortalitate loquitur locus Sap.2. Adam mortalis fuit conditus tamen ad immortalitatem.

Sed rationem affert tandem Frantzius thes.35. *Aut enim ad immortalitatem conditus fuit homo, & sic immortalis fuit conditus, quod nos asserimus, aut fuit mortalis conditus, & sic ad immortalitatem conditus esse non potuit.* Rationem quidem portendebat vocula *enim*. Sed umbra tantùm rationis est. *Ad immortalitatem enim*, ait, *conditum esse, est immortalem esse conditum.* Prior phrasis finem tantùm denotat, ad quem is, qui creavit aliquem,tunc spectabat,cùm eum crearet: non verò docet,quomodo,vel cum qua natura,eundem creârit. Imò contradictio est in eo: creatum esse immortalem, & creatum esse ad immortalitatem. Is enim,qui creatus est immortalis,jam habet immortalitatem, nec opus habet, ut ad immortalitatem creetur. Quemadmodum dici non potest, hominem esse creatum ad rationem,quia scilicet cum ratione est creatus,& ratio ad ipsius essentiam constituendam concurrit. Similis umbra altera est. *Si fuit mortalis, ad immortalitatem conditus esse non potuit.* Iam enim ostendimus, si ad immortalitatem fuit conditus homo, eum necessariò fuisse mortalem. Nihil autem dicimus de eo, quod in libro sapientiæ scriptum est,non ut Frantzius id audacter allegat εἰς ἀφθαρσίαν, sed ἐπ' ἀφθαρσίᾳ, & quòd liber iste,ut Frantzius contendit,non sit authenticus,sed ex Apocryphorum numero.

Ad Frantzii theses redeo,qui th.36.sic ait: *Certè quòd homo immortalis conditus, & quòd idem ad immortalitatem fuit conditus, hoc, inquam, utrumq; inde per firmissimam evincitur argumentationem, si quidem, ut jam modo innuimus Gen.2.17. Deus minatur introductionem mortalitatis, si peccaverint; In quacunq; die, inquit, de prohibita arbore comederis, morte morieris.* Cramben suam apponit Frantzius. Iam enim antea, ut ipsemet fatetur, hoc argumento usus fuerat. Ergo quod paulò ante respondimus,id hîc repetitum volumus. Negamus, Deum minari introductionem mortalitatis, si peccaverint primi

parentes in his verbis: *In quacunq; die &c.* Nam vox *mortis* & phrasis *morte mori*, aliud nihil significant, quàm æterna morte perire.

Sed alia suadet Frantzius. ait enim th: 37. *Aut enim mori in hoc loco significat in momento extingui, aut significat mortalem fieri & mortalitatis conditioni subjici, ut tandem possis & debeas mori & extingui. At primum intelligi nequit, quia reclamat experientia: non enim subitò mortui sunt; sed quæsiverunt latebras. Ergo necessariò intelligendum est: In quacunque die comederis morte morieris, hoc est, mortalis eris, & singulis diebus expectabis mortem, ut rectè loquitur ex Symmacho Theodoretus q:38. in Gen:, quia mors est sententia mortalitatis.* Sed insufficiens est enumeratio significationum vocabuli *mori*. Nam præter has duas potest significare, idque potissimùm: *Morti æternæ necessariò obnoxius eris*, & tandem eâ peribis. Ergo in fumum abiit argumentatio Frantzii. Et quæ deinde addit, sententiam dicens, *quòd Deus remiserit quidem propter mediatorem æternam mortem, sed tamen mortem corporalem introduxerit, & quòd ita mors in mundum intraverit.* ad quæ antea responsum est.

Quartum argumentum nostrum est, th: 40. *Quales sunt conditiones hominum, qui gerunt imaginem Adami, quatenus eadem ante lapsum fuit, tales quoque fuere conditiones ipsius Adami ante lapsum. At homines gerere dicuntur imaginem primi hominis, quatenus ante lapsum erat, in eo quod moriuntur. Ergo primus quoque homo ante lapsum fuit mortalis. Minor probatur ex v: 46, 47, 48, 49, 1. Cor: 15.* Ad hæc Frantzius thesi 43. & sequentibus, usque ad 58. responsurus, aliud nihil facit, *quàm quod genuinum scopum loci ad Corinth: eruere tentat, & jubet Ostorodum perlegere capitis istius cohærentiam, &c.* Sed hoc est effugia & latebras quærere, & declinare apertum certamen. Legit jampridem Ostorodus, legimus & nos caput istud; & cohærentiam, ut puto, exponere possemus, si hoc nunc in quæstione esset. Sed nolumus abuti lectoris benevolentia. Solutionem argumenti nostri a Frantzio petimus, eamque urgemus, quæ hoc ipsius discursu præstari nullo modo potest. Et meminerit lector hoc stratagema Frantzii, quòd, dum non habet, quod directè respondeat, hujusmodi ambagibus utatur, & ita se in latebras proripiat. Annotamus autem duo in isto discursu Frantzii. Unum est, quòd Christum spiritum vivificantem appellat, propterea quòd nos vivificare debeat, cùm tamen multò rectiùs ideo sic appellatus sit, quia seipsum perpetuũ vivificare potest. Opponitur enim Christ⁹ in hoc Adamo primo, de quo dicitur, quòd factus sit in animam viventẽ, vel anima vivens, nõ quòd aliis animã det aut vitã, sed quòd ipse vitã donatus

Cur Christ⁹ sit Spiritus vivificans.

natus fuerit in ipsa creatione, diversa ab illa, quam nunc Christus consecutus est, nempe temporariâ, ut Christus æternâ. Alterum est, verba *in Adamo omnes mori*, non de Adamo, quatenus lapsus fuit (ut audacter nimis Frantzius de suo in parenthesi addidit) intelligenda esse, sed de Adamo, quatenus primus tantùm homo fuit. Præterquam enim quòd illud simpliciter ita prolatum est de Adamo, nulla mentione peccati facta, non patitur ipsa materia, de qua Paulus agit, ut isto modo verba illa restringantur. Versu enim præcedenti dixerat simpliciter & absolutè de homine: *quemadmodum per hominem mors, ita per hominem resurrectio mortuorum.* Hujus verò rationem redditurus, ait: *Sicut enim in Adamo omnes moriuntur*, ergo necesse est, non alio modo considerari Adamum in hoc versu, quàm in præcedenti. Nempe quoad naturam tantùm & non quoad lapsum, qui est accidens in Adamo.

In Adamo quatenus omnes moriantur.

Quintum argumentum nostrorum est th: 58. explicatum: *Si peccatum homini mortalitatem attulit naturalem, tum Iesus Christus eandem auferre debuißet. Sed non verum est secundum. Ergo nec verum primum.* Rationem connexæ propositionis adducit illam, *quia (inquit) Iesus Christus peccatum abstulit, ejusque propriam vim omnem ac pœnas illi propriè constitutas delevit.* Hoc ita solvit Frantzius th: 59. *Respondemus*, &c. 1. *quòd Socinus ambiguitate ludat legentem. Nequaquam enim, secundùm Socinum Christus delevit peccatum, & pœnas peccato debitas, aliquo merito; sed tantùm prædicatione, id quod refutatum fuit disput: 4. super 4. art: Aug: Conf.* Ambiguitatem Socino objicit Frantzius, quam nullam ostendit, nec ostendet unquam: Ego verò calumniari Frantzium affirmo. Etiamsi enim Socinus neget, Christum merito suo peccatum tollere (quia scilicet hoc impossibile & non necessarium, imò absurdum & blasphemum sit): non dicit tamen, Christum tantùm prædicatione peccata & pœnas eorum tollere, quod Frantzius suo more ei affingit: quin imò modum, quo Christus ea tollit, potissimùm esse asserit, ipsius potestatem, quam a Deo accepit, planè divinam. de quo antea etiam dictum est. Sed præterea quænám hæc est directa & legitima responsio? non enim de eo nunc sermo est, quomodo credat Socinus, Christum peccata abstulisse: sed de eo, quòd scriptura testatur, Christum peccatum abstulisse, ex quo, & non ex sententia Socini, concluditur aut mortalitatem a Christo tolli debuisse, aut eam non esse pœnam peccati. Quoties lego responsiones Frantzii ad objectiones aliorum, præsertim Pontificiorum, video illum directis ut plurimùm uti, vel saltem uti conari, responsionibus: at in responsionibus ad nostra argumenta

Christus abstulit mortem, qui ob peccatum in mundum intravit.

gumenta ita perplexus est & obscurus, ut interdum fugiant ejus responsiones intellectum. Hinc colligere quis non injuriâ posset, eum, uti in controversiis, quas cum Pontificiis habet, plærumque causâ superior est, sic in controversiis, quas nobiscum habet, esse inferiorem. Sed hoc penes lectorem esto.

Addit verò plura thesi 60: *Secundò quanquam Christus in Paradiso in sese derivavit culpam & satisfactionem pro toto genere humano, ut liberaret omnes ab æterna morte, tamen post ipsam reconciliationem in Paradiso factam, adeoque post remissum peccatum sub Adami & Evæ persona & ipsis & omni posteritati inde prodituræ, castigationem imponit Deus hanc, quæ consistit in difficili partu, molestiis victus parandi & morte corporali.* Secundum hoc est numero, quod respondetur ad argumentum: sed non reipsa. Nullum enim fuit primum. Sed & hoc secundum nihil aliud omnino est, quàm nuda assertio rerum non tantùm controversarum, sed futilissimarum simul & anilium. Quid enim est futilius & anilius, quàm Christum in paradiso in se derivasse culpam, & satisfactionem pro humano genere & reconciliationem in paradiso factam esse? Et tamen hisce nugis nititur tantùm responsio Frantzii. Deum quandoque castigationem imponere hominibus, quibus peccata remittit, an vel quatenus verum sit, nunc non examino, differens illud ad istum locum, ubi se Frantzius de eo etiam dicturum affirmat. Nunc hoc dico, licet sit verissimum, nihil tamen juvare Frantzium, nisi doceat mortalitatem in homine ante lapsum non fuisse. Nam alioquin mera est petitio principii. Non enim mors naturalis, sed mors necessaria pro pæna fuit proposita Adamo, si peccaret, & eidem, postquam peccavit, denunciata per ista verba; *in pulverem reverteris.*

Affert instantiam Socini ad hanc suam responsionem Frantzius quæ talis est th: 62. *Instat hîc Socinus: si mortalitas post & per peccatum intravit, tum mortalitas illa fuit opus diaboli, & per consequens à Filio Dei, apparente, ut destrueret opera Diaboli, destructa. Sed hoc non est verum. Ergo absurdum quoque illud prius.* Th: 63. *Rationem connexi affert, quia cùm homo primus diaboli opera peccaverit, quicquid ex peccato illo verè profectum est, diaboli opus censeri debet.* Hoc verò sic excipit Frantzius thesi 64. *Respondebunt autem Tyrones Theologiæ ad hanc instantiam sufficienter, discriminandum esse peccatum à mortalitate secuta peccatum. Peccatum est à Diabolo, originaliter, mortalitas secuta non est à diabolo; sed à solo Deo propter peccatum præcedens.* At ego dico: Facilè est in Tyrones Theologiæ conjicere responsionem sufficientem: Sed videamus quid Doctor Theologiæ nobis respondeat.

ſpondeat, *Diſcriminandum eſſe*, ait, *peccatum à mortalitate ſecuta peccatum.* Ergo conſtat jam mortalitatem ſecutam eſſe peccatum, ut hac re argumentũ ſolvat Fr.? Hac ratione facilè eſt ad omnia reſpondere, ſi licet cuivis ſentire, quodlibet. Et quid erit tandem principium craſsè petere, ſi hoc non eſt? Simile eſt alterum. *Peccatum eſt à Diabolo, originaliter, mortalitas ſecuta nõ eſt à diabolo, ſed à ſolo Deo propter peccatum præcedens.* Non quæritur, unde ſit mortalitas, ſed an ſit ſecuta mortalitas peccatum. Hoc niſi probet Frantzius, nimis turpiter cauſam ſuam prodit, eamque ſuſpectam reddit. Præterea, ut & antea dixi in ſimili reſponſo, nihil ſentit hos impetus Frantzii noſtrorum argumentum. Firmum enim manet, deſtrui debuiſſe mortalitatem a filio Dei, ſi poſt peccatum intravit. eſſet enim opus diaboli. Filius autem Dei venit, ut deſtrueret opera diaboli. Vrgemus igitur reſpondentem Frantzium, ut directè ad argumentum reſpondeat, ſi non in forma, quam vocant, ſcholaſtica, ſaltem, more ſolito inter omnes viros doctos & veritatis ſtudioſos.

Th:65. eſt. *Quot autem pactis peccatum deſtruat filius Dei Diſput: 4. in 4. art: conf: Aug: dictum fuit.* Quanquam nihil ad rem facit, quod hîc dicit Frantzius: tamen & nos lectorem eò remittimus, quò eum remittit Frantzius.

Theſ. 66. Argumentum ſextum noſtrorum eſt: *Si homo a natura immortalis creatus, utique fruſtra Deus conceſſit Adamo comedendam arborem vitæ, quæ habebat vim prorogandi vitam corporalem. Sed hoc aſſerere eſſet abſonum. Ergo homo naturâ fuit mortalis.* Ad hoc ſic Frantzius th: 67. *Reſpondemus 1. quòd ad arborem vitæ attinet, ab aliquibus ei attribuitur nativa vis confortandi vires & vitam, ab aliis aſcribitur ei tantùm conditio ſacramentalis, quaſi fuiſſet utentibus eâ, certiſſimum ſignum, quòd ex hac in alteram vitam ſine interventu mortis corporalis transferendi eſſent.* Pudet me ſanè hujusmodi reſponſionum, quæ ipſo etiam nomine reſponſionum indignæ ſunt. Nam, non quid ſentiant varii de arbore vitæ, nunc in quæſtione eſt, quod ſolum tractat hac theſi & ſequentibus Frantzius: ſed quæritur, quid opus fuerit Adamo arbore vitæ, ſi quidem fuit immortalis. Nulla enim opus eſt refectione, ubi eſt immortalitas. Hoc ne verbo quidem tangit Frantzius: interim diſſerit, *Quare arbor iſta, arbor vitæ, præ cæteris ſit appellata: Et quomodo hæc expoſitio congruat cum aliis verbis Gen: & quomodo denique Deus noluerit hominem pervenire ad vitam alteram ſine interventu morborum & mortis.* Iudicent, rogamus, omnes cordati, an talem ſe præſtet Frantzius, qualem ſe gerere deberet.

Immortales non egent refectione.

Argumentum nostrum format septimum tale Frantzius th: 71. *Si omnes causæ mortalitatis naturalis, sive considerentur istæ in nobis (ut corruptio humorum) sive extra nos (pericula suffocationis, jugulationis, devorationis a bestiis &c.) æquè extiterunt, tunc antequam primus homo peccaret, atque nunc existunt, utique necesse est, ut ipse etiam effectus mortalitatis naturalis non minùs antea, quam postea extiterit. Sed verum prius, ergo & posterius.* Ad hoc verò sic respondet th: 73. *Respondemus ad prius membrum de causis mortalitatis in nobis 1. de humoribus, quòd corrumpi & morbos mortéque producere in statu innocentiæ non potuerint, sicuti nunc faciunt propter interventũ maledictionis divinæ.th:74.illa enim cõminatio, Morte morieris, & postea, pulvis es, non tantùm importavit mortẽ, sed & morbos, quæ sunt prodromi mortis &c.* At sententias suas tantùm dicere pergit Frantzius, easque tales, quas nulla ratio sana admittere potest, & quas scriptura prorsus aversatur: humores scilicet corrumpi, & morbos mortemque producere, in statu innocentiæ non potuisse; morbos verò importasse ista verba, *morte morieris*, & *pulvis eris*; Causas etiam extra nos positas locum habere, & vim in nos exercere non potuisse, ita ut, nec bestiæ, nec dæmones, nec aqua homini nocerent; Deum denique decrevisse, hominem ex hac vita in statu innocentiæ in alteram vitam, sine interventu corporalis mortis, transferre. Hæc omnia unde, quæso, depromta sunt? ex quo sacrarum literarum loco? ex qua, non dicam justa collectione, sed etiam leviuscula conjectura? Reliqua prolixè non recenseo, ne fabulas populo unà cum Frantzio obtrudere velle videar. Et sic perpende lector, quàm verum sit, quod thes: 78. gloriatur Frantzius, se sufficienter respondisse ad obiectiones Socini.

Sed adhuc octavum argumentum format tale, quod est in thesi 79. *Quicquid ex diversis & contrariis elementis componitur, illud interire necesse est. In statu innocentiæ homo fuit compositus ex diversis & corruptibilibus elementis. Ergo ipsum quoque hominem in statu innocentiæ corrumpi tandem aliquando necesse fuit.* Audi jam responsionem Frantzii th:80. *Majorem simpliciter in theologia negamus, & corrigimus hac ratione. Quicquid constat ex diversis & contrariis præsertim elementis, & à Deo ita factum est, ut tandem post elapsa certa tempora intereat, illud omnino tandem interire necesse est.* th:81. *Iam subsumatur: At homo in statu innocentiæ fuit quidem compositus ex diversis & contrariis elementis; verùm ita creatus,* juxta *clarissimam voluntatem Dei, ne interiret tandem morte corporali.* th: 82. *Spontè igitur concidit conclusio syllogismi. Ergo ipsum quoque hominem in statu innocentiæ interire necesse fuisset, tandem morte corporali.* Ergo secundùm Frantzium verum

verum est aliquid in Philosophia quod falsum sit in Theologia? Nos verò sentimus, philosophiam quidem non debere æquiparari Theologiæ: sed falsam vicissim eam theologiam existimamus, quæ aliquid affirmet contrarium veræ Philosophiæ. Vt enim lux magna parvæ non est contraria, ita nec theologia Philosophiæ: sed illa hujus domina, hæc illius pedissequa censenda est. Correctio igitur Frantzii istius majoris est admodum inepta & insolens. Subsumtio verò, quid est aliud, quàm turpis petitio principii?

Nihil est falsum in Theologia, quod verum est in philosophia.

Sed majoris limitationẽ veram esse sic docet th: 83. *Quia alioquin in altera quoque vita neceße eßet tamen tandẽ sic habet Fr. mori corpora nostra, quia sicut primitus facta sunt ex elementis, ita tunc ex pulveribus suis excitata & resuscitata prodibunt.* Vbi verò primùm scriptum est, corpora nostra ex pulveribus excitata & resuscitata prodituraʔ Equidem me tale quid legisse non memini: Frantzius verò locum nullum asscripsit. Incertum igitur omnino censendum est. Deinde si scriptum id alicubi esset vel simile quid, sobrius aliquis sensus adhibendus esset, cùm certum sit, nos habitationem nostram, quæ ex cælo [est] expectare, teste Apostolo, quemadmodũ etiam Christus Domin⁹, novissimus Adam, vel secundus homo, de cælo (est) vel nunc corpus suũ habet, non tantùm quoad qualitates, sed & quoad ipsam naturam.

Corpora ex pulvere non sunt proditura.

2. Cor: 5. 2. 1. Cor: 15. 47.

Rationem alteram affert Frantzius thes: 84. *Quia istæ stellæ etiam constant ex elementaribus rebus, aquis cælestibus, seu aeria substantia & luce, & tamen non intereunt.* Sed hoc valdè controversum est, quod ait Frantzius; & solâ, quam affert Fr:, autoritate Lutheri sustineri non potest: Et si verissimum esset, certò hinc concludi posset, eas tandem interituras necessariò, etiamsi non intereant, ut loquitur Frantzius, terminos astutè mutans. Potest enim id, quod nunc non interit, quia Deus id extare ad usum hominum velit, tunc interire, cùm nullus ejus usus futurus est.

Thes: 86. sententiam etiam nostram de eo, quòd nec Christus nunc carnem & sanguinẽ habeat, nec electi olim sint habituri, quam ex loco 1. Cor: 15. 50. probamus, prodit. Quasi scilicet nos eam occultemus, & non potiùs occultandam censeamus adversariorum sententiam, quæ nihil divinum sapit, sed potius Iudaica est & Turcica. Responsio Frantzii est th: 87. *Carnem & sanguinem non mutatum non poße poßidere regnum cælorum.* Sed Paulus simpliciter dicit, carnem & sanguinem non posse possidere regnum cælorum. Deinde falsum est, carnem & sanguinem mutari posse in aliquid immortale. Hoc enim est naturam rerum tollere, quod nec ipse Deus facit. Denique si mutatio appellanda sit, id quod olim futurum est illis, qui ex mortu-

Caro & sanguis an mutari possint, & quatenus mutãda sint.

is re-

-is resurgent, investigandum relinquitur, qualis sit futura mutatio. Nam de illis non est dubium, quin sint mutandi, quos Dominus vivos offendet. erunt enim mortales, & per raptum in aerem demum fient immortales: qui verò ex mortuis resurgent, in illis mutatio propriè locum non est habitura. Resurgent enim, ut idem Apostolus ait, incorruptibiles.

1 Thess. 4. 17.

1. Cor. 15. 52.

Respondet Frantzius, *Hoc non ex speculationibus Ostorodi, sed ex scripturis, & quidem ex loco 1. Cor: 15. depromi debere.* Assentimur Frantzio. Qualem verò mutationem locus ille indicat? Respondet Frantzius, *quòd corpus seminatum in corruptione, debeat resurgere in incorruptione: quòd seminatum in ignobilitate, debeat resurgere in gloria, quòd seminatum in infirmitate, debeat resurgere in virtute, ut ita seminatum corpus animale, resurgat spirituale.* Concedimus hoc totum. Verba enim sunt Pauli, sed res nondum confecta est. Non docetur enim, quomodo caro & sanguis sit mutandus. Verba autem Pauli ita accipi possunt: Nascitur nunc homo, qui habet corpus corruptibile, ignobile, infirmum, animale: at in futuro seculo talis futurus est, qui loco hujus corporis habebit corpus incorruptibile, gloriosum, firmum & spirituale. Propriè enim id, quod non est, resurgere dici nullo modo potest. Resurgere actio est: Actio est suppositi. Mortui non sunt, ut ait scriptura: imò si sunt, non sunt mortui. Itaque resurgere tantundem valet, quod denuò existere.

Quid sit hominem resurgere in incorruptione &c.

In tertia Sectione sententiam nostram, de conditionibus animarum humanarum post hanc vitam, prolaturum se Frantzius pollicetur; *quam non ita facile unicuivis animadvertere liceat.* Ad quod respondeo statim. Si ita est, ut scribit Frantzius, apparet ista obscurè a nostris tradi. Quid igitur causæ est, cur ea Fr: in publicum proferre gestiat? Fortassis ut invidiam nobis apud alios creet? At hoc non est, alios pietatem docentis; vel ut suam sententiam tantò rectiùs stabilire possit? Videamus igitur, quid agat Frantzius, & quantum necesse est, respondeamus.

Thes: 91. Ex Ostorodo allegat hæc verba, *Quòd nemo ex illis, qui in Christum credunt, in morte sit mansurus:* item, *quòd differant Mors & infernus, & plus aliquid sit infernus, quàm mors:* item, *quòd Portæ inferorum aliud nihil sint quàm ipsa mors,* &, *quòd ii, qui sunt Christi, in statu mortuorum non possint detineri.* item, *quòd Christus tantummodo veros Christianos, & nullos alios ex morte & inferno sit liberaturus.* Thes: 94. ex meo libello de divinitate Christi affert hæc verba, *quòd Christus Dæmones & homines impios coercere & æternùm delere possit.* Ex Socino, *quòd scelerati homines prorsus perdentur, atque*

æternæ morti adjudicabuntur. Facit etiam mentionem thes: 97. Catechesis cujusdam Georgii Crazeri, qui certè noster non est. Ex his autem hactenus commemoratis, constare ait thes:98. *nos hæc quatuor sentire.* 1. *Omnes homines in morte mori & extingvi quoad animam & quoad corpus* 2. *Alterius æternæ vitæ participes futuros & in æternum victuros, tantummodo pios & bonos & electos. Vnde sequetur, quòd impii vel nunquam ex sepulchris excitabuntur, vel ut conjicere licet, ex Fausti loco citato contra Volan:, excitati & à Christo judicati, tamen iterum in æternum nihilum redigentur.* 3. *Etiam diabolos tandem delendos esse & in nihilum redigendos* 4. *adeoque in altera vita tantùm fore piorum gaudia, nullos verò Diabolorum & improborum hominum cruciatus*, quod denuo probat verbis Ostorodi & meis, qui uterque dicamus, *Diabolum unà cum morte & inferno conjiciendum esse in lacum ignis Apoc:* 20. Et hæc habentur usque ad thes:101. Ad quæ, priusquam expendamus, quid respondeat Frantzius, pauca nobis dicenda sunt, quæ ad hanc rem intelligendam faciunt. Primùm satis esse credimus, si, qui alios docent, de omnibus Christianæ religionis capitibus ita loquantur, ut loquuntur sacræ literæ, sive iisdem, sive æquipollentibus verbis. Quis verò hæc cum Christi & Apostolorum orationibus consentanea esse non confiteatur, pios in morte non mansuros, vel in statu mortuorum detentum non iri? Quid enim aliud est ex mortuis resurgere, quàm in morte non manere, vel in statu mortuorum non detineri? Deinde non satis dignum homine Christiano id esse statuimus, ex verbis alicujus, quæ per se vera sunt, excerpere quæstiones odiosas & invidiæ plenas. Vt cùm dicitur, infernum esse aliquid diversum a morte, & plus quàm mortem. Non frustra enim hæc distinguuntur in sacris literis. Tum falsò nobis affingi à Frantzio querimur, quòd credamus, hominem mori quoad animam & quoad corpus. Credimus enim cum sacra scriptura, pulverem reverti ad terram unde sumtus est, Spiritum autem redire ad Deum, qui illum dedit. An verò Spiritus ille, qui ad Deum redit, & a corpore separatus est, sensu aliquo præditus sit, & an voluptate aliqua fruatur ante adventum Christi, & ante conjunctionem istam novam Spiritus cum corpore glorificato, quod De[us] olim daturus est credentibus, valdè dubitamus, imò aliter rem se habere credimus. Nempe quemadmodum corpus sine spiritu cadaver est: sic vicissim spiritū sine corpore nullas actiones exercere posse. Solos pios victuros in æternum, nonne est petitum ex penetralibus sacrarum literarum, quæ sola vitæ promissione, solantur fideles? Si opera carnis spiritu interemeritis, ait Paulus, *vivetis*. Quod idem millies alibi etiam invenitur. Iam si quis

Verbis S. S. in controversis uti satis est.

Apoc. 1. 18.

Anima cum corpore non interit.

Eccles. 12. 7.

Anima absq; corpore voluptate nulla fruitur.

Vita æterna solis piis promissa.

hinc colligat, impios æternùm non victuros, id non nostræ sententiæ, sed sacris literis potiùs asscribendum esset. Cùm porrò de interitu vel judicio dæmonum legitur, nonné, delendos eos esse, hinc jure colligi potest? Iam quomodo hoc futurum sit, in eo unicuique, nostro quidem judicio, licet suo sensu abundare. Idque idem etiam de cruciatibus dæmonum & impiorum statuendum est. Nos quid ampliùs & aliud hac de re statui debeat, nihil nunc dicimus: Quo jure verò Frantzius tantopere in nos invehatur, jam videamus.

SECTIONEM igitur 4. facit: *Quòd anima hominis post mortẽ corporalem superstes maneat.* Quod quia nos etiam, ut paulò ante indicavimus, sentimus, non est, quod hîc immoremur diu. Philosophos primùm perstringit, quòd de animæ immortalitate nihil certi statuere potuerint. Qua in re nimis liberalem esse credimus Frantzium, qui hoc Philosophis detrahat, quod jure sibi arrogare potuerunt. Sed hæc Philosophis relinquimus defendenda. Contra nos, quos ait negare animarum immortalitatem post mortem corporalem, loca quatuor affert thes: 107. Luc: 23. 43. Phil: 1. 23. 1. Pet: 3. 19. Apoc: 6. 9. Sed ea nec id, quod affirmat Frantzius, probant; nec nos petunt, qui credimus, animas vel Spiritus post mortem redire ad Deum, qui eas dedit, & ita superstites suo modo esse. Quod ad 1. attinet. Luc: 23. 43. *Hodie mecum eris in paradiso*, de eo sic quidem differit Fr: thes: 108. *Latronem quod attinet conversum, aut fuit ille eadem die cum Christo, quoad sepultum in eadem vicina terra corpus ipsius, aut fuit cum Christo, quoad iterum statim vivificatum corpus ipsius, quemadmodum multa corpora sanctorum ex sepulchris apertis prodierunt, & venerunt in civitatem sanctam & apparuerunt multis, Matth: 27. 52. 53. aut fuit cum Christo tantummodo quoad spem futuræ vivificationis in extremo die.* Thes: 109. *Sed non potest stare primum, quia sic impius quoque latro fuisset eodem die cum Christo: ambo enim latrones sine dubio fuerunt sepulti. Non secundum, quia non extat in scripturis, & utique si factum fuisset, illud scripturæ non subticuissent. Non tertium, quia statim post mortem corporalem, Hodie, debuit esse cum Christo: Sequitur ergò invictè, animam latronis eadem die cum anima Christi in paradiso convenisse.* Ridicula omnia sunt Frantzii commenta & conjecturæ. Quid enim valebunt, siquis dicat, Christum non dixisse latroni: *Hodie mecum eris in paradiso*, sed, *dico tibi hodie, mecum eris in paradiso.* Est enim loquendi modus Hebraicus, ut, cùm aliquid singulare & memorabile dicere volunt, sic loquantur, *Dico tibi hodie*, ut hæc exempla ostendunt. Quando verò futurus esset in paradiso latro ille, id aliunde colligendum esse, nempe, ut ipse latro petierat, cùm Christus venturus

Deut: 30. 11, 15. 18. & 32, 46.

esset

esset in regno suo. (sic enim habet græcus textus). Hoc autem futurum est in die ultimo, in quem omnibus aliis fidelibus, quotquot sunt excepto Christo, reposita est ipsorum merces. Manifesta enim sunt Christi verba: *Hæc est voluntas ejus, qui misit me, patris, ut quicquid mihi dederit, non perdam ex eo, sed suscitem illud in ultimo illo die.* & iterum: *Hæc est autem voluntas ejus, qui misit me, ut omnis qui conspicit Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & suscitem ipsum ego ultimo illo die.* Nec minùs manifesta sunt Pauli verba: *primitiæ Christus, deinde ii, qui (sunt) Christi in adventu ejus.* Præterea quomodo verũ esse potest, latronem isto ipso die fuisse cum Christo in paradiso, siquidem Christ⁹ eo ipso die mortu⁹ est. Mori autem, vel, quod vulgò credunt, in infernũ descendere (quod suo modo verum est) & esse in paradiso, plus distant & differunt, quã nigrũ ab albo & cælũ a terra. Iam si recurrant ad id, quod unicum est adversariorũ asylum, Christũ quoad naturam divinã eo die in paradiso fuisse, primùm principiũ petent. Nunquam enim probari potest, Christũ istam naturam habuisse. Deinde neque hac ratione, quod volunt, obtinebunt. Nã quia Christus eo die mortu⁹ fuit, certũ est personã ejus mortuã fuisse. passiones enim non sunt nisi suppositorũ. In Christo verò nulla fuit persona, ex mente adversariorũ, præter divinã, atque ita divina persona mortua est, & in paradiso esse non potuit. Imò ipse De⁹ esse desiit, & sic seipsum a mortuis resuscitare nullo modo potuit. Sed esto, Christum fuisse in paradiso eo ipso die ob naturam divinam, quomodo ex eo concludi potest, latronem etiam illic fuisse eodem die, nisi doceatur, eum etiã aliam naturam præter humanam habuisse? Sed omnia absurda recensere nimis longum esset. Possem & alia ratione refellere hanc futilem conjecturam Fr: quam ex loco Lucæ struit: sed, hoc nunc contentus, ad alia pergo, præsertim cùm id ex sequentibus peti possit.

Ioã: 6.39,40.

Christus eo die, quo mortuus est, nõ fuit in paradiso.

De loco secundo, Phil: 1.23. *Cupio dissolvi & esse cum Christo*, ita disserit Fr: thes: 110. *Similiter Paulus cupiit dissolvi, & esse cum Christo, non quoad spem recuperandæ animæ tantummodo in ultimo die: siquidem eandem spem circumferebat etiam in ipsis annis suæ peregrinationis. Nihil ergo exoptavit singulare, si animam suam non exoptavit citiùs pervenire in alloquium & conspectum Christi mutuum & personale, ut loqui solent.* Sed Paulus nihil de anima loquitur, nec de anima eum loqui, ulla ratione probari potest; Sed de se toto loquitur, quòd cupiat esse cum Christo, quemadmodum totus dissolvi cupiebat: Quæstio verò instituta postulat, ut probet Frantzius, Pauli animam post mortem superstitem mansisse, quod equidem verum esse credo, hinc verò probari posse, hactenus non perspicio. Deinde longè

Potest anima esse superstes, nec tamen esse cum Christo.

sunt diversa, animam alicujus esse superstitem, & eum esse cum Christo. Cum Christo enim esse, est, frui eadem felicitate, quâ ille fruitur. Posset autem anima alicujus superstes esse, & tamen non frui felicitate illa, quâ Christus fruitur. cùm constet, diem illum ultimum destinatum esse præmio fidelium, ut testantur loca paulò antea citata, & alia illorum similia, ubi Paulus de semetipso disertissimè ait: *Certamen bonum certavi, cursum consummavi, fidem servavi. Cæterùm, reposita est mihi justitiæ corona, quam reddet mihi Dominus, in illa die, justus judex, non solùm autem mihi, sed & omnibus qui dilexerũt apparitionem ejus.* Porrò nihil in Pauli verbis extat, unde vel leviter colligi possit, Paulum cupiisse, ut statim post mortem esset cum Christo. Potest autem aliquis mori, & cum Christo esse, nempe suo tempore, quod S. scriptura alibi, ut ante docuimus, expressit. Denique jure dicere potuit Paulus, se cupere esse cum Christo, quia cupivit, ut anima sua sibi restitueretur in ultimo die, quæ a morte usque ad illum diem, nulla voluptate fruitur. Nam etiamsi spem istam circumferebat in annis suæ peregrinationis: tamen ista spes morte interrumpitur, & res ipsa omnino per eandem eripitur; & nihil impedit, quominùs quis id cupiat reipsâ, quod nunc habet in spe. Et certè nimis singulare est, cupere, ut aliquando ea anima, quam nunc habemus, nobis reddatur, & nos cum ea perpetuò vivamus.

De loco tertio, qui ita habet: *Per quem etiàm spiritibus, qui in carcere, profectus prædicavit*, differens, Eniedini perstringit explicationem, qui hæc verba de gentibus sub V. T. accipit. Sed esto, falsam eã esse; Nũ verum erit, quod affirmat Fr.? Quia Christus prædicavit spiritibus, qui in carcere, olim immorigeris, ergo anima hominis post mortem corporalem est superstes? Intentus in alium Fr., suiipsius obliviscitur. Nos, misso Eniedino, dicim⁹: Sermo hîc est non de spiritibus vel animabus simpliciter, sed de talibus, qui in carcere sunt: At anima hominis (indefinitè loquendo, ut loquitur Fr.) non est in carcere post mortem. Nam si ad Deum redit, quomodo in carcere esse potest? Sermo est de spiritibus, quibus Christus prædicavit: At spiritibus post mortem Christus nihil unquam prædicavit, nec prædicare potuit, nisi brutas Pontificiorum fabulas mundo iterum obtrudere velimus. Sermo est de spiritibus tantùm, quibus Christus in spiritu, quo fuit ex mortuis resuscitatus vel vivificatus, prædicavit: Hi verò quinám sint, investigandum relinquitur. De quo quia supra semel atque iterum diximus, pergo nunc ad alia. Hoc tantùm addimus: si explicationem nostram, quæ per se verissima est, non admittet Frantzius, ad argumenta nostra respondeat, vel potiùs,

quomodo

quomodo ſuam theſin ex hoc loco probare velit, cogitet.

De quarto teſtimonio Apocal:6.9. *Vidi ſub altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter teſtimonium quod habebant, & clamabant* (Fr: habet *laudabant*) *voce magna, dicentes: Vſquequo ô Domine*, &c. tantùm hoc addit th:113. *Vltimum teſtimonium per ſe patet, omninò ἀδιάλυτον.* Teſtimonium hoc quidem ἀδιάλυτον eſt: ſed an id, quod ex eo extruit Frantzius, ſolvi poſſit, videndum eſt. Iam ſi quis dicat, locum illum totum eſſe allegoricum, quid tandem vel mutire audebit Frantzius? Allegoricum autem eſſe, ſi quis hinc non cognoſcit, quòd Iohannes animas illas viderit, (cùm certum ſit, ſpiritum eſſe inviſibilem), quòd ſub altari eas viderit (cùm tamen nullum reipſa altare ſit), quòd non omnium hominum, nec omnium piorum, ſed tantùm interfectorum propter verbum Dei animas viderit, (cùm non poſſint non omnes animæ, præſertim piorum, eſſe ſuperſtites iſto modo, & iſto in loco, ſi ſint ſuperſtites) quòd denique vox illis tribuitur (quæ animabus nulla competere abſque corpore poteſt) is deplorandus eſt potiùs quàm docendus. Locus Ap. 6. allegoricus.

Locum quem allegat Frantzius hac eadem theſi ex Eccleſiaſte 12.7: *Antequam revertatur pulvis in terram unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*, ſolus ferè eſt, qui illud apertè confirmat, hominis animam poſt mortem ſuperſtitem eſſe. Quem, quia nos urgemus, hinc conſtat, calumniâ nos premi, dum de nobis dicitur, quòd negemus, animas poſt mortem ſuperſtites eſſe. Nam qui affertur ex Matth:10.28. *Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem occidere non poßunt*, is hic nihil facit. Sermo enim ibi eſt de tali anima, quæ occidi poteſt, nempe a Deo. Additur enim, *timete autem eum, qui poteſt animam & corpus perdere in gehenna.* Anima autem, quæ idem eſt quod ſpiritus, in gehennam conjici non poteſt, cùm ad Deum redeat, qui eam dedit, & ſit immortalis. Animæ diverſa ſignificatio.

Vltimum verò ex Iacobo, planè ultimo loco poni merebatur: *Sicut corpus ſine ſpiritu mortuum eſt.* Quomodo enim hoc ad theſin faciat, quæ eſt: Animam hominis poſt mortem ſuperſtitem eſſe, ſi explicaverit Frantzius, rem magnam præſtabit. Vide jam, quiſquis es, quàm frigidè rem ſuam defendat Franrzius, & hinc de aliis conjecturam cape.

Sed adhuc in QVINTA SECTIONE probat Frantzius, quòd impii æternis cruciatibus obnoxii erunt. Qua quidem in re, quia nihil de nobis certi pronunciare poteſt Frantzius, mirum eſt, ipſum ita eſſe curioſum & anxiè ſcrupuloſum, ut eam etiam, quam nos non profitemur, refutare velit ſententiam. Et certè id in homine, qui alios docet

Chriſti religionem, vitio non caret, Ego quidem, quod ad me attinet, hanc quæſtionem ſatis difficilem eſſe puto: quæ verò a Frantzio afferuntur, ea non dubito affirmare, rem iſtam nullo modo conficere.

De æternis impiorum cruciatibus loca explicantur.

Locus enim Iob: 5. allegoricè intelligi poteſt, imò debet, ut ſuprà docuimus. Locus Matth: 25. 41. de reſurrectione nihil loquitur, ſed tantùm de iis, quos Chriſtus vivos offendet. Danielis locus c. 12. de captivitate Babylonica, & de liberatione ex illa propriè intelligendus eſt: ad negotium reſurrectionis, non niſi impropriè, pertrahi poteſt. Quod (ut multa, quæ hîc dici poſſent, omittam) vel hoc ſolum evincit, quòd ibi non de omnibus ſit ſermo, ſed de *multis* tantùm. Apoc: 22. 14. 15. nulla item reſurrectionis mentio, quemadmodum etiam Iudæ v: 14. 15. Locus Matth: 10. perditionem tantùm animæ in Gehenna, non cruciatum denunciat. Ignis Mar: 9. 43. inextinguibilis dici poteſt, quomodo etiam ignis, quo Sodoma exuſta eſt, æternus appellatur, cùm tamen hodie is nullus ſit, quia ſcilicet æternum exitium attulit iſti civitati. Filius Gehennæ, de quo Matth: 23. 15. eſt, qui dignus eſt Gehennâ, hoc eſt, ſupplicio gravi. Duplicitas autem iſta manifeſtè docere poteſt, ſermonem hunc eſſe figuratum, cùm in cruciatibus æternis nulli dentur gradus. Verba Matth: 8. vitioſè allegantur. Nam non dicitur ſimpliciter, *veniſti ante tempus torquere nos*, ſed veniſti *huc* ante tempus torquere nos. Vnde patet, ibi non de afflictione aliqua futura in fine mundi, ſed de tali, quæ tunc dæmonibus accidere poterat, ſermonem eſſe, quæ erat, quòd Chriſtus eos ejiciebat ex hominibus inter extraneas gentes, ad quas Chriſtus tunc miſſus non erat. Verba verò illa Ap: 14. 9. 10. & c. 20. 10. nos planè admittimus, & illis fidem habemus, quamvis in eis nulla reſurrectionis mentio fiat. Quæ omnia fuſiſſimè dilatari & probari potuiſſent, ſi nunc cum Frantzio ea de re nobis contendere animus eſſet, quam nuſquam apertè propoſuimus, ſed quam ille ex libris noſtris vi quadam extorquere conatur. Crazeri iterum meminit ſub fine. Quis ſit iſte homo, equidem neſcio: Noſtrum autem eum non eſſe, plus ſatis ſcio. Is pro ſe Frantzio reſpondeat: Frantzius autem eum pro noſtro non venditet.

In Disputationis septimæ de extremo Iudicio parte poſteriori, quia adverſus ſolos Pontificios pugnare ſe Frantzi⁹ fatetur, non eſt quod quicquã in ea diu examinanda immoremur. Attingit ſectione 2. Frantzius ſententiam de materia prima, *quam nos intra cœtus noſtros profiteri ait theſ: 12.*: ipſe verò erroneam eam eſſe probare conatur. Sed ſciat Frantzius, iſtos fide digniſſimos, quorum meminit, multùm fallere vel ſaltem falli. Nec enim ita noſtri

miniſtri

ministri tempore & auditoribus abutuntur, ut ista, tantùm non curiosa, in cætibus tractent: Imò tutò affirmare ausim, plærosque ex nostris hominibus ista planè ignorare, & nihil ea de re unquam audivisse. Non negârim tamen, fuisse & esse inter doctiores, qui diversum ab aliis in hac materia sentiant. Quâ verò prudentiâ Fr: ipse paulò infrà sect: 6., diversas, de modo interitus mundi, doctorum sententias & recenset & censet; qua item æquitate in controversia de quæstione admodum inutili, nempe de statura resurgentium, tractanda & decidenda utitur, eâdem etiam nos in hisce & hujusmodi quæstionibus, quæ nec ad salutem nec ad religionem verè pertinent, jam pridem uti didicisse persuasum habeat. Abundet in eis unusquisque suo sensu, ut Apostolus ait, hoc est, sit unusquisque in eo, quod sentit, quantum ejus fieri potest, ita confirmatus, ut nihil dubitet. Quæ verò 7. SECTIONE iterū intrusit, de mutatione corporum in vita futura, ea hîc denuò tractare non est opus, cùm id alibi suprà a nobis confectum sit. Corpora nostra futura gloriosa, & homines fideles futuros Spiritus vivificantes sacræ literæ testantur. Hoc stante, impossibile est corpora talia olim extitura, quæ carnem & sanguinem habeant. Toto enim genere differunt, caro & sanguis, & spiritus. Quàm autem absurda sit sententia hac de re Frantzii, vel illud docere unumquemque potest, quòd eadem sect: thes: 82. fateri cogitur, impios futuros etiam immortales, nempe in æternum opprobrium. Hoc verò nec usquam sacræ literæ comprobant, nec quicquam ex iis afferri posse videtur, unde sententia illa probari possit. Quæstionis autem illius de statura resurgentium, certè pudere debebat viros Theologiæ studiosos. Nam si spiritus vivificantes futuri sunt ii, qui ex mortuis resurgent, & imaginem Christi cælestis portaturi, quomodo de statura illorum, ut quicquam dicatur, necesse est? Purgatorium nos quidem fabulam esse Pontificiam non negamus: sed tamen nimis frigidè ad ea responderi, quæ pro illo stabiliendo afferunt Pontificii, non possumus non dolere. Hac enim ratione perspicaciores in errore confirmari, nullum est dubium. Deum oramus, ut incrementa cognitionis in veritate sua cælesti omnibus largiatur, qui eam profitentur, & ne permittat, ut astutiâ hominum hujus seculi cælestis veritas supprimatur.

Quomodo in non necessariis procedendum.

REFU-

REFUTATIO PARTIS THESIUM D. WOLFGANGI FRANTZII, De Libero arbitrio.

Quæ est Disputatio ipsius posterior IIX.

IN tota hac disputatione tantùm sub ipsum finem nostrorum meminit Frantzius, qui sentiamus, hominem in libertate voluntatis conditum esse, & eandem nunquam amisisse posteritatem. Adversus peccatum autem originis & per peccatum immissam mortalitatem, ait, nos respondere, peccatum originis nullum esse, & homines ante lapsum etiam mortales fuisse: se verò, in Disput: 2. peccatum originis, & 17. immortalitatem primi hominis demonstrasse. Quæ ratio nobiscum agendi, qualis & quàm vera sit, judicet cordatus lector, tum ex eo, quod hîc asscripsimus, tum ex eo, quod suprà in nominatis disputationibus respondimus. Quod ad ipsum hunc articulum attinet de libero arbitrio, is a nostris explicatus est non uno in loco. Summa est: 1. Arbitrium in homine liberum est. Nam eo ante lapsum præditus fuit, & id per lapsum non amisit, id est, voluntas præstandi Dei voluntatem in hominibus naturaliter inest plærumq;: Vires autem valdè sunt exiguæ, ad præstandam eam, non ob primi parentis peccatum, aut corruptionem propter illud in nos transfusam, sed ob depravationem hominum voluntariam. Porrò vires hominis tantas esse credimus, ut, Dei auxilio accedente, si sibi ipsi vim facere velit, legi divinæ parêre possit. Auxilium autem Dei duplex est: Vnum exterius, nempe promissiones & minæ, additæ legi divinæ. Alterum interius, cùm scilicet Deus vel hominum mentes illustrat ad rectè intelligendam suam voluntatem; vel cùm promissa sua in animis obsignat sibi obedientium. Ad quæ hactenus a nemine quicquam directè responsum est, nec quicquam responderi posse ad ea refutanda, persuasissimum nobis est.

De libero arbitrio sententia.

Frantzius verò non uno modo in hoc toto negotio hallucinatur. Nam & obscurè suam sententiam exponit, & infirmissimè eam defendit. Thes. 3. *Sententiam confessionis suæ*, ait, *esse, quòd habeat humana voluntas omnino aliquam libertatem ad deligendas res rationi subjectas, & ad efficiendam civilem justitiam, sed non habeat vim sine spiritu sancto efficiendæ justitiæ Dei sive justiciæ spiritualis.* Quis verò hinc intelli-

telliget, quid sentiat Frantzius? Nam nec quid sit justitia Dei spiritualis, nec quid per spiritum sanctum intelligat (cùm non una sit Spiritus sancti significatio) explicat. Iam si per justitiam Dei vel spiritualem intelligit obedientiam divinis præceptis præstandam, quid causæ est, cur homo possit efficere civilem justitiam, & non efficere spiritualem? cùm actiones virtutum semper & ubique sint sui similes, & tam is sobrius sit & justus, qui amore virtutis vel duce ratione istis virtutibus studet, quàm qui id facit, ductus amore Dei. Natura virtutum semper eadem est, licet diversæ sint earum causæ & impar acceptio apud Deum. Non enim, quia rectè quid faciamus, sed quia id rectum, quod Deus præcepit, faciamus, Deo sumus accepti, & mercedem pro benefactis sperare possumus. Porrò si per Spiritum S. intelligatur divina revelatio, quæ non semel isto nomine insignitur in sacris literis, certum est, hominem non posse sine illo spiritu justitiam Dei efficere. Nam sine revelatione homo nec perfectè voluntatem Dei scire potest, nec auxilium ad eam præstandam habere, quod utrumque præstat revelatio, præsertim verò Evangelica. In hac enim perfectissimè Dei voluntas proposita est, & auxilium illud duplex promissum omnibus, quibus ista præcepta proposita sunt, nempe vita immortalis, & Spiritus sancti donum: Si verò per Spiritum S. aliquid aliud intelligit Frantzius, quod scilicet vim quandam afferat homini, id totum falsum est & absurdum, quemadmodum etiam in Calvinistis errorem istum jure reprehendit Frantzius.

Virtus quatenus Deo probetur.

Quaten⁹ sine Spiritu S. non possit virtuti studere.

v. [illegible]

Defensio verò qualis sit hujus assertionis, thes: 4. explicavit Fr: dum ait: *Confessionis hujus suæ unicum substraverunt fundamentum* (subintellige, protomartyres, ut eos vocat Frantzius, Augustani,) *ex Epistola* 1. *Cor*:2. *quòd animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. Addiderũt Augustini quoque testimonium &c.* Sed vide quàm infirmũ sit hoc utrumque. Nam Augustini testimonium tantùm humanũ est: Pauli verò testimonium ad rem nihil facit. Aliud enim est, non habere vim efficiendæ justitiæ Dei, & aliud, non percipere ea, quæ sunt Spiritus Dei. Hæc phrasis, insufficientiam tantùm vel ineptitudinem ad cognoscendum aliquid significat, illa ad efficiendum. Potest autem aliquis insufficiens vel ineptus esse ad cognoscendum aliquid: & tamen, postquam illud cognovit, aptus esse ad illud efficiendum. Deinde ea, quæ sunt Spiritus Dei, non sunt virtutes vel justitia Dei & spiritualis. Ea enim, quæ, Spiritus Dei esse, Paulus affirmat, homini animali dicit esse stultitiam: At virtutes vel justitia spiritualis, ut loquitur Frantzius, non videtur homini animali stultitia, præsertim si consideretur, quid Paulus per homines animales hoc in loco intelligat, nempe

Quid sit homini animali stultitia.

nempe eos, qui tantùm sunt expertes divinæ revelationis, licet interim sint homines & ingeniosi & virtutis amantes, quod antithesis vocis spiritualis satis apertè docet. Is enim nemo alius est, quàm qui a Deo illustratus est, sive sit probus sive improbus, & qui non opus habet, ut mens ipsius illustretur; & alioquin certum est, posse tam probum quàm improbum divinæ voluntatis cognitionem habere. Itaque certum est, locum hunc nihil prorsus causam Frantzii juvare. Sensus autem est, Ad cognoscenda ea, quæ Evangelium continet, opus esse revelatione. Nemo enim, quantumvis sit ingeniosus & virtutis amantissimus, unquam ea per se excogitare potest, quæ Deus revelavit. Hæc autem sunt tum ipsa immortalitas, tum verò potissimùm via eam consequendi, per afflictiones & mortem. Hæc enim stultitia est homini nondum illustrato, ut Christus ipse crucifixus est stultitia & scandalum Iudæis.

Quid homo animalis.

V. Hoornb. 1, 630.

V. Steyn. p. 135.

1. Cor. 1, 23.

IN SECTIONE 2. th: 8. 9. 10. inscitè admodum discrimen statuitur inter opera externa & motus cælestes interiores. Nam non minùs externa opera sunt, conversio ad Deum & observatio præceptorum Dei, quàm magistratui obedire, parentes colere: & non minùs vicissim sunt motus interni cælestes, obedire magistratui, parentes colere, ab homicidio, adulterio, furto, &c. abstinere, quàm verbo Dei assentiri, in Christum credere, ad Deum converti, & mandata ejus exequi. Non hæc differentia futilis statuenda erat inter opera hominis, quam non potest non ridere, qui vel tantillum habet rationis & judicii: sed omnia, quæ externè fiunt, externa dicenda erant, quæ internè, interna: & concedendum, tum ad hæc, quàm ad illa motum animi requiri. Inæqualis autem momenti esse apud Deum, ea quæ vel interno motu, vel externè fiunt absque divina revelatione; & non posse comparari cum illis, quæ fiunt sive interno motu sive externè ab iis, qui in hoc toto divinam sequuntur autoritatem, docendum erat. Taceo quòd imperitè nimis miscentur opera externa, edendi scilicet, bibendi, ingrediendi pagos, urbes, tabernas, agros colendi, artem mechanicam exercendi, cum operibus obediendi magistratibus, colendi parentes, cogitandi de honorando creatore. Hæ enim virtutes sunt a quocunque tandem fiant: illa verò minimè. Et si hæc fieri ab hominibus non renatis possint, jam frustra est, adimere illis vim ad efficiendam justitiam Dei, seu spiritualem. Illud porrò de non renatis valdè ineptè huc inseritur. Nam Frantzio tantùm gentes, quæ Deum non norunt, non renati sunt: Omnes autem renati, quicunque sunt baptizati. Et tamen certum est, tam baptizatos, quàm gentes nihil nec nosse nec facere posse boni, nisi eis a Deo id reveletur, &

tur, & adminicula suppeditentur, quæ Deus in Evangelio extare voluit. Præterea *facultatem agendi bonum*, (tale scilicet, quale permittit Frantzius non renatis) *intermittendi malum & suspendendi dubium, non esse perfectè liberam, sed qualem qualem, ob vires voluntatis peccato originali contaminatas, depravatas, impeditas*, fabula mera est. Paulum verò affirmare, *Gentes, quæ ante Christum natum extitère & quæ legem non habent, naturâ quæ legis sunt fecisse (utcunque non perfectè)* fætidum est Frantzii commentum. Nam nec de gentibus, quæ ante Christum fuère, Apostolus loquitur. cùm disertè dicat de illis, qui in cordibus inscriptum ostendant opus legis, quod non nisi de novo fœdere dici solet & potest. Nam nedum ut ethnicus opus legis in corde inscriptum habeat, de Iudæo etiam, qui legem naturâ habet sibi traditam, dici id non posse Paulus testatur, dum ait: *Peccatum non cognovi nisi per legem. nam & concupiscentiam non cognovissem, si lex non dixisset, Non concupisces*; & præterea totum illum locum non nisi ad eos, qui tempore Evangelii vixerant, referendum esse, multa sunt, quæ docent, de quibus nunc non est necesse plura disserere. Nec porrò gentes fecisse naturâ quæ legis sunt, asserit Paulus. Cùm hæc sit planè insolens locutio, naturâ facere quæ legis sunt, sed gentes, quę legem non habebant naturâ, hoc est, quæ cum lege natæ non erant, ut Iudæi, (quo sensu etiam alibi Paulus se & Petrum, Iudæos naturâ, & gentes ex natura præputium appellat) ait, ea quæ legis sunt facere potuisse, vel fecisse, quia scilicet per Evãgelium illis innotuerit; Nec denique ullum istius, *utcunque perfectè*, indicium apparet. Nam de quocunque dicitur, eum facere legem, eum si non perfectissimè, tamen perfectè suo modo eam facere, non verò utcunque, perpetuò præsumitur. Gal. 2. 15. Rom. 2. 28.

IN SECTIONE 3. cujus titulus est: *In quibus rebus voluntas hominis non renati planè nihil possit*, iterum graviter hallucinatur, vel seipsum intricat Frantzius, dum ait, th: 16., *hominem non renatum nihil posse in spiritualibus, nempe in interno assensu in verbum divinum, in conversione ad Deum, agnitione Christi & fide in illum.* Hoc enim eatenus tantùm verum est, quatenus homo non renatus de istis rebus non cogitare potest, nedum ea facere, quamdiu a Deo non illustratur patefactione voluntatis illius: Quamprimum autem divina accedit revelatio, jam ita homo, qui antea erat non renatus, potest ista omnia facere, ut alia opera, quæ ante istam revelationem faciebat, externa.

Rationes quas affert Frantzius, partim infirmæ, partim futiles sunt. Nam quòd ait thes: 17. *Unum & solum Spiritum sanctum efficere virtute & operatione sua ista omnia*, hoc & falsum est. Vbi enim vel hoc vel simile quid legitur in sacris literis, Spiritum sanctum *solum*

 effice-

efficere assensum mentis, conversionem ad Deum, cognitionem Christi, & fidem in eum? & si omissa voce *solum*, id, quod res est, dicatur, nempe Spiritum sanctum ea omnia efficere, tale tamen est, quo non tollitur humana actio. Nihil enim impedit, quominus ad opera sanctissima concurrat tum Dei operatio, tum hominis voluntas & actio: imò ipse Frantzius paulò infrà th:21, parum sibi constans, ait, *solius unius spiritus S. opus esse translationem hominis a statu corruptionis ad statum gratiæ*, & tamen mox addit, *eundem Spiritum sanctum verbo Dei mediante hoc efficere*, & infra Sectione 5. *Verbum & Sacramenta causas conversionis secundas esse contendit*. Altera verò ratio cujus th: 18. meminit, nempe *corruptio ex peccato originis*, tamdiu falsa omnino censenda est, quamdiu peccatum istud originis non comprobabitur. Quanquam etiam hac corruptione data, non video, quomodo id consequatur, quod vult Frantzius. Nam ista corruptio tammodo tamdiu tantùm vim suam exereret, quamdiu non succederet divina revelatio. Huic autem nulla corruptio resistere ullo modo potest, cùm nihil sit impossibile aut difficile credenti. Credere autem quemvis posse, cui Deus se revelat, hinc apparet, quòd id ab omnibus exigitur. Prorsus autem impossibilia Deus, salvâ suâ justitiâ, a nemine exigere potest.

Thes: 22. rursus eundem errorem iterat Frantzius, & seipsum denuò intricat, dum ait, *τὸ velle vera bona pertinentia ad æternam salutem consequendam, penitus interiisse*, & hoc ita explicat: *in hoc velle liberum hominis esse omnino servum, quia scilicet homo nec in mente vim salutis concipere, nec in voluntate ad sectandum illam sese disponere possit*. Hoc enim totum tandiu tantùm verum est, quàm diu, ut suprà diximus, non accedit revelatio Dei, quæ spiritus illius est. Hac accedente in homine, jam ita ad voluntatem Dei amplectendam & faciendam aptus est, ut antea erat ad alia opera bona, quæ externa Frantzius appellat; & per istam revelationem vel per spiritum S., ut loquitur Frantzius, non potestas vel facultas volendi in homine excitatur, sed occasio ei datur id volendi, quod antea velle, quia revelatū non erat, non poterat. *Rationem autem humanam*, ut th:24. affirmatur, *quo plùs secundum suas vires mysteriis divinis incumbit, eo magis fulgore illorum in acie sua perstringi, adeò ut eisdem omnem fidem derogare imò repugnare occipiat*, prorsus falsum est. Nec per illud, quod ex Paulo citatur, quòd ea, quæ sunt spiritus Dei, stultitia sint homini animali, comprobari potest. Paulus enim ibi non de mysteriis divinis, sed de via ad salutem perveniendi potissimùm agit, quæ, ut est stultitia homini animali, sic rursus eidem mysteria divina Evangelii semper

Quid per revelationem in homine efficiatur.

v. Hoornb. 1, 614.

v. Hoornb. 1, 615. 3, 23.

ſemper ſunt ipſa ſapientia, poſtquam ſcilicet revelata ſunt, & ſi alicui myſteria divina ſapientiſſima non ſint, ei non ratio obeſt, ſed defectus rationis, cùm ut parva lux magnæ, ſic ratio doctrinæ Evangelicæ contraria eſſe nequeat. Craſſa hæc eſt plærorumque ignorantia, cujus jam tandem tempus eſſet, ut eos puderet in tanta veritatis luce. Nam ſi hoc verum eſt, fruſtra λογικὸς cultus noſter ſub novo fœdere appellatus eſt; fruſtra omnino Chriſtus rationabiliter docuit, & ex rebus, quas ratio ſuppeditat, de cæleſtibus conjecturam nos facere voluit. Supra rationem eſſe religionem, novimus: at contra rationem nulla nec eſt, nec eſſe poteſt vera religio, nec ulla ejus vel minima portiuncula, ut etiam antea diximus & docuimus.

QUARTA SECTIO de cauſis converſionis hominis nondum renati diſſerit. Hoc contrarium eſſe modò diximus ei, quod ipſe Frantzius paulò ante dixerat, *ſolum unum Spiritum ſanctum eſſe cauſam efficientem converſionis.* Vnus enim ſolus & plura, prorſus contraria ſunt. Et miror ſanè Frantzium tam citò ſibimet ipſi iterum contradicere. Theſi enim 27. *ante omnia,* ait, *Spiritum ſanctum priorem ab extra ad hominem accedere & operationem ſuam in eo exercere* & th: 28. iterum ait, *principium converſionis hominis non renati a Spiritu S. in ſolidum proficiſci.* Hæc enim tollunt illud, Spiritum S. unum ſolum cauſam eſſe converſionis. Nam ubi quid priùs aliquid facit, ibi aliquid aliud poſteriùs idem facere ſubintelligitur: ubi principium ab aliqua re proficiſcitur, ibi, ejus perfectionem aliunde proficiſci, ſimiliter tacitè innuitur.

Accuſandus eſt autem iterum vehementer Frantzius, qui nec hîc nec alibi doceat, quo modo aut qua ratione Spiritus S. in homine ſuam iſtam operationem operetur. Quo non intellecto, tota hæc res mutila eſt & manca. Certum autem eſt, ſpiritum S. nihil operari in eo, qui ſeſe aptum & obſequentem non præbet. Vnde conſtat, hominis voluntatem liberam, licet non ſit cauſa converſionis prima & potiſſima, tamen talem cauſam eſſe, ſine qua nulla unquam futura ſit converſio. Hinc eſt, quod de quibusdam legitur eos ſpiritui ſancto reſtitiſſe.

Porrò & in hoc hallucinatur non leviter Frantzius, 1. quòd ea, quæ de hominis, divinæ voluntatis cognitione non illuſtrati, ſtatu diſſerit ſacra ſcriptura non uno in loco, omnia ad nativitatem iſtam primam, vel ad peccatum originis pertrahit. cùm tamen aniliuni fabularum origo ſit iſtud peccatum originis, quod vocant; & 2. quòd ea, quæ de quibusdam tantùm dicta ſunt, ad omnes in univerſum pertrahit. cùm tamen inter non renatos etiam gradus eſſe ipſa res loquatur, & expe-

rientia testetur; 3. quòd quæ de hominibus, qui Dei cognitionem abjecerunt, & ita a Deo indurati fuerunt, dicta sunt, ad ea transfert, quæ naturaliter, ob corruptionem scilicet ex peccato originis, in eis inesse somniat; 4. Denique quòd, quæ in hominibus prorsus non renatis insunt, nimis exaggerat, quasi scilicet etiam si non possint dici non renati, qui aliquomodo student, &, ut Frantzius cum suis loquitur, propositum habent, Deo obediendi. Cùm tamen certum sit, omnes esse non renatis annumerandos, qui non reipsa ita Deo obediunt, ut secundùm spiritum ambulent, & peccatum illis nullum dominetur.

Qui pro nõ renatis habendi.

QUINTA SECTIO, in qua de secunda causa conversionis organica eaque gemina differitur, quarum una esse dicuntur sacramenta, falsa non pauca ut contineat, necesse est. Illud primum tantùm non blasphemum est thes: 44. *Deum sibi ipsi hanc legem fixisse, quòd cum verbo suo & cum sacramentis suis virtutem ad convertendos non renatos dispensare velit.* Deum enim posse aliquid imò multa extraordinaria facere, nemo sanæ mentis negabit. Per sacramenta verò Deum dispensare virtutem ad convertendos non renatos, fabulosum præterea est. Ejusdem farinæ est, verbum & *sacramenta* esse veluti canales, per quas divinitatis virtutes ad nos & in nos dimanant. De verbo Dei non est, quod contravertamus. Hoc enim Deus ordinarium medium esse voluit, quo homines converterentur: Et bene successit hactenus disputatio Frantzio, quamdiu docuit, Deum per verbum suum homines convertere: At ubi ad sacramenra perventum est, nimis jejunus est. Tantùm enim tria loca thes: 60. adducit 1. est Tit: 3.5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis spiritus sancti.* 2. est Gal: 3.27. (Fr: habet 2.) *Quicunque* (in Christum, quod Frantzius omisit) *baptizati estis, Christum induistis.* 3. est. 1. Cor: 11. *ubi in cœnæ usu mortem Domini annunciare, & ita fidem augere* (ut addit Fr:) *jubemur.* Sed primùm in genere sacramenta esse aliqua docere neglexit. Deinde hoc dato, quod ad 1. locum attinet, non docuit, ibi de baptismo aquæ (qui Frantzio sacramentũ unum est) sermonem esse. Verba enim Pauli de lavacro regenerationis h.e. de lavacro, quod est regeneratio loquũtur. Baptismũ autem aquæ pro regeneratione habere, Idololatricũ quiddam censendum est, præsertim si de pædobaptismo id intelligatur, de quo proculdubio loquitur Frantzius. Hic enim lusus est puerilis, nedum ut cum regeneratione quicquam commune habeat, qua de re suprà suo loco diximus plura. Quid autem sit lavacrum regenerationis, verba mox sequentia, & *renovationem* (sic enim in quarto casu vocem hanc legi posse certum est)

V. Slegm. p. 538.

Quid sit lavacrum regenerationis.

V. Hornb. 3, 282.

Spiritus

Spiritus S., satis manifestè docent. Hæc enim explicatio quædam sunt præcedentium, ita ut vox *Et* hoc loco expositiva sit, quod alibi etiam occurrere suprà docuimus. Alter locus de eo loquitur, quid homines faciant, vel saltem profiteantur, dum in Christum baptizantur, quòd scilicet Christum induant. Quomodo igitur ad id pertrahi potest, quod Deus facit in hominibus convertendis? Et, quod hominibus tribuitur, non eo sensu fieri necesse est, quòd reipsa ii, qui baptizantur, Christum induant. Cùm Christum induere significare etiam possit vitam ejus imitari, qua de causa etiam alibi præcipitur illis, qui jam baptizati erant, ut Christum imitentur & induant. Tantum verò abest, ut is, qui baptizatur, Christum imitetur reipsa & necessariò, ut multi reperti sint omnibus seculis, qui, cùm baptizati essent, multorum tamen peccatorum essent mancipia. Adde, quòd, an quis Christum revera induerit, nemo hominum definitè scire, aut de aliquo prædicare possit, cùm agnitio istius rei potissimùm a corde hominis petenda sit. Dicuntur autem illi, qui baptizantur, Christum induisse, quatenus scilicet professi sunt tunc temporis, se Christum induturos, hoc est, imitaturos. Vnde constat, nos per usum sacramentorum, quæ vocant, profiteri & testari, quòd simus conversi ad Deum, non verò ad Deũ per ea converti. Quod ita se habere ex tertio loco apertiùs perspicitur: Nam Christi mortem annunciare nemo potest, nisi jam ad Deum conversus: & qui conversus non esset, indignè cænam Domini celebraret. Istam verò glossam, quam infarsit Frantzius ad verba annunciandi mortem Domini, *& ita fidem augere*, documento sunt, quàm nervosè, addo etiam, quàm candidè sua probet dogmata Fr:: Quid enim commune habent, mortem Domini annunciare, & fidem augere? Qui enim fide vera & ita perfecta præditus non est, is aliquo modo indignus etiam est usu cænæ Dominicæ. Et quomodo fidei auctio ex eo proficisci potest, quod ego ipsemet facio? Cùm certum sit, confirmationem vel incrementum fidei pendere ex iis, quæ extra nos sunt, quæ scilicet Deus vel extare voluit perpetua, ut sunt inter alia Christi mors & exaltatio; vel etiam quæ promisit, ut est donum Spiritus S. Quid deniq; fidem augere cum eo commune habet, quod probandum est Frantzio, nempe Spiritum S. per sacramenta operari nostram ad Deum conversionem? Nam si egomet ipse fidem per usum sacramenti augere jubeor, jam Spiritus Sanctus eam operatur per sacramenta: Quod verò Spiritus Sanctus operatur, id, ut ego faciam, juberi nec possum nec debeo. Quemadmodum, quia Spiritus S. per verbum operatur conversionem, non opus est, ut homo jubeatur eam operari.

Rom: 13.14.

Quænám fidem nostrã augeant.

Claudicat autē nimis similitudo Fr., quā thesi 61. & deinceps persequitur: nempe ita hominem non renatum nullas vires habere ad sui conversionem, quemadmodum Lazarus nullas ad se ex mortuis resuscitandum vires habuit. Nam nec ex sacrarum literarum analogia sumta est ista similitudo, nec, quicquam in ea veri inesse, ipsa res loquitur. Homines enim non renati vivunt, ideoque apti esse ad omnia suo modo possunt: at homo mortuus, non est. itaque ad nullam rem aptus esse potest. Si dicat, homines non renatos, mortuis assimulari & mortuos appellari, respondebo, inde tamen non consequi, eos prorsus mortuis esse similes. Nam satis est, ut mortui dici possint, si certo modo, licet figurato, tales sint, nempe morti æternæ addicti. Quo sensu etiam regenerati, servati vel glorificati dicuntur, quia scilicet ad salutem & glorificationem destinati sunt.

Sextam sectionem facit Frantzius, *de ordine, quem Deus servat & usurpat in convertendis non renatis.* Sed hoc revera idem est cum eo, quod ante dixerat de causis efficientibus istam conversionem Nihil enim aliud affert, quàm quòd Deus per spiritum suum, verbum & sacramenta homines ad se convertat. Hoc verò quàm ridiculum sit ea ex parte, quòd per sacramenta ab initio mundi homines conversi sint, per se patet. Nullum enim tale sacramentum vel nominare Frantzius potuit, quo Deus ab initio mundi ad homines convertendos usus sit. Verbosus autem nimis est Frantzius, præsertim si leges thesium consideres, in demonstrando eo, quod parum videtur esse necessarium. Nempe omnes ex gentibus, qui aliquam vel Dei, vel eorum, quæ Deus præcepit, notitiam habuerunt, illam ex vicina ecclesia habuisse. Facilè enim id concedent illi, adversus quos ista scribit Frantzius: interim tamen hinc consequi negabunt, eos non habuisse vires naturales præstandi ea, quæ Deo placent. Et sanè non injuria. Nam præter revelationem divinam, datur etiam cognitio eorum, quæ ad Dei voluntatem pertinent, ex ipsa naturæ & rectæ rationis luce, quæ, etiamsi non sit par ei, quæ per revelationem contingit: non est tamen per se mala, sed igniculus quidam flammæ istius ingentis, revelationis scilicet. Reliqua, quæ in hac sectione dicuntur, missa nunc faciam, quanquam multa ad rem & naturam thesium nihil prorsus faciunt.

Septima sectio (quam 6. per errorem fecit Frantzius) hoc habet vitium 1. quòd contra, quàm promiserat in titulo, docere oblitus sit, quid possit voluntas hominis post conversionem, & in aliam hoc differt sectionem. 2. Quòd in ipso actu conversionis minus tribuat, quàm par est, hominis voluntati. Quantumvis enim homo conversi-

conversionem non mereatur, qua in re cum Frantzio facimus: tamen non trunco aut lapidi similis statuendus est, non tantùm non per omnia, (ut ait Frantzius, perstringens Calvinianos) sed nec in ulla re. Ita enim comparata est conversio hominis, ut absque ejus voluntate nullo modo effectum sit habitura.

OCTAVA SECTIO (apud Frantzium 7.) quæ est, *an & quid possit voluntas post conversionem*, nihil habet, quod quoad verba reprehendi possit: Sed, nisi fallor, captiosè nimis & ad perniciem hominis dicuntur ista, *renatum non ex se cooperari Deo in statu novæ obedientiæ*. Nam si prorsus & absolutè hæc verba accipiantur, fiet homo similis trunco vel lapidi, vel securi ligna findenti. nam & illa cooperantur suo modo, mota scilicet ab alio; & ita studium Deo obediendi in hominibus evanescet. Præterea, si nihil homo ex se cooperari potest prorsus, cur ei præcipitur tantopere, ut operetur? *Cum timore & tremore*, ait Apostolus, *operamini vestram salutem*: & alibi, *Perficite sanctificationem vestram in timore Dei*. Phil: 2. 12. 2. Cor. 7. 1.

NONA SECTIO, quæ est Frantzii octava, recenset eos, qui in doctrina de libero arbitrio exorbitârunt extra limites sacræ scripturæ. Quorum omnium errores nos etiam cum Frantzio rejicimus, adeoque ipsorum Synergistarum, quos vocat Frantzius, si modò tales sunt, quales eos hîc describit, nempe qui initium conversionis non a Deo, sed ab homine fieri sentiunt, ut thes: 136. innuitur. Planè enim statuimus, non tantùm initium conversionis, verùm etiam ejusdem incrementum & perfectionem Deo tribuenda esse. Sed ita tamen, ut hominis voluntas ad ipsum conversionis effectum producendum prorsus requiratur. Deus & Spiritus ejus causa sunt efficiens principalis: at hominis voluntas causa est administra, sine qua Deus nihil producit, ordinariè. Sed his ita annotatis, properemus ad alia.

ANIMADVERSIONES IN QVASDAM THESES D. WOLFGANGI FRANTZII, De Causis peccatorum.

Quæ est Disputatio illius posterior IX.

IN hac disputatione nona, quia veritatis patrocinium suscepit Frantzius, adversus quorundam errores non minùs perniciosos quàm absurdos, nos ei planè assentimur. Pauca tamen quædam addere operæ pretium visum est, quibus justam causam juvari posse credimus, quorum hoc est præcipuum: Nihil scilicet absurdi in eo esse, si dicatur, quædam peccata quandoque Deo volente fieri, quatenus sunt pœnæ peccatorum. Cùm certum sit, inter alias peccatorum pœnas, hanc esse unam eamque gravissimam, quando per peccata Deus peccata punit. Itaque facilè concedi potest, Deum Pharaonem indurasse, & alia huic similia procurasse, quia scilicet illi, quos Deus vel induravit, vel ad alia scelera perpetranda compulit, nempe per Diabolum, jampridem mali erant & digni quovis Dei supplicio. Quod in Iudæ proditione inprimis considerandum est. Destinaverat quidem Deus, ut aliquis ex Christi domesticis eum traderet, idque mutari nullo modo potuit: At non fuit ad hoc scelus destinatus Iudas, antequam nasceretur: sed tantùm homo quidam malus, & jampridem dignus, quem Deus puniret. Talis quia Iudas fuit culpâ suâ, antequam esset Apostolus (erat enim fur & avarus) ideò statuendum est, eum a Christo electum fuisse, ut tanti sceleris, nempe proditionis, autor esset. Quod idem etiam de occisoribus Christi statuendum est. Christum mori & multa pati oportuit, divino decreto, ob nostram salutem, ita ferente. Nam & prophetæ de afflictionibus Christi vaticinati erant; Et falsò dicitur, Christum potuisse mori, ut Moses mortuus est, postquam decretum Dei accesserat. Ad has afflictiones ad exitum perducendas Deus istis hominibus usus fuit, qui jam ante ob scelera sua, meriti erant gravissima supplicia. Quod Deo licere nemo negabit, qui considerat, quantum sit Dei in homines sibi immorigeros jus & potestas.

Quatenus peccata Deo volẽte fiunt

Deum primis parentibus dedisse integram legem moralem, & mortem

mortem corporalem ob peccatum immissam esse, errores sunt, quorum hic suprà a nobis refutatus est: ille verò seipsum quodammodo refutat. adeo scilicet puerilis est, & nulla vel probabilitate vel verisimilitudine nititur. Sed his missis, pergamus ad disputat: 12. quâ adversus nos ex professo disputat Frantzius. Nam quæ disput: 10. & 11. continentur adversus Pontificios directa sunt, & nihil nobis negotii facessunt.

REFUTATIO THESIUM D. WOLFGANGI FRANTZII, De causis peccatorum.

Quæ est Disputatio ipsius posterior XII.

IN thesi 3. quâ affirmatur, *nos disputare, Deum non præscire malas actiones hominum, adeoque nescire hodie, quid post annum facturi sint fures, adulteri, homicidæ & calumniatores*, duplex cavillus inest. Primùm enim, non de malis actionibus nominatim, sed de omnibus futuris contingentibus, quà talia sunt, dicimus, ea ita esse comparata, ut sub nullam scientiam cadant, ideoque fieri nequeant. Sunt autem futura contingentia, tam actiones bonæ, quàm malæ hominum. Deinde quid opus erat furum & homicidarum &c. meminisse, & ad illos istam præscientiam accommodare, cùm præter fures, adulteros, homicidas & calumniatores, perplurimæ & infinitæ aliæ sint actiones hominum malæ, quæ in hanc considerationem venire possunt? V. Hornb. 1, 326.

Illud, quod tanquam erroneum nos affirmare ait Frantzius, posse hominem perfectè legi Dei in hac vita obedire, explicandum hoc in loco iterum est, quemadmodum etiam suprà in aliorum thesium examine idem fecimus. Duplex enim datur obedientia præceptis divinis præstanda, & ita duplex perfectionis consideratio. altera est, ut homo nunquam quicquam committat adversus præcepta Dei: altera est, ut in nullo ullius peccati habitu hæreat. Quid verò habitus sit, ex sacris literis & ipsa etiam Ethicorum disciplina intelligi potest. Istam priorem necessariam ad salutem esse non statuimus, sed satis est, ad eam perpetuò tendere: Hanc verò alteram, ut necessariam ad salutem, ita etiam possibilem esse prorsus existimamus. Et rem se ita habere, in- *Obedientia duplex.* V. Hornb. 3, 603, 63.

 finitis

finitis non tantùm rationibus, verùm etiam teſtimoniis ſacrarum literarum clariſſimis comprobari poſſe, perſuaſiſſimum habemus.

In PRIMA SECTIONE expoſiturus Frantzius ſententiã Eccleſiarum ſuarum de præſcientia Dei, quæ etiam ad futura contingentia ſeſe porrigat, eò recurrit th. 9. *quòd Deus prævideat illa præviſione & præſcientia ſua admirabili, imperſcrutabili, inexcogitabili, ſupracæleſti, intra ſeipſam perfectiſſima & toto genere, tota ſpecie, toto cælo, tota terra aliena & infinities infinitiesq; diſtincta a præviſione & præſcientia humana.* Sed hæc verba ſunt Frantzii, eaq; talia, quibus nihil non probari poteſt, quantumvis abſurdum. Non neſcimus, Dei attributa omnia eſſe infinities diſtincta ab humanis rebus omnibus: ſed tamen extra ſacras literas de Deo prædicare imperſcrutabilia & inexcogitabilia, quid aliud eſt, quàm ſuum judicium oſtentare? Quæro enim quomodo imperſcrutabilis eſt iſta Dei præſcientia, ſi eam cognitam habet Frantzius? vel ſi imperſcrutabilis eſt, quomodo eam nobis obtrudit Frantzius? Et ſi ut theſ. 11. ait, *nullum articulum in tota Theologia imperfectiùs novimus, quàm ipſum articulum de Deo*, quomodo ipſe tam perfectam de Dei præſcientia cognitionẽ in hac vita ſibi arrogat?

SECTIONE SECUNDA inſtituere aggreditur, quòd *Deus prævideat etiam malas actiones hominum, antequam fiant.* Sed irrito conatu. Non enim negatur, Deum multa prævidiſſe etiam mala, longè antequàm fierent, quæ ſcilicet certò futura erant: ſed an omnia futura contingentia Deus ab æterno præviderit, hoc in quæſtione eſt. Itaq; pueriliter ſe gerit Frãtziꝰ, dum docet, Deum prævidiſſe Chriſti mortẽ & paſſionem. Hoc enim non tam hominum actio, quàm Dei opus cenſendum eſt, qui omnia, quæ Chriſto acciderunt, decernere potuit divinâ ſuâ ſapientiâ, quæ ad omnia, futura etiam contingentia, paratiſſima ſemper habuit conſilia. Nõ minùs puerile eſt, quòd dicit Chriſtũ prædixiſſe Petro abnegationem. Hæc enim pœna fuit a Deo Petro inflicta, quam evitare nullo modo potuit. Peccata deniq; primorum parentum præviſa a Deo fuiſſe, ſobrio ſenſu dici poteſt, quatenus ſcilicet Deus præſcivit, fieri poſſe, ut Adam peccaret, & ita eatenus etiam iſti malo in iſta ſua divina ſapientia occurrit, decernendo, quid, ſive Adam peccaret, ſive non peccaret, facto opus futurum eſſet.

Quæ verò theſ. 18. de prædictione oppreſſionis & ſervitutis Iſraëlitarum in Ægypto, & de futura fornicatione populi poſt Deos alienos, & derelictione Dei affert, ad ea reſponſum eſt a noſtris fuſiſſimè, nempe quòd ad 1. *prædici potuiſſe iſtam oppreſſionem, quia Deus ſic decreverat:* quod ad alterum verò, *quia id Deus prædixerit, quod veriſimile eſſet.* quæ quomodo impugnet Ftantzius poſtea videbimus. Nunc

hoc

hoc addo, locum adductum a Frantzio ex Psal. 139. nihil huc facere. Verba Davidis sunt: *Intellexisti cogitationes meas de longè, & iter meum & accubitū meū circumdedisti, & omnes vias meas prævidisti, quia non est sermo in lingua mea, qui te lateat* &c. Hæc autē verba non de futuris contingentibus loquuntur, sed de eo, quod suo modo est, nempe coram Deo, qualia sunt, hominum cogitationes & viæ. Has Deum cognoscere & *de longè*, hoc est, antequam homo eas ad effectum perducat, quantumvis eas celet, ex animo fatemur: & Frantzium nos tacitè calumniari dicimus, dum istiusmodi loca contra nos affert, quasi scilicet, quia negamus Deum ea scire, quæ naturâ suâ scibilia non sunt, negemus etiam, eum illa scire, quæ sciri, licet non ab hominibus, a Deo tamen possunt. Ad illud deniq; quod thes. 19. de falsis prophetis & Antichristo affertur, responsum erat, *Deū id decrevisse, ut fieret. solere enim Deum homines hujusmodi rebus tentare.* Ad horum confutationem priusquam accedat Frantzius, recenset sententiam Socini, de ista Dei præscientia. Hac absoluta, ejusdem responsiones ad locos sacrarum literarum a Frantio allatos annectit, & id, quod ad primum locum de prædicatione mortis Christi affertur, refutaturus, sic ait th. 25. *Verum enimverò nunquam uno verbo ex scriptura probatum proposuit nobis Socinus, neq; confirmatum ullo dicto scripturæ exhibebunt posthac Photiniani nostri, fuisse decretum de Messia mittendo, etiamsi primi parentes, aut alii homines post ipsos nunquam lapsi fuissent.* Thes. 26. *Hæc tantùm ideò excogitant Photiniani, quia nolunt concedere, quòd Christus venerit in mundum, ut satisfaceret pro lapsu Adæ, & pro peccatis generis humani, per lapsum Adæ introducti, qua de re supra disp. 4. super artic. 4. confess. aug.* Thes. 27. *Quod etiam Adamum in statu innocentiæ tamen mortalem & moriturum fuisse contendunt, superiùs refutavimus.* Quæ quidem omnia nihil ad rem faciunt. Esto enim, probari non posse testimonio sacrarum literarum, decretum Dei fuisse de mittendo Messia, etiamsi primi parentes non peccassent, num propterea falsum est, quod ait Socinus de præcognito Christo, nempe id eo respectu factū esse, quòd venire in mundum debuerit necessariò ad servandum homines: morti autem etiam destinatum fuisse sub conditione, si homines peccarent? Latebras igitur quærit, & terminos, quos vocant, mutat Frantzius. Deinde verò iniquum postulat Frantzius a nobis. Non enim necesse est, ex dicto scripturæ probari, eo modo, quo verba sua proculdubio intelligit Frantzius, omnia, quæ dicuntur in negotio religionis: sed satis est, ea ex scripturis deduci posse, si non sunt ex rebus ad salutem prorsus necessariis. Ea enim ex dicto scripturæ probari solent & debent, quæ ad salutem prorsus sunt necessaria. Ex qua igitur

Differunt cogitationes hominū & futura contingentia.

Quænam necesse sit ex scriptura ῥητῶς probari.

dicet Frantzius consequentia probatis, Christum venturum fuisse, etiamsi primi parentes non peccassent? Ex ea, ajo, quòd Christus venturus erat ad servandum in æternum homines. Hoc enim ipsum nomen servatoris, quod Christo proprium quodammodo effectum est, satis superq; indicat, & illud: *elegit nos Deus in Christo ad adoptionem*, ut hac de re luculenter testatur Paulus. Tam verò homines Servatore eguisse, si non peccassent, quàm si peccassent, inde constat, quòd omnes ex terra facti erāt ideoq; in terrā naturâ suâ reversi fuissent, nisi Deus eos per Christum servare decrevisset. Hoc verò ita sese habere, suprà suo loco demonstratum est.

Ridiculus autem est Frantzius, qui th: 26. ait, *nos ideo excogitasse hanc de Christo mittendo, etiamsi homines non peccaßent, sententiam, quòd nolimus concedere, Christum in mundum veniße, ut satisfaceret pro lapsu Adæ, & pro peccatis generis humani per lapsum Adæ introductis.* Nam primùm nulla est consequentia in eo. Poterat enim decretum esse de Christo mittendo, etiamsi homines non peccassent: & simul aliud decretum de Christi pro lapsu Adæ satisfactione. Quemadmodum Deus potuisset statuere Christi meritum, si Adam peccasset; non meritum verò, si non peccasset. Deinde si verum est, quod nos dicimus, sponte sua ruit istud, de satisfactione Christi pro Adamo & peccatis hominum, anile & verè prophanum commentum.

Ad id, quod de prædictione abnegationis Petri dictum a Socino fuerat, nempe id etiam a Deo decretum fuisse, quia scilicet dignus erat istâ pænâ Petrus ob suam pertinaciam, quâ Christo semel atque iterum fugam suorum prædicenti, & eam rem testimonio sacrarum literarum, quod erat instar oraculi & decreti divini, confirmanti, resistebat, & tantùm non mendacii arguebat, respondet Fr: th: 28. *id omnino nihil ad rem facere*. Quàm verò ob causam, videamus. Sic igitur ait: *Esto quòd Deus decreverit subtrahere gratiam à Petro: interim tamen non decrevit, quòd ipse Deus velit impellere Petrum ut ter neget Christum, dum bis cantet gallus, sicut ei prædixit Christus. Illas enim circumstantias prædixit Christus. Aut igitur Christus præscivit has circumstantias, aut Deus eas ipsas impulit & complevit. Sed hoc impium. ergo verum illud prius.* At non animadvertit Frantzius, concesso eo, quòd Deus decreverit subtrahere gratiam a Petro, reliqua, quæ ad perficiendum istud peccatum requirebantur, multò faciliùs decerni etiam potuisse. Majus enim est decernere, ut Christi Apostolus Christum abneget, quàm ut ter & certo tempore id faciat. Hæc enim circumstantiæ non ad naturam peccati constituendam,

dam, sed tantùm ad illud exaggerandum, & pœnæ imminentis certitudinem describendam pertinent. Itaque si nulla impietas in eo est, quòd peccatum tam atrox decernitur, sed magna tantùm divina severitas, quomodo impium censendum est, si decernantur etiam quædam circumstantiæ, quæ ad peccatum illud exequendum necessariæ quodammodo sunt? Tantùm enim necesse erat ad hoc facinus exequendum, voluntatem Petri ad breve temporis spacium libertate sua privatam, & quodammodo coactam esse, quod Deum interdum facere posse & solere, nec impium est, nec absurdum, sed tantùm severum Dei judicium, & ira ista, ad quam tardus esse in sacris literis, non uno in loco, dicitur. v. Slegm. p. 120.

Porrò ad prædictionem oppressionis & servitutis Israelitarum in Ægypto, quam etiam ex decreto Dei proficisci potuisse & profectam esse affirmat Socinus, hæc infert Frantzius thes. 30. *At si hæc ita se habent, ut vult Socinus, tum causa peregrinationis Abrahæ, Isaaci, Jacobi & posterorum, nulla fuit alia, nisi ut à peregrinis affligerentur passim, cùm tamen scriptura longè alias causas istarum peregrinationum monstret, nimirum quòd debuit Abraham expectare donationem terræ promissæ, in qua ex isto suo semine nasceretur, & quòd interim, donec veniat tempus completionis Chananæorum, debuit esse Propheta, sicut appellatur expressè Genes: 20. 7. seu reformator gentium generalis.* Thes:31. *Et quia nominatim cap:15.5. Abrahamo promisit Deus, sese ita velle multiplicare semen suum* (ita habet Fr.) *sicut cœli stellas, ut numerari nequeat, an ille in eodem capite Geneseos contra Abrahamum statim alterum decretum putabitur intra sese concinnasse, quòd velit in Ægypto mira servitute imminuere genus Abrahæ v:13?* Th:32. *Utique hæc planè contradictoria sunt, & refutantur fortiùs inde, quòd in ipso descensu in Ægyptum Jacobo Deus noctu apparet in visione Gen: 46. & eum ita alloquitur: Ne metuas descendere in Ægyptum, quia in gentem magnam ponam te ibi.* Th:33. *Ecce quàm magnifica & nonnisi bona promittat Israelitis Deus, & tamen is idem Deus interim, juxta Socinum, decrevit ibi efficere suffocationem infantium Israeliticorum in aquis, ut jure habeat tandem causas puniendi Ægyptios in mari. Quasi vero.* Thesi 34. *Ergo quæ prædicuntur de afflictione Israelitarum in Ægypto futura, ea pertinent ad peccata Ægyptiorum à Deo prævisa, & potuisset utique Deus longè alia via punire Ægyptiorum idololatriam.* Quæ omnia produnt insignem Frantzii inconstantiam. Quomodo enim ex eo, quòd Deus decrevit, ut Abrahami posteritas servitute premeretur in Ægypto, sequitur, nullam aliam causam fuisse peregrinationis posteritatis Abrahami, quàm ut affligeretur? Decrevit Deus, ut

us, ut Christi populus affligatur in hoc mundo. Ergo nulla alia est causa ipsorum in mundo habitationis, quàm ut affligantur. Apage istam collectionem. Deinde, quod huic simile est, ea, quæ tantùm diversa sunt, adversa & contradictoria appellat Frantzius. Nonné enim potuit Deus decernere,& ut expectaret Abrahã donationem terræ promissæ, & esset propheta vel reformator gentium generalis,ut loquitur Frantzius? Nonné potuit Deus decernere,ut semen Abrahæ sicut cæli stellæ multiplicarentur, & Iacobo eandem promissionem repetere, & tamen simul decernere, ut iidem etiam affligerentur & premerentur? Obestné populi alicujus afflictio Deo ad illum extollendum? Quid his omnibus ineptiùs dici potest? Decrevit Deus Christi populo non terram Chanaan, sed regnum suum cæleste gloriosum, & tamen decrevit etiam,ut idem in hoc mundo gravissimè affligatur: Imò si quis opera Dei consideret paulò attentiùs, animadvertet, quòd,quantò magis beneficentiæ is hominibus offert, tantò etiam plus eorum, quæ isti beneficentiæ contraria, & eam destruere posse videntur, plærumque proponit, ut hac ratione ipsius sapientia & potentia tantò illustrior appareat. Vnde constat, non necesse esse, ut peccata Ægyptiorum Deus ulla futura præviderit, ad id,ut per eos affligeret populum suum; sed satis esse,quòd illi jam ante impii fuissent,& digni,quorũ operâ Deus ad affligendum populum suum uteretur. Potuisse Deum alia ratione punire Ægyptios nemo est, qui dubitet: sed, hac etiam ratione puniri eos potuisse, ipsa docet experientia. Miscet autem vera falsis Frantzius dum ait, Deum decrevisse suffocationem infantium Israeliticorum in Ægypto,quia decreverit, ut posteritas Abrahami ibi affligeretur; & Socinum calumniatur, dum eum id dicentem facit. Nec enim necesse est, certas peccatorum species decerni ab eo, qui generatim afflictionem populi sui decernit:sed penes homines ista peccata semper sunt,quibus Deus deinde permittit, ut,quo velint,& qui Deo probetur,modo,populum ejus affligant.

Decretum Dei de aliquo evehendo non tollit afflictionem ejusdẽ.

Ad id verò, quod de prædictione defectionis populi Israelitici a Deo ad idololatriam dictum fuerat, nempe eam verisimiliter factam fuisse, regerit Fr: thes: 35. *Tyrones etiam id falsum esse deprehensuros, si totum 31.& 32. cap: Deut: conjunctim legerint. Nam in signum certissimæ prædictionis & secuturæ dignæ pœnæ jubet canticum componi, ut illo ipso postmodum cantato ipsi sese accusare, & fateri necesse habeant hæc fuisse prædicta & talia ipsos justè pati.* Sed & Tyrones deprehendent,Frantzii in respondendo tum tergiversationem, tum infirmitatem,si,quod Socinus ad demonstrandam suam sententiam attulit, attendant.

tendunt. Socinus enim verba ipsa Dei attulerat, in eodem capite scripta, quibus ratio redditur ab ipso Deo, quare ista de populo Israel prædixerit, quæ talis est, ut cum ista prænotione nullo modo conveniat, & est talis: *Cognovi enim figmentum ejus, & id quod ipse facit hodie, antequam introducam eum in terram, quam juravi.* Præterea addiderat verba ipsius Mosis v: 27. qui idem planè repetit, quod Deus ipsis antea exprobrârat, dum sic dicit: *Ego enim scio contentionem tuam & cervicem tuam durissimam. Adhuc vivente me & ingrediente vobiscum, semper contentiosè egistis contra Dominum, quantò magis, cùm mortuus fuero?* Et ex his omnibus concluserat, tolli potiùs quam confirmari præscientiã istam. Nam quid opus fuisset argumẽtari istis rationibus, si jam, quid illi facturi essent, infallibili cognitione Deus prævidisset? Addiderat præterea, monitionem potiùs, quam certam prædictionem his verbis contineri, & usitatum esse, cùm quenquam ab errore committendo planè deterrere volumus, illi asseverare, ipsum omnino in errorem illum lapsurum esse, ut tantò diligentiùs sibi caveat. Ad quæ omnia connivet Frantzi⁹, & sicco ea pede transit, ac si nusquam scripta essent a Socino; quo candore, judicent alii. Ego sanè antagonistam & refutatorem talem jure me accusare posse persuasum habeo. Nam quid est toties exclamare, & victoriam sibi de Socino polliceri: interim verò ad argumenta ejus, ne unum quidem verbum respondere?

Cantici autem istius scriptio, tantùm, quòd prædicta ista defectio, addo etiam certò prædicta fuerit, docet: sed unde ista prædictio & ejus certitudo pependerit, nullo modo evincit. Possunt autem certa esse alia, præter ea, quæ Deus ab æterno prævidit, nempe quæ ex certis causis, quæ in hominibus etiam esse solent, quas Deus cognitas habet, promanant. Et hinc tyrones, quàm vana sit solutio, quam Frantzius ad responsiones Socini affert, judicent. [handwritten margin note, partly illegible: V. ... 1. 341.]

Illud denique, quod ad prædictiones de falsis prophetis respondet Socinus, nempe Deum solere eos excitare, ut suos tentet atque exploret, itaque posse eum id etiam decernere absque illa prænotione inexplicabili: quòd verò, homines illis falsis prophetis fidem adhibituros, pariter prædicatur, id ipsum tali consilio Dei fieri, quòd velit homines malos aut negligentes, qui veritati non obediunt (quod totum ipsorum culpâ fit) isto modo puniri, ut istis mendacibus hominibus adhæreant; Frantzius primùm imperfectè refert. Sic enim ait th. 36. *De ultimo, nimirum de prædictis falsis prophetis respondet Socinus, sensum illum esse, quòd nunquam d futuri sint approbatores falsorũ doctorum, quos Deus etiam mittere decrevit, ut patefiant multorum cor-*

da. Vnde constat, eum aut negligenter res tractare, aut eas non intelligere, quod in eo, qui tantùm sibi arrogat, ut responsiones Socini contaminationes appellare & de solida earum refutatione non semel gloriari non dubitaverit, valdè culpandum esse nemo non videt. Deinde ineptissimè id refutat th. 37. hoc modo: *Verùm qui caput 24. Mat. integrè perlegerit, ille intelliget non indefinitè tantùm sed & definitè multa a Christo prædici, de destructione politiæ Mosaicæ. Carcerum prædictio, quibus vexabuntur Apostoli, an non est definitum aliquid? An non est definitum Act. 20. 29. quòd ex ipsis Ephesinis, prodituri sint post suum discessum lupi GRAVES? an non sunt illa definita, quæ de Antichristi potentia & augmento, prævisa ab Apostolis ex Dei spiritu revelantur? Vtiq; igitur in specie prævidet & præscit Deus malas hominum actiones.* Quid enim pugnat conclusio refutationis hæc, cum eo quod ait Socinus? Frantzius ait ex cap. Matth. 24. constare, Deum in specie prævidisse malas hominum actiones: Socinus verò ait, Deum decrevisse, ut extarent falsi prophetæ; & voluisse, ut homines, qui sunt mali & ita digni pœnâ, illis adhærerent. Certè nec verba pugnant secum, nec res ipsæ. Frantzius de uno loco Matth. disserit: Socinus ad omnes locos, ubi fit mentio falsorum prophetarum, respondet. Frantzius mentionem facit eorum, quæ adjuncta sunt istis prophetis: Socinus de solis prophetis loquitur. Frantzius destructionem politiæ Mosaicæ recenset inter prophetias de falsis prophetis: Socinus tantùm de iis loquitur, quæ falsos prophetas concernunt. Destructionis autem politiæ Mosaicæ, & falsorum prophetarum prædictionem, multùm differre, nemo puto non videt. Illa enim non ob tentandum populum, sed propter jam commissa peccata populi Israelitici prædicta est: Hanc verò ad populum Dei tentandum prædictam & immissam fuisse ait Socinus, & testantur sacræ literæ. Carcerum verò prædictio, quid huc facit, ubi de falsis prophetis sermo est. Cùm ista prædici potuerint, etiamsi nullus unquam falsus propheta ortus fuisset? Nonnè enim præterea in descriptione persecutionis populi Christi, generatim id prædici potuit, quod ad persecutionem illam pertinet, & species ejus vulgatissima est, quemadmodum ista coram regibus & præfectis constitutio, in congregationibus flagellatio, & his similia, quorum unum huic ex Apostolis & Christi fidelibus, aliud alii ex iisdem contingere debuit? Illud deniq;, quod de lupis gravib^9, (quod nescio cur majusculis literis expresserit Frantzius) prodituris ex Ephesinis, & de Antichristi potentia & augmento prædictum legimus, quæ vel decretum Dei erant de tentando populo Christi, vel pœnæ futuræ humanæ ingratitudinis, ut Apostolus testatur, quid impedit, quo minus prævideri potuerit

ab iis,

ab iis,qui divino spiritu agebantur;& eo modo descripta sint,qui nec personas certas rei illi destinatas,nec quicquam in specie exprimeret? Hoc ita frigidè absoluto, transit ad refutationem argumentorum Socini, quæ affert ad persuadendam suam de Dei præscientia sententiam. Quam priusquam examinemus, non possum non indicare duplicem negligentiam Frantzii. 1. est, quòd hîc ad marginem asscripsit, hanc esse tertiam objectionem Socini, cùm tamen nulla antè fuerit nec prima nec secunda. Nam quæ objectiones Socini facit Frantzius primam & secundam, ea sunt ad objecta adversariorum responsio, vel potiùs multæ ad multa loca ab illis allata responsiones. Sic enim in negotio præscientiæ tractando Socinus progreditur,ut priùs ea refutet, quæ ad stabiliendam illam afferri posse videbantur. Deinde etiam rationes afferat, quare ista opinio admittenda prorsus non sit. 2. est. quòd tres tantùm locos, & ex iis nexas argumentationes Socini, adducit Fr.,quas in conclusione tractatus de præscientia Dei apposuerat: Interim verò argumenta Socini alia,quæ habentur in ejus prælectionibus cap.8., quibus præscientiæ istius inexplicabilis Dei sententiam refutat & evertit, planè omisit. Quam negligentiam,si excusare velit Frantzius,in multò graviorem culpam apud omnes perspicaces incidet. Sed audiamus, quid ex Socino afferat,& quomodo ad id respondeat. Quid pro Socino afferat,th.38. continetur,quæ talis est:

Porrò pro sua sententia obtinenda citat, præter superiora, Socinus hæc argumenta: 1. *quòd Deus Gen.6.6,7. falsò diceretur pœnitere, si priùs scivisset malitiam antediluvianorum.* 2. *Quòd malè scriberetur Gen. 22. Deus tunc scire Abrahamum esse bonum, postquam voluit immolare Filium.* 3. *quòd Num.14. falsò Deus juravit, se introducturum Israelitas in Chanaan, si præscivit peccata, propter quæ non debuerunt omnes in terram benedictam ab eo transferri & introduci.* At quàm insufficiens sit relatio ista eorum,quæ Socinus affert,& simul quàm puerilis & insulsa responsio ad ea Frantzii , is intelliget,qui legerit ipsa Socini hac de re verba, quæ hîc asscribere non gravabor. Sic igitur ait Socinus cap.11.fol.39.Prælect. *Iam verò quod ad sacra testimonia rationesq; inde sumtas attinet, illud tantùm monuisse volumus, plurimos esse locos, qui nullo pacto intelligi aut explicari queant, istâ præscientiâ admissâ: Imò si ea admittatur,multa, quæ Deo in sacris literis tribuuntur, vel falsò tribui, vel ipsum Deum ejus imprudentiæ, quæ ne in hominem quidem cadere,nisi planè dementem, potest,omnino coarguere. Quis enim unquã id intelliget aut explicabit, quod scriptum est Gen.6.6,7. Deum propter hominum iniquitatem , quæ in terra abundaverat, contristatum fuisse? Quis illud, quod ipse Dominus ait eodem lib.cap.22.12,12. se tum demum*

 verè

verè cognovisse, Abrahamum Dei timore esse præditum, cùm filium suum charissimum sibi immolare non recusavit? Quis item illud Esaiæ cap. 5. v. 4. Quid fieri potuit amplius vineæ meæ, & non feci ei? Quid expectavi ut faceret uvas & fecit labruscas? (Sic enim ex Hebr. legendum est) & infrà v. 7. Et expectavit (Iehova exercituum) judicium, & ecce plaga, justitiam, & ecce clamor. Quis inquam hos locos & alios complures satis intelligere aut explicare poterit, si Deum infallibili scientia omnia novisse statuamus, antequam fiant? Porrò quomodo (exempli caußa) id vel verum esse poterit, vel Deo dignum, quod scriptum est ipsum dixisse, Num. cap. 14. v. 12. 22. 23. 28. 29. 30. &c. se videlicet jurasse, quòd introducturus esset in Chananæorum terram populum illum, & tamen propter ipsorum peccatum atq; incredulitatem se ampliùs id non facturum? Quis enim ex ipsis hominib⁹ ita amens est, ut ex animo juret, se aliquid facturum, quod se facturum minimè esse, jam probè noverit; seu causas, cur id nullo modo facturus sit, jam exploratissimas habeat? Aut quid Deo indignius, quàm se aliquid facturum jurare, non animo, sed verbis tantùm? Breviter, neceße est compluribus in locis sacras literas vel corrumpere ac depravare, seu mirabilibus quibusdam interpretationibus quasi tenebris involvere, vel ad Dei ignominiam convertere, si quis Deum omnia, quæ ab hominibus fiunt, antequam fierent, certò cognita atq; perspecta habuisse velit. Viden', benevole lector, quid objiciat Socinus? multos sacrarum literarum locos necesse esse vel corrumpere ac depravare, seu mirabilibus quibusdam interpretationibus quasi tenebris involvere, vel ad Dei ignominiam convertere, si ista Dei præscientia urgeatur. Quod quanti sit momenti ad ostendendam falsitatem dogmatis istius, quis non videt? Hoc autem totum & alia specialiora omissa esse a Frantzio non sine vitio, pariter videre est. Iam verò videamus, quid ad hanc Socini objectionem, cujus probationes sunt loci a Frantzio allati, & alii a Socino additi, respondeat Frätzi⁹. Hoc autem tale est. Th. 39.

Ad quæ nos facillimè respondemus, Deum ea ita vidisse, sicut eventura erant, utpote per se contingentia; & tamen simul antequam evenerunt, serium de illis constituisse judicium, & ad testificandam seriam contra peccata, & de certò infligenda pœna voluntatem suam nunc verbis patheticis magis omnia describere. Facilè est dicere, *facilimè respōdemus*: Sed & an id, quod respondetur, facilimum sit; & an, quod facillimum est, justum & verum sit, considerandum relinquitur. Equidem hîc utrumq; desiderari puto. Quomodo enim facilimè responderi potest per id, quod est difficillimum, & supra omnem captum humanum, quale quid esse contendit Frantzius Dei istam præscientiam? Quomodo verò verum esse potest, quod seipsum destruit, & sacris literis re-

teris repugnat, vel magnam illis vim affert? Dicere, Deum illa, quæ nullo modo sunt, scire, qualia sunt futura contingentia, est sibi contradicere. Nam quod scibile est, illud contingens propriè non est: Quod contingens est propriè, sciri non potest. Porrò si Deus scivit ista contingentia, ut contingentia, quomodo contristari potuit aut debuit, cùm ea fieri videret, quæ futura semper præviderat? Quomodo aliud expectare potuit, quàm futurum certò prævidit? Quomodo jurare potuit, se aliquid facturum, qui sciebat illud futurum non fuisse? Et nihil valent verba, quantumvis παθητικώτατα, quod causatur Frantzius, ad declinandum ista absurda. Nam ista verba pathetica Deo affingere, est unum ex illis, quæ Socinus ait consecutura, si ista præscientia inexplicabilis Dei urgeatur. Nunquam enim Deus id dicit, nec dicere eum decet, quod absurdum est & Deo indignum. Præterea quid ista verba pathetica pertinent ad id, quod etiam affertur, quòd Deus dixerit, se tunc demum cognovisse, quòd Abrahamus Deum timeret, quia filium suum immolare Deo non dubitârit? ad quod exemplum nihil prorsus respondet Fr. Et tamen roboris est maximi. Nam si Deus antea scivit necessariò, Abrahamum ipsi ita obediturum, ut obedivit, quomodo dicere potuit, se tunc demum id cognovisse, cùm ad filium, rogo impositum, mactandum manum & cultrum jam porrexisset? Si tunc demum cognovit, quomodo antea cognovisse dici potest? Ita ut, si penitiùs quis introspiciat omnia responsi Frantzii verba, deprehendet, eum quæstionem ipsam vix tetigisse, nedum ut eam loco moverit aut everterit.

Audiamus conflictus hujus Catastrophen. quæ talis est. thes. 40. *Cætera, quæ disputat, aliquid respectu Dei præteritum & futurum, Socinus, Deum præterita tanquam præterita scire, futura tanquam futura, præsentia tanquam præsentia, Deo non simpliciter præsentia omnia esse posse, ut sunt voluntariæ hominum actiones, quæ nondum revera extiterunt:* Th: 41. *Quod item probari sibi vult, omnia quæ fiunt, antequam fierent, certò futura fuisse; vel ea quæ fiunt, si contingentia sunt, futura fuisse antequam fierent:* th. 42. *Ea partim nos non stimulant, sed illos, quibus prælectiones Socini dedicavit Schmaltzius, partim verò Deum Philosophicè metiuntur, ex modulo humanarum & creatarum conditionum; cùm tamen quid Deus, quid scientia, quid potentia, quid præsentia Dei sit, nos in hunc diem nondum rectè intelligere & docere plenè valeamus, contenti micis, quæ hac de re in verbo patefacto reperiuntur.* Iam non sine lauro ex arena ascendit Frantzius. Pulchrè enim confecta res est, & hostis ita prostratus, ut vires non sit facilè recuperaturus, scilicet. O miserum vel timidum athletam, si ea, quæ hîc dicuntur, partim non

stimulant Frantzium sed Calvinianos, quibus a me prælectiones istæ sunt dedicatæ. Ergo nobiscum facit contra illos? Cur igitur ea non approbat? cur ea tanquam prophana repudiat? Nam non est, quod dicat, partim tantùm esse vera, partim verò Philosophica, cùm tantùm una sit quæstio, & omnia ad eam referri necesse sit, quæcunq; a Socino dicuntur, & hîc a Frantzio repetuntur.

Præterea cur non docuit Frantzius, quid in eo absurdi sit, si ea, quæ de Deo dicuntur, philosophicè etiam considerentur? Fortassis quia alia est veritas Philosophica, alia Theologica. At hæc anilis est nugatio. Philosophia enim nunquam Theologiæ contraria est, sed tantùm illâ inferior. Sed esto tandem Philosophiam esse Theologiæ contrariam. Concedant ergo omnes sanæ mentis necesse est, ut id, quod ratio de Deo sentire non permittit, sentire de eo doceat sacra scriptura. Si verò nec ratio permittat aliquid de Deo sentire, nec sacræ literæ id doceant, jam illud exsibilari jure posse, nemo est, qui pariter non confessurus sit. Doceat igitur Frantzius, sacras literas istam Dei prænotionem inexplicabilem docere, & nos protinus ei assentiemur: aut verissimam eam opinationem (contra rationem) esse sentire pergat, quæ nec in sacris literis continetur, nec cum recta ratione congruit.

IN III. SECTIONE transit ad controversiam, quæ est inter nos & alios de capitis 7. ad Rom: recto intellectu. Quâ controversiâ explicandâ insumit non paucas theses, & deinde, post multas demum ambages, ad defensionem suæ sententiæ & refutationem nostræ accedit. Summa est: Nos sentimus, Paulum in cap: 7. ad Rom: non de se quatenus renatus vel Christianus erat, sed sub sua persona de homine, qui sub lege, & Christi expers fuit: Alii, & unâ cum illis Frantzius sentit, Paulum de seipso, ut renato, loqui. Quam sententiam, nos & falsam & saluti humanæ perniciosissimam esse, dicere non diffitemur. Et, quod ad hoc alterum attinet, testatur id nimis experientia ipsa. Quot enim hominum mille myriades, cùm crederent, satis esse ad regenerationem, si legem Dei approbarent, & de ea implenda tantùm cogitarent, vel tantùm eam implendi propositum haberent, interim tamen bonum, quod volebant, non facerent, sed malum, quod odio habebant, somniârunt istum thesaurum immortalitatis? cùm verò expergefient, reipsâ experientur, se thesaurum nullum habere, sed æternæ damnationis mancipia fore, cùm non, qui legem Dei approbant & implere conantur, sed qui eam revera implent & faciunt, servandi sint, teste universa sacra scriptura. Et dolenda sanè est tanta hominum cæcitas, qui unum hunc

Sensus cap: 7. ad Rom.

locum

locum contra universam sacram scripturam tam pertinaciter urgere, & eum illi opponere non dubitent. cùm in hac tam ardua re, in qua salus nostra agitur, multò consultius esset, in eam partem inclinare, quæ nos ad omne pietatis studium excitare potest, quàm in eam deviare, quæ nos, si non planè impios, saltem omnino negligentes, & ad quævis rectè facta desides efficere potest. Quòd verò ad prius attinet, nempe, quàm falsa sit ea sententia, patebit ex eo, quod ad defensionem nostræ, & refutationem contrariæ sententiæ deinceps dicturi sumus.

Annotanda est autem, antequam ad ipsam rem veniamus, Frantzii, nescio an audacia an ineptia, qui th: 57. optare se ait, ut vivat, & hæc sua legat I. N. vir nobilissimus, contra quem Socinus libellum istum de sensu cap: 7. ad Rom: scripsit. *Sine dubio* enim (ait) *plùs in pristina sententia confirmaretur, immò & de aliis Socinianis dogmatibus dubitare inciperet ille idem.* Tacitè scilicet præsumit Frantzius, se tale quid hîc adversus Socinum allaturum, quod nec ille vir nobilis, nec alii antea viderint, cùm tamen certo persuasum habere debeat Frantzius, & istum virum nobilem, & alios, qui tunc ejus partes sectabantur, si non plura & majoris momenti, saltem istis paria, quæ Frantzius affert, privatim & publicè adversus sententiam Socini attulisse; imò, ut, quod res est, dicam, multò rectiùs totam hanc rem ursisse, quàm ipse Frantzius, Et tamen, re diu multumque deliberata & expensa, tandem & illum virum nobilem, & alios omnes ejus coætaneos & asseclas, veritati divinæ cessisse, & idem cum Socino deinceps usque ad extremum vitæ halitum, de hac, tum etiam de aliis hanc comitantibus sententiis, sensisse.

Post tot & tantas ambages, tandem ad rem se accedere ipsemet fatetur Frantzius. Repetit scilicet denuò, quis sit scopus cap: 7. ad Rom: thes: 58. & rationes deinceps, quibus hunc scopum istius loci esse doceamus, & quomodo has rationes nostras defendamus, recenset. Quæ nunc non assCribo, ne actum agam. Statim enim, in examinanda responsione Fr:, ista omnia repetenda erunt. Refutationē denique 4. SECTIONE objectionū Socini instituit: Sed statim iterum moras nectit. Nam primùm thes: 67. attendendum esse quàm sagacissimè ait ad scopum, quem de 7. ad Rom: capite proponit Socinus, an is sit genuinus, an verò falsus. Hunc autem scopum cap: istius 7. constitui ait, *quasi Apostolus demonstrare voluerit, potissimùm inter cætera, miserum esse statum hominis sub ipsa lege, cùm per se nullas vires habeat ad hominem ex peccati servitute eximendum* thes: 68. Porrò, *quid hæc verba in secessu habeant, nullum lectorem facilè bario-*

le hariolaturum asseverat, ideoque, ut intelligi possint, sensum se illorum ex Catechismo nostro expansurum, quod thesibus sequentibus facit. Adducit autem ex Catechismo thes: 70. eam particulam, in qua de promissis N.F. agitur, quorum duo esse confitemur, unum vitæ æternæ, alterum Spiritus S., quorum utrumque in lege Mosis promissum esse negamus. Hoc absoluto, rursus digreditur a Catechesi ad institutiones Ostorodi, & aliquot ex diversis asscriptis paragraphis th: 72. 73. 74. tandem hæc sex capita ex illis excerpit thes: 75. quæ nostras ait esse declarationes 1. *Quòd sub lege esse, sit nobis nihil aliud, quàm non habere notitiam & promissionem vitæ æternæ, sed tantùm habere corporales promissiones. 2. quòd, esse sub gratia, sit accepisse notitiam & promissionem vitæ æternæ. 3. quòd ii, qui sub gratia sint, propter nullam aliam rem, nisi propter spem melioris promissionis sint promtiores ad obediendum legibus divinis. 4. Quòd etiam illa ipsa spes vitæ æternæ sit spiritus dicendus, qui opponitur legi. 5. Quòd ante Spiritum S., quem Deus dare tandem soleat, tamen homo propter spem istam promissæ vitæ æternæ assentiatur & obediat, verbo legis divinæ 6. Quòd ii, qui sub lege vixerunt, nec habuerunt promissionem vitæ æternæ, fuerint in bonis operibus exercendis remissiores, habuerint quidem voluntatem, sed tantùm, quia magnificis promissis destituebantur, sese ipsos non urserint.* Et hæc sunt ipsa Frantzii verba thes: 75. comprehensa. Quibus hæc addidit thes: 76. *Habes ergo scopum & rationem scopi de 7. cap: ad Rom: ex sententia Photinianorum.* Vbi non possumus non accusare confusionem Frantzii nimis magnam. Scopum enim, quem nos loci illius esse affirmamus, hîc demum se exposuisse ait: & tamen supra thes: 58. eundem, & quidem multò rectiùs & copiosiùs, exposuerat. Si dicat, se nunc plura eruisse ex scriptis nostris, quàm antea asscripserit, verum id quidem est: sed ea & ad scopum explicandum non pertinent omnia, & intacta a Frantzio planè relinquuntur plæraque, præter unum, quod seqq: thes: refutare aggreditur. Quod quale sit, antequam videamus, breviter annotandum est aliquid ad illa cap: 6. quæ ex nostris scriptis excerpta thes: 75. recensuerat. Nulla enim deinceps hoc faciendi occasio futura est, quia ea non refutat Frantzius: Sicco autem ea pede transire, nimis esset supinæ negligentiæ. Hinc autem constabit, an verè hariolatus fuerit Frantzius, quod omni lectori satis superciliosè th: 69. denegavit, in divinanda scilicet mente nostra de rebus non minimi momenti. Falsus igitur est Frantzius 1. dum dicit, nobis *sub lege esse* nihil aliud esse, quàm non habere notitiam & promissionem vitæ æternæ. Hoc enim nec usquam scripsimus, nec revera ita sentimus. Longè enim aliud est, ex verbis

nostris colligere, eos, qui sub lege erant, non habuisse promissionem vitæ æternæ (nam noticiam vitæ æternæ non habuisse eos, qui sub lege erant, nos dicere, calumnia est, cujus contrarium extat tum in aliis libris, tũ etiam in nostro de Christi divinitate libello): & dicere, *sub lege esse*, nobis aliud nihil esse, quàm non habere promissionem vitæ æternæ. Qua de re infrà suo loco plura dicenda erunt. Nam 7. sectione hac de re aliquid ex professo tractat Fr: Falsus etiam est Frantzius, dum hariolatur, nos sentire, eos, qui sub gratia sunt, propter nullam aliam rem, nisi propter spem melioris promissi promtiores esse ad Deo obediendum. Nam ob aliam etiam causam, nempe donum Spiritus S., aptiores eos esse ad istam obedientiam docemus & contendimus. Præterea quid opus fuit hoc annotare ex nostris scriptis, quod ipsissima veritas est, & quod qui non intelligit, magnæ inscitiæ arguendus est? Sola enim spes vitæ æternæ tanti est momenti, ut, qui eam habet, seipsum sit purificaturus, ut ipse Deus purus est, teste D. Iohanne. Simile huic est quartum. Quis enim nescit, spem vitæ æternæ, vel potius Evangelium ipsum Spiritum appellari, & Legi opponi? Nonné enim Apostolus se ministrum spiritus esse ait, non literæ, per spiritum Evangelium intelligens, per literam legem, cùm loco spiritus, statim novum Testamentum reponat, & huic legem opponat. Illud porrò quàm ineptè a Frantzio proponitur, quòd, ante Spiritum S., possit quis assentiri & obedire verbo Dei? Nam si spes ipsa vitæ æternæ spiritus dicenda est, ut jam dictum fuit, quomodo ante Spiritum S. homo assentiri spei vitæ æternæ potuit? Non curavit scilicet Frantzius quid diceret, dummodo nos traduceret. Spiritus S. voce dicimus, tum ipsum Evangelium, tum promissum ejusdem singularissimum appellari. Ergo sine spiritu sancto, in priore significatione accepto, negamus, hominem credere & obedire posse Deo. Hunc autem, in posteriore significatione acceptum, iis, qui jam assensi sunt & obediunt, dari credimus, præsertim verò tunc, cùm aliquid difficile intelligendum, vel arduũ aliquid faciendum aut patiendum est, qui arrhabo vel pignus nostræ hæreditatis appellatur.

[Margin: Cur homines sub gratia promtiores sint ad obediendũ.]
[Margin: 1 Ioh. 3. 3.]
[Margin: Evangelium spiritus appellatur. 2. Cor. 3. 6.]
[Margin: Quatenus ante Spiritum S. homo verbo Dei obedire nõ possit.]
v. Hovnl. 3, 23.
[Margin: 2. Cor. 1. 5. Eph. 1. 14.]

Quod ultimo loco dicitur, cavillis etiam non caret. Non enim simpliciter dicimus, eos, qui sub lege vixerunt, & promissione vitæ æternæ caruerunt, fuisse in bonis operibus exercendis remissiores, sed eos, generatim loquendo, dicimus non tantas habuisse vires *ex ipsa lege* ad Deo obediendum, quantas nos ex Evangelio habere possumus & habemus. Nihil autem impedit, quominùs quis ob promissa minora ardentiùs Deo serviat, quàm alius ob promissa

 maxima.

Obedientia unde potissimùm proficiscatur.

maxima. Cùm obedientia non potissimùm a promissione proficiscatur, sed ex cognitione summæ divinæ majestatis & potentiæ: promissa verò ad sublevandam hominum infirmitatem superaddita sint; nec etiam quicquam impedit, quominùs Deus aliquibus, qui sub lege erant, aliquid revelârit, quod extra & supra legem & vetus illud fœdus erat, quod viris illis divinis, quales fuerunt prophetæ & eorum similes, accidere potuisse, nusquam negamus. Imò in explicat:cap:7.ad Rom:, ubi opus est, inculcamus, quicquid ibi de impotentia hominis ad legem Dei implendam dicitur, id ita accipiendum esse, quatenus is sub lege sit, hoc est, nullas alias vires, præter eas, quas ipsa lex suppeditat, habeat. Sed nunc tempus est, ut videamus, quid Frantzius ad ea, quæ hactenus longa serie recensuit, respondeat. Sic igitur ait:

Th:77. *Sed quid ad hanc admirabilem Theologiam dicemus? utique paucis plurima complectendo, negamus iterumque iterumque negamus, vitam æternam fuiße ignotam & non promißam veteribus ante Christum, & negamus illud propter rationes, de quibus egimus disp: 7. super art: Aug: Conf: 6. ubi solidè probavimus, vitam æternam semper ante Christum notam & piis promissam fuisse.* Th:78. *Stantibus istis nostris argumentis, quæ utique omnino sunt immota, illico actum erit de scopo septimi capitis ad Romanos eo, quem ipsi affingit Socinus. Etenim sponte tunc sequitur, omnino ineptissimam eße illam oppositionem legis & Evangelii, quasi in lege, id est, in verbo legis divinæ vita æterna non fuerit sicut in Evangelio revelata, cùm lex nihil urgeat crebriùs, quàm vitā & damnationem æternam, illam obedientibus, hanc inobedientibus dandam.* Th:79. *Sequitur item blasphemum eße, quòd Spiritus S. non detur, nisi postquam homo jam modò aßensus fuit, & obsecutus fuit verbo Dei, cùm verbum Dei omne tam legis quàm Evangelii sit vehiculum, quo intra nos venit Spiritus sanctus ad pectora nostra emollienda, quemadmodum etiam superiùs fuit probatum, licèt tandem homo non possit legis mandatis, quæ sunt mandata Spiritus S., obedire.* Th:80. *Sequitur, falsissimum esse, quasi sub lege esse, sit idem, quod non habere notitiam & promissionē vitæ æternæ.* Th:81. *Ecce Ostorode, quàm arundineū baculum aßumserit Socinus tuus, & quàm stramineum fundamentum, cui & inniti & superstruere vult sententiā de scopo c:7.ad Rom. Et hoc unum est.* Ad quæ denuo hæc habeat Fr:. Iam enim ista omnia semel confecta erant. Verè admirabilis est ista Theologia, quam Deus nostris ecclesiis, alto suo consilio, revelavit; & id propediem universo orbi Christiano, furiant quantum velint, qui aliter sentiunt, innotescet. Ex ipsis enim sacrarum literarum fontibus hausta est, &, quod admirabilo

rabile est, a nemine eorum, qui Christum confitentur, negari ea, quæ ipsa asserit, possunt: imò omnes in admirationem sui rapit, quicunque ei animo sincero aures adhibent, quantumvis multa vicissim repudiet vel non admittat, quæ alii hactenus tanquam ad eam pertinentia, magno sed irrito conatu tuentur. Vitam autem æternam semper ante Christum promissam piis fuisse, mirum est, quomodo Frantzius dicere ausus fuerit, se argumentis immotis demonstrasse, cùm vix aliquid sit, quod minùs demonstrari possit, quàm hoc ipsum. Remittimus lectorem ad ea, quæ in 7. disp: dicta sunt. Legem autem nihil crebriùs urgere, quam vitam æternam, nonne audax est pronunciatum? Nam omnes, qui idem sentiunt quod Frantzius, obscurè tantùm eam innui in lege, contendunt: Iudæi verò, ejus promissionem in lege nullam extare, sponte sua confitentur, qui tamen, si aliter se res haberet, scientes prudentes nollent tanto sese beneficio spoliare. Quod verò blasphemum esse ait Frantzius, id ipsius inscitia est. Nemo enim dicit, Spiritum S. simpliciter nemini dari, nisi postquam homo jam assensus fuit verbo Dei: sed, donum spiritus sancti, quod promissum est N. F., non nisi illis dari, contenditur. Cæteroquin affirmatur, ipsum etiam Evangelium esse spiritum S., & eos, qui illud annuntiant, spiritus S. esse administros, & qui illud audiunt & amplectuntur, Spiritus Dei participes hoc ipso fieri, tantum abest, ut sine spiritu S. quenquam Evangelio assentiri & eidem obedire posse dicatur a quoquam ex nostris. Sub lege denique esse, idem esse quod non habere notitiam & promissionem vitæ æternæ, nec usquam diximus, nec ex iis, quæ diximus, colligi ullo modo potest, de quo plura pòst. Ecce igitur, Frantzi, quàm firma sit tua ad hoc unum, ut ais, responsio, in qua nuda partim est assertio & gloriatio: partim aperta calumnia vel cavillatio & affictio eorum, quæ nusquam vel dicimus vel cogitamus. Sed jam videamus alia.

Veritatis nostræ confessionis signum.

Lex vitæ æternæ promissionem non habet.

Rom: 8. 9. 1. Cor. 12. 3.

Inter argumenta Socini, quibus docet, Paulum in 7. ad Rom: cap: nō de se ut renato, sed sub sua persona de homine, qui Christi expers, adhuc sub lege est, hoc etiam unum est, quòd Paulus ait: *Ego autem vivebam aliquando sine lege.* Hoc autem de Paulo intelligi non posse, ita probârat Socinus, quia sub lege Paulus natus erat, & in ea ad pedes Gamalielis accuratè institutus. Ad hoc argumentum sic respondet Frantzius th. 82. *Secundò ad illa: Ego vivebam aliquando sine lege. Respondemus solidissimè, omnino hîc quoq; de se loqui Paulum, & intelligere illa ipsa tempora, quando Pharisæus ex Pharisæorum pendebat declarationibus. Quales autem fuerint legis declarationes sub Pharisaismo, Christus Matth. 5. protulit, quando non externa tantùm juxta mentem*

Pharisæorum: sed in primis etiam interna opera a lege requiri monstrat.
Th. 83. *Talia igitur interna intima Apostolus hoc loco pro exemplo, monstrat etiam requisita fuisse in illa lege, non concupisces: Ego peccatum (inquit) non cognossem, nisi lex dixisset, non concupisces. Non facimus nostri fori, quod Hieronymus scribit, Paulum de se, ut juvene loquis tantùm tamen ideo illud monemus, ut videas, Ostorode, esse nostræ ferè istius interpretationis, & tuam non esse necessariam.* Quid est gloriari & arrogare sibi aliquid, vel potius ineptire, si hoc non est? Solidissimè, ait, se respondere, cùm tamen vel nihil prorsus respondeat, vel adeo miserè se gerat, ut vix absque indignatione legi ista possint. Nam præter meram & nudam affirmationem nihil attulit Frantzius. Ait, Paulum hîc de se loqui, & intelligere illa ipsa tempora, quando Pharisæus ex Pharisæorum pendebat declarationibus. Hæc assertio certè probanda erat. Frantzius verò quid facit? Omissa probatione rei tam controversæ, docet quales istæ declarationes Pharisæorum fuerint, & quid (ex mente ipsius) a lege requisitum fuerit, declarat, & tale quid etiam in lege de concupiscentia requisitū fuisse, Paulū monstrare ait. Piget me sanè laboris, quem suscepi, & nisi Frantzius tantum sibi ob has suas plusquam elumbes theses tribueret, & communi studendum esset cōmodo, jampridem illū abjecissem. Vix enim est, quod lectione, nedum responsione dignum sit, ut hîc, sic etiam in sequentibus; & an jure ita conquerar, lectori cordato judicandum relinquo. Falsum est, Christum Mat. 5. declarationes legis, quales Pharisæi afferre solebant, perstrinxisse, ut suprà etiam indicatū fuit. Verba enim sua, non Pharisæorū placitis, sed legis verbis vel sensui perpetuò opponere Christū, inter alia vel hinc constat, quòd dicit, ita dictum esse, & interdum etiam antiquis, quemadmodum ille recenset. At declarationes Pharisæorum non antiquis tantùm dictæ fuerant, sed tunc etiam omnibus dicebantur. A lege etiam intima opera requisita fuisse, non minùs falsum est. Excepto enim unico de concupiscentia peccato, omnia externa tantùm opera requirit: si modò & illud de concupiscentia pro externo non est censendum, saltem ex parte sive suo modo. Sed sint ista omnia vera, quid ad propositum faciunt? Longè enim aliud est, pendere ex declarationibus Pharisaicis, & sine lege vivere: Imò tacita in his orationibus contradictio est. Nam quicunque pendet ex declarationibus Pharisaicis, is eo ipso sub lege vivit, &, sine lege vivere, nullo planè modo dici potest. Illud denique quàm futile omnino est, quod ex Hieronymo affert. Esto enim, eum non tantùm *ferè* sed prorsus esse vestræ opinionis, quid mirum, doctorem Ecclesiæ Romanæ in re tam difficili, & ad veram pietatem introducendam & con-

servandam pertinente, errare, qui in rebus multò facilioribus, & in quibus nulla pietatis habetur ratio, tam graviter erravit. Quæ verò hæc consequentia est, ideo nostram sententiam non esse necessariam, quia Hieronymus eam non sequatur? Pudere sanè debebat Frantzium istarum tam crassarum & ἀλόγων nugationum.

Porrò Socinus in explicando hoc 7. ad Rom: cap:, ait, verba illa, *Gratias ago Deo per Iesum Christum Dominum nostrum*, in parenthesi legenda esse, ne scilicet quis credat, Paulum de seipso exclamasse, *Miser homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus*. Ad hæc perpende quæso benevole lector, quid respondeat Frantzius th: 84. *Tertiò ad parenthesin, quam fingit, respondemus, illam tam aptè ex contextu fluere, quàm aptam protulit Eniedinus sententiam illius, Ioh: 20.28. Respondit Thomas & dixit ei, Dominus meus, Deus meus. Terrore (inquit Eniedinus in libro explicationis locorum veteris & novi Testamenti) & stupore plenus, & extra se quasi raptus exclamat, more hominibus consueto, Dominus meus & Deus meus, quibus quidem verbis non Christum compellat, neque eum Dominum & Deum suum vocat, sed rem inusitatam & admirationem suam summam significat: sicut cùm repente aliquid sive horrendum, sive admirabile nonnullis occurrit, exclamant, Iesus, Maria, &c. Hæc ille. O pudeat vos ejusmodi hiulcitatum!* Hoccine est, non dicam Theologiæ Doctoris, non Christiani, sed cordati hominis? explicationem hominis, quam an nos approbemus, nescit, imò quam nos pro ineptissima habemus, conferre cum sententia ea, quę, etiamsi tandem vera non esset, nihil tamen in se habet, quod jure reprehendi possit? Si verò etiam vera esse probabitur, quantò gravius delictum erit Frantzii? Nonné jure regerere hîc possem: Pudeat Fr: hujusmodi, non dicam responsionum, sed puerilium & anilium rixarum & scommatum? Sed malo, ut hoc lector judicet, & eum officii moneat, quod est, ut ad rem respondeat, & argumenta objecta solvat, siquidem alios refutare & res sacras sanctè tractare, quemadmodum Theologum decet, velit. Nunc quia aliud nihil sperandum est, molestia hæc devoranda est, & pergendum ad aliud. Malevolentia Frantzii

Id quod in priore scripto Socinus simpliciter affirmaverat, de parenthesi constituenda in his verbis, a viro illo nobili, qui similiter, ut Frantzius, illam admittere nolebat, adactus, in posteriore scripto, luculenter demonstrat, fol: libelli 43., nempe nec cum præcedentibus, nec cum sequentibus ea ullo modo cohærere. Nam in præcedentibus *infelix ego homo &c.* liberatorem, ait, quæri. Qui verò liberatorem quærit, nondum liberatus est: Qui verò gratias agit, eum jam liberatum esse. In sequentibus verò, *Igitur ego quidem mente servio legi*

Dei, at carne legi peccati, captivitas denuo describitur, quæ admodum inconcinnè post gratiarum actionem pro libertate, inferretur; & hæc satis fusè, multis dilutis, quæ objici poterant, persequitur. Ad hoc quid respondeat Frantzius, iterum vide, quisquis es. Sic igitur ait thes. 85. *Quartò ad illud, (quis me liberabit de corpore mortis, gratias ago Deo) ubi aut gratias pro liberatione agi, aut primò omnium, aliquam liberationem quæri obiectant, Respondemus, utrumq; hoc in loco fieri, agi videlicet gratias pro misso liberatore, & innui tamen illam liberationem & extirpationem pravarum concupiscentiarum non fore plenam & perfectam, nisi suo tempore, quando mors corporis sequitur.* Th. 86. *Simili enim modo gratiarum actio pariter & consolatio in hoc ipso eodem negotio continetur* 1. Cor: 15.57. *ubi in hunc modum disserit Apostolus, Deo gratias, (sic ex vulgata habet Frantzius) qui dedit nobis victoriam, per Dominum nostrum Iesum Christum. Ecce hîc primò aguntur gratiæ sed secundò attende consolationem, quando victoria contingere plena debet. Hoc in proximè præcedentibus habetur hisce verbis: cùm nimirum corruptum hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, Tunc fiet sermo qui scriptus est. Absorpta est mors in victoria. Vbi est mors victoria tua, ubi est mors stimulus tuus, stimulus autem mortis peccatum est, virtus autem peccati Lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam &c.* Appello hîc primùm judicium omnium, qui ea pauca, quæ modò ex Socino allegavi, legent, & multò magis, qui ipsum libellum Socini unquam legerunt aut lecturi sunt, an fideliter & integrè argumentum Socini apposuerit Frantzius (si modo etiam satis id diligenter consideravit cum legeret). Quomodo igitur responsio legitima speranda ab eo, qui argumentum vel non assecutus est præ negligentia, vel saltem non fideliter apposuit? Quod verò pro responsione affert, nonné ab illo viro nobili, adversus quem libellum suum scripsit Socinus, allatum fuerat, & à Socino abundè refutatum? nempe non cohærere hæc duo: liberatorem quærere, & pro liberatione gratias agere. Commētum autem esse, liberationem illam non plenam futuram, nisi suo tēpore, quando mors corporis sequitur, & tunc Socinus dixerat & ego nunc iterū dico. Paulus enim non de perfecta & plena liberatione sed de liberatione simpliciter, loquitur, & eam nullo modo ei contingere posse innuit, de quo loquitur, quādiu in eo statu maneat, quem ibidem describit. Vnde colligi potest, ipsum Fr: quodammodo videre, quòd ista duo inter se non cohæreant, nisi scilicet addatur aliquid, quod tamen nec in contextu apparet, nec ulla justa de causa apparere potest. nempe de plena ista liberatione. Dissimilis autem est omnino locus

a Fran-

Dissimilitudo locorum 1. Cor: 15. & Rom: 7.

a Frantzio allatus ex 1. ad Cor: 15. huic nostro. Nam præterquam, quòd non sunt verba sequentia ulla post ea: *Deo gratia, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum*, unde appareat, ea esse legenda in parenthesi, & non cohærere cum præcedentibus; quod non minimi sanè hac in re momenti censendum, & omissum non sine dolo est a Frantzio, nulla talis exclamatio, quæ gratiarum actioni contraria esset, præcesserat. Nam quæ præcedunt, insigne Dei beneficium in fideles olim conferendum continent, nempe tunc, cùm corruptibile hoc induerit incorruptibilitatem, futurum sermonem, qui scriptus est: *Absorpta est mors in victoriā, ubi est mors victoria tua, ubi est mors stimulus tuus.* Quam tanti boni descriptionem, quàm justè consequatur ista gratiarū actio, nemo non videt. Imò ipse Frātzius agnoscit, gratiarum actionem antecedere consolationem, quando victoria contingere plena debeat. Quid mirum igitur est, post enarratam consolationem tantam succedere; gratiarum actionem? At in loco ad Rom: non consolatio, sed querela gravis & desperabunda exclamatio, gratiarum actionem antecesserat. Si quis alius dicere velit (quod Frantzius non dicit) verba, quæ in loco ad Cor: præcedunt gratiarum actionem, miseram etiam quodammodo describere conditionem eorum, quorum nomine Paulus Deo gratias agit, & tamen statim gratiarum actionem succedere; respondeo primùm, verba illa non verè statum aliquem deplorandum describere, sed tantùm egregiè docere, quî fiat, ut homines in morte detineantur, nempe quia peccârint; & hoc iterum jure eos in morte detenturum, quia divinam voluntatem cognitam habuerint. Deinde etiamsi miseram conditionem describerent, jure etiam in parenthesi inclusa esse, censeri debere dico, ita ut gratiarum actio cum paulò remotioribus sit conjungenda, quibus illa de morte & inferno gloriosa victoria describitur.

Argumentum porrò Socini, quo in cap: ad Rom: 7. non de homine renato agi, docere voluit, hoc etiam est, quòd nihil tale alibi in sacra scriptura de renatis hominibus inveniatur, contraria verò plurima. Itaque ex his plurimis potiùs judicium faciendum, quàm ex uno, quid de hominis renati qualitate statuendum sit. Ad hoc sic respondet Fr: th: 87. *Ad quintum, quasi alibi non reperiantur verba quoad sensum similia & æquipollentia hisce verbis Rom: 7. Non quod volo hoc facio, video aliam legem in membris meis &c. respondemus, omnino δ᾽ιαῤῥήδ᾽ην similia contineri Gal: 5. 17. Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem, Hæc enim sibi invicem adversantur, ut non, quæcunque vultis, illa faciatis. Ecce. Etsi verò versionem hujus loci latinam suspicione aliqua gravare nititur, tamen frustra nititur.*

stitur Socinus, ut ex lectione libri cuivis cordato constabit, & est ille conatus certissimum indicium malæ caussæ in Socino. Primùm aut, non *similia*, sed simile contineri dicendum erat Frantzio. cùm unum tantùm locum similem (ex mente sua) afferat: aut si similia dicere voluit, plura afferenda erant loca. Deinde non omnino *διαῤῥήδην* similem esse locum allegatum, prolixè docuerat & accuratè Socinus. Docuerat enim primùm, non dicere Paulum, quòd in renatis sit caro & spiritus, adeoque carnis adversus spiritum concupiscentia: sed, ubi est caro, ibi eam adversus spiritum concupiscere, & rursus, ubi est spiritus, ibi eum adversus carnem concupiscere. Deinde verborum illorum sequentium: *Hæc enim sibi adversantur, ut non, quæcunque vultis, illa faciatis,* eum sensum esse demonstrârat, qui contrarium continet. Nempe ideo sibi adversari spiritum & carnem, ne fideles faciant, quæ velint, hoc est, quæ caro concupiscit. Idque verum esse verbis Apostoli præcedentibus comprobârat, quibus ait: *Spiritu ambulate, & concupiscentias carnis non perficietis.* Quorsum enim attineret ita monere fideles, si quæ volunt, mala, non possunt non facere, & bona, quæ volunt, facere non possunt? Quæ omnia suo more Frantzius præterit. Præstabat autem ea refutare potiùs, quàm accusare Socinum, quòd latinam hujus loci versionem suspicione aliqua gravare annitatur quidem, sed frustra. Hoc enim facilius est dicere quàm probare. Conatum verò illius, certissimum esse indicium malæ causæ, a Frantzio jam desperabundo dictum esse videtur. Num hoc est argumentum malæ causæ, si quis non tantùm argumenta certa ad quæstionem pertinentia afferat, sed ipsam etiam versionem parùm rectam esse accuratè doceat, idque contra aliorum sententias & censuras firmissimè & scrupulosè etiam muniat? Hactenus creditum fuit, eos malæ causæ patrocinari, qui argumenta adversariorum vel prætereunt, vel parum candidè allegant, vel tandem vim eorum declinant, quod Frantzium facere satis abunde docuimus: Nunc verò audimus, eum qui non tantùm solida affert, ad aliquid comprobandum, argumenta, sed nihil etiam non removet, quod quovis modo, apud emunctæ etiam naris homines, causæ suæ obesse possit, causæ suæ malitiam prodere. Sed quæ denique similitudo est inter loca, quæ ex c. 7. ad Rom: afferuntur, quale est illud, *non quod volo bonum hoc facio,* & hunc ex Epistola ad Galat.? Locus enim ad Romanos, prorsus non permittit, ut homo carnem superet: At locus ad Gal: nihil tale continet. Potest enim fieri, ut caro adversus spiritum concupiscat, & tamen spiritus superet carnem. Carnem verò ita adversari spiritui, ut homo nunquam, quod vult faciat, egregia sanè hominis Christiani descriptio, egregia consolatio

Dissimilitudo loci Rō. & Gal. 5.

solatio est. cùm constet, eos tantùm ingressuros in regnum cælorum reipsa, qui faciunt voluntatem patris, qui in cælis est.

Addiderat etiam Socinus, inter alia, descriptionem hominis renati & non renati, ut constaret, Paulum in c. 7. ad Rom: non de renato loqui. Descriptio talis est: Non regeneratus est, qui peccatis implicitus est, hoc est, qui vel unius pluriumvé peccatorum habitum habet, vel, sibi peccandi occasione oblata, a peccando nō adeo frequenter abstinet: Regeneratus verò nec ullū peccati habitū habet, &, sibi peccādi occasione oblata ut plurimū à peccando abstinet. Qua descriptione equidem nescio, an aliquid rectius & religiosius dici potuerit. Ad hanc sic respondet Frantzius th:88. *Ad sextam quod attinet, non habebit Socinus in eo nos admodum refragrantes, quia quandiu Spiritus potior est carne, tam diu statuimus hominem esse renatum: ita tamen, ne prætereatur illa, quæ in renato pro fundamento est constituenda, fides vera in meritum Iesu Christi.* Thes:89. *Hoc igitur fundamento præmisso in secundariis reliquis jam indigitatis, facilem assensum nostrum acciperet Socinus. Ipse tamen in secundariis urgendis talem sese præbet, quasi nostræ ecclesiæ de istis nihil omnino scivissent vel scirent.* Vbi primùm lætamur, quòd, non admodum refragantem nos Frantzium cum suis habituros, in hac re tam ardua, polliceatur Frantzius. Hac enim sarta tecta manente, & salus æterna nobis omnibus speranda est; & fraternitas Christiana coli inter nos posset & deberet: sed tamen, quia veritas inquiritur, non possumus non indicare, quid adhuc desideremus in Frantzio. Cupimus, ut non tantùm, non admodum cum suis in iis refragetur veritati, quæ de vera pietate tradimus, vel quæ potiùs sacræ tradunt literæ, sed nihil prorsus: imò ut ambabus manibus eam amplectatur, sine qua salus nostra prorsus nulla est. Istam verò appendicem de fide in meritum Christi, non opus erat ullo modo hîc assuere. Quis enim sacrarum literarum locus vel unicus meriti alicujus Christi meminit, cùm hæc vox planè barbara sit in Theologia, & nullum in ea prorsus locum habere queat, adeo ut nec vocem ullam in linguis sacris excogitari posse vel saltem extare dicant viri docti, quâ meritum exprimi possit. Quid præterea est fides in meritum Christi? Fides certè, propriè loquendo, nemini nisi personæ, eique divinæ debetur: in meritum autem Christi, etiamsi id tandem extaret, fidem requiri, planè insolens & exoticum quiddam est. Præterea, si fidem in Christi meritum, idem esse dicat Frantzius, quòd fidem in ipsum Christum, præterquam quòd hoc aliter se habet, pietatem illam, de qua nunc nobis sermo est, fidem illam in Christum esse, vel ejus, ut Iacobus loquitur, complementum & formam

Regeneratus quis.

Vox meriti inusitata in s. literis.

formam seu animam, consideret, qua de re suprà suo loco plura diximus. Itaque nedum ut fides in meritum Christi fundamentum, nescio quod dici possit, sed nec ipsa vera fides in Iesum Christum fundamentum ita appellari potest, ut vera pietas aliquid sit secundarium, ut Frantzius loquitur. Quemadmodum enim anima non est secundarium hominis, sed essentiale & formale: ita opera vel pietas Christiana ipsa sunt fidei Christianæ forma & essentia. Ratione quidem aliqua distingui potest, fiducia in Deo per Christum collocata, a vera pietate & obedientia: sed reipsa nullo modo. Nam quamdiu deest ipsa pietas & obedientia, tam diu fides illa nondum habet sui experimentum aut complementum, sed adhuc imperfectum est prorsus aliquid. Vnde ista non minùs arguta quàm divina D. Iacobi verba: *Vides quòd opera cooperabuntur fidei illius, &, (quòd) ex operibus fides consummata est.* Videbatur potiùs Deo confidere Abraham, quàm revera confidebat; vel saltem cæperat tantùm Deo confidere, priusquam Deo, ut in aliis, sic etiam inprimis in immolando filio suo obediret: Tunc verò, cùm ad Dei mandatum filium suum unigenitum obtulit, fides illius verè in lucem prodiit & completa est, qua de causa statim addit D. Iacobus, *Et impleta est* (nempe quando Deo Abraham obedivit) *scriptura, quæ dicit: Credidit Abraham Deo,* &c. Quid quæso elegantiùs aut vividiùs dici potuisset ad explicandam naturam fidei, atque hoc est, tunc scilicet scripturã, quæ testatur de Abrahamo, quòd Deo crediderit, impletam esse, cùm Dei præceptũ Abrahã implevit? Si dicas, Paulũ aliam in Abrahamo fidem considerare, nempe quòd crediderit Deo promittenti sibi filium ex Sara. Respondeo, fidei illi, hoc est, persuasioni certæ de promisso Dei sibi facto, propterea tribui a Paulo justificationem, quia fieri non possit, ut is Deo non confidat etiam, & eidem obediat, cui de promissis ipsius certissimè & optimè persuasum est. Quemadmodum etiam fidei, quòd Deus Christum ex mortuis resuscitavit, quam Paulus ibidem ad fidem istam Abrahami accommodat, tribuitur alibi salus ab eodem Paulo, quia scilicet impossibile sit, ut is, qui credit, Deum ex mortuis Christum resuscitasse, Deo non confidat, eique obediat. Hæc ita breviter denuò hoc in loco addere libuit, quantumvis suprà ea de re non pauca dicta sint, ut, quantum ejus fieri potest, non tantùm erronea, sed etiam perniciosa ista, de exiguo nimis valore bonorum operum, sententia, ex animis hominum eradicari queat.

Opera sunt complementum.

Rom. 4. 18.

Rom. 4. 24. & 10, 8.

Non erat autem, quòd ægrè ferret Frantzius, si Socinus ita se gerat in doctrina de regeneratione, ac si Ecclesiæ Frantzii de illa nihil

nihil prorsus scivissent vel scirent. Hoc enim Socinum facere nec memini, nec cur faceret, ulla erat causa, cùm adversus alium tunc disputaret; imò vix sperabat, hæc aliquando impressum iri: & certè impressa non fuissent, nisi idem ille vir nobilis, cum quo res illi erat, id precibus ab eo extorsisset. Sperabat enim, eadam ratione alios etiam ex isto errore eripi posse, qua ipse ereptus erat; & denique nullam Socinum injuriam fecisse Fr: & ejus Ecclesiis vel hinc patet, quòd ea planè pro sua & suarum Ecclesiarum sententia de regeneratione haberi velit, quæ ex Segedino quodam, de quo etiam, nescio qua de causa, certè satis ineptè, dicit, eum Socino præ aliis sine dubio placere, asscribit, quæ talia sunt th: 91. *Distinguendum esse inter peccata, quæ per carnis infirmitatem subinde à baptizatis admittuntur, & relapsum, quo prorsus à religione, professione & gratia Christi in pristinam impietatem relabimur. Non quodvis peccatum præcedentem gratiam extinguit: extinguit verò reditus ad pristinam impietatem, tanquam ad vomitum. Aliud est pedes post lavacrum sordidare, & aliud est toto corpore in volutabro luti, instar suum, denuò volutari. Hæc ille.* Hæc enim verba produnt, nondum scire Segedinum, nec Frantzium, nec ejus Ecclesias, quid de regeneratione sentire debeant. Nimis enim liberaliter, imò liberè & licentiosè dictum est primùm, peccata per carnis infirmitatem *subinde* a baptizatis (qui proculdubio iidem sunt Frantzio cum regeneratis) admitti. Nam qui subinde peccata committunt quacunq; de causa, ii renati non sunt. Idque eò magis, quòd quis subinde per carnis infirmitatem peccatum admittere possit, etiamsi occasio peccandi nulla offeratur, sed ipse eam captet & arripiat: Renatus verò subinde tunc etiam non peccet vel peccare non debeat, cùm occasio peccandi aliunde offertur. Deinde non minùs etiam illud imprudens & indulgens est: *Non quodvis peccatum præcedentem gratiam extinguere: extinguere verò reditum ad pristinam impietatem tanquam ad vomitum.* Videtur enim, quodvis peccatum, de habitu peccati cujusvis accipi, ut pote qui pristinæ impietati & reditui ad vomitum opponatur. Nimis autem certum est, id gratiam præcedentem extinguere, cùm non tantùm is, qui omnia vel multa a Paulo enumerata opera carnis faciat, sed qui *talia*, hoc est, quodcunque ipsorum *faciat*, hoc est, habitum illius habeat, dignus sit morte & regnum cælorum non sit hæreditaturus. Vnde alibi iterũ non dicitur, fornicarios, idololatras, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, avaros, ebriosos, maledicos, rapaces: sed, neque fornicarios, neque idololatras, nec adulteros, nec molles, nec masculorum concubitores, nec fures, nec avaros,

Regenerati non peccant subinde, etiam data occasione.

Vnicus peccati habit⁹ damnat. Gal: 5. 19.

1 Cor 6. 9, 10.

avaros, nec ebriosos, nec rapaces, &c. regnum Dei possessuros, gravissimè simul & religiosissimè affirmatur, ut scilicet constet, quemadmodum ad salutem acquirendam omnium virtutum habitu opus est, ita unius peccati habitum ad eandem perdendam sufficere. Verùm quidem est, reditum ad pristinam impietatem tanquam ad vomitum extinguere gratiam præcedentem: sed non solùm reditus ad istam impietatem, verùm etiam reditus ad unum peccatum, imò vel mansio vel reditus ad negligentiam in officio Christiano facien-
Apoc.3.16. do (quæ per tepiditatem a Christo describitur) satis est ad amittendam vitam æternam. Si enim, ut Apostoli verba huc accommodem,
1.Pet. 4. 18. justus vix servabitur, illi qui negligentes sunt, & multò magis, qui subinde peccata committunt, ubi parebunt? Et multi, ait Dominus,
Luc.13. 24. volent intrare, & tamen non intrabunt, quia scilicet, inter alias causas, non isto modo, quem Deus præscripsit, sed quem ipsimet imaginati sibi sunt, ingredi voluerint. Sed de hoc nunc tantum dixisse sufficiat: Reliqua ex responsione nostra ad disputationem nonam superiorem Frantzii, ad quam etiam lectorem ipse Frantzius relegat, peti possunt, & ex aliis non paucis nostrorum in publicum editis tam Germanico quàm Latino sermone libris.

Antithesis regeneratorũ & nõ regeneratorum.

Instituerat denique Socinus, ad ostendendum in cap: 7. ad Rom: de homine renato non agi, comparationem egregiam aliquot locorum sacrarum literarum, quæ planè contrarium de renatis testantur
Gal.5. 24. alibi. Nempe quòd renatus crucifixerit carnem unà cum affectibus & concupiscentiis, contra id, quod peccatum in eo operetur omnem
Rom. 6,2,6, 11.12,14. concupiscentiam: quòd in renato corpus peccati destructum sit adeo, ut & ipse peccato mortuus sit, nec peccatum in ipso ampliùs regnet, aut dominetur, contra id, quòd in eo peccatum adeò vivat, ut il-
Rom.7.5, & 8.8,9. Rõ.6. 18,22. Rõ.8.1,4,13. lum morti mancipet atque occidat: quòd homo renatus non ampliùs sit in carne, contra id, quòd carnalis sit: quòd homo renatus liberatus sit a peccato, contra id, quòd venundatus sit sub peccato: quòd homo renatus non secundùm carnem, sed secundùm spiritum ambulet, & spiritu actiones corporis perimat, contra id, quòd bonum, quod vult, non faciat, quod autem non velit malum, id agat: quòd ho-
Rom.8.2. mo renatus liberatus sit a lege peccati, contra id, quòd captivus est legis peccati: quòd denique homo renatus liberatus est a lege mortis ibid: contra id, quòd is de quo Rom: 7. sermo est, detinetur a corpore mortis, hoc est, ab ipsa morte, a quo liberari miser cupit: Quæ sanè oppositio adeo robusta & evidens est, ut nec everti, nec obscurari possit: & tamen Frantzius credidit, se breviuscula responsione, & longa de

ga de cap: 7. ad Rom: sensu eaq; nuda assertione funditus eam sustulisse. Sic enim ait th: 93.

Ad septimum & ultimum, in quo omne refugium causæ suæ repositum habere videtur Socinus, respondemus, conciliationem particularem in tabella oppositarum nimis esse facilem. Nam quæ latere tabellæ sinistro ex cap: 7. ad Rom: proferuntur, illa omnia ab Apostolo dicuntur de concupiscentiæ interioribus motibus verè intimo spirituali sensu legis taxatis, semper ad mortem usque homini molestiam creantibus, hominem invitum ad alia externa peccata incitantibus, quæ verò in latere tabellæ dextro ex aliis locis afferuntur, illa pertinent ad peccata ex concupiscentiæ interioribus motibus excitata, & in apertum actum producta, consummataque. Primùm ipse sibi animum addit verbis. Nam etiamsi vera essent ea, quæ deinceps affert omnia: tamen, facilem & nimis facilem esse conciliationem istam, nemo intelliget. Ita enim obscurè seipsum explicat, ut interdū ipse videatur sibi nō valdè constare, quod ex lectione eorum, quæ hîc in thesibus suis, cum magna lectoris nausea, miro glossas interserendi modo, adscripsit, ad oculum apparet. Deinde quid ista conciliatione frigidius & ineptius dici potuit? Nam in cap: 7. ad Rom: non de motibus concupiscentiæ interioribus, semper ad mortem usque homini molestiam creantibus, & hominem invitum ad alia externa peccata incitantibus, sed de tali & tanta concupiscentiæ vi agitur, quæ hominem in perpetuo peccati servitio reipsa detineat. Potest autem alicui molestiam concupiscentia ad mortem usque creare, & hominem invitum ad externa peccata incitare, etiamsi peccato non sit mancipatus, nec malum, quod non vult, faciat. Quæ verò in altero latere tabellæ afferuntur, quo tandem modo dici possunt pertinere ad peccata ex concupiscentiæ interioribus motibus excitata, & in apertum producta consummataque, cùm prorsus contrarium in eis dicatur de homine renato, in illo nempe peccata (ut plurimùm saltem) nunquam excitata in apertum actum produci aut consummari, sed eum motus interiores concupiscentiæ reprimere & perimere. Ita scilicet contrarium per contrarium Frantzius nobis explicat. Equidem quid hîc statuendum sit, vix dispicio: Causam verò suam turpissimè prodere Frantzium, qui hinc non perspicit, is nimis supinus rerum æstimator censendus est. Probârit igitur Frantzius, quod a th: 94. incipiendo facit usque ad 109, Paulum 7. ad Rom: cap: agere de interioribus concupiscentiæ motibus, quos infirmitas gignit in homine contra suam voluntatem; docuerit etiam, quæ sint causæ, quò minùs perfectè possit curare, ut planè nullum vel sit vel dominetur peccatum in mortali suo corpore,

quid hoc ad propositum, nisi doceatur, hominem eum renatum esse posse, qui peccato sit mancipatus, & qui non, quod vult bonum, faciat, sed quod odit, malum?

Quanquam quomodo sibi non constet Frantzius, adeoque quàm mala sit, quā defendit causa, considera. Thesi superiore dixerat, *concupiscentiæ istos motus interiores homini molestiam creare usque ad mortem, & eum invitum ad peccata externa incitare*: hîc verò ait, *eosdem motus causas esse, quò minùs homo perfectè possit curare, ut planè nullum vel sit vel dominetur peccatum in corpore suo mortali.* Num hæc eadem sunt? Nihil minùs. Potest enim homini perpetuò molestia creari a concupiscentiis, & invitus ad peccata externa incitari potest homo: & tamen curare, ne ullum peccatum dominetur in corpore ipsius. Nam si quis molestias illas, quas concupiscentiæ motus creant, superet, si stimulationem ad peccata declinet, jam nullum in eo peccatum dominatur. Tunc enim peccata verè dominantur, cùm quis plærumque ab illis vincitur. Sed, quod omnium maximum est, quomodo verum erit, loca a Socino de renatis allegata, pertinere ad peccata ex concupiscentiæ interioribus motibus excitata & in apertum actum producta, consummataque, cùm hujus tam ineptæ, non dicam explicationis, sed nugatoriæ prorsus assertionis, nullam attulerit Frantzius vel rationem vel verisimilitudinem? Egregium sanè disputatorem, qui susque deque habens, quæ probanda aut refutanda sunt, suam sententiam nudè asscribendo, chartas implet, & ita tum adversarium tum lectorem ludificatum quodam modo dimittit. Et tamen gloriatur se solidissimè respondisse ad omnia, & non habituros adversarios, quod respondeant ampliùs.

Concupiscentiæ motus non sunt peccata.

Et hîc jam finis est disputationis cum Frantzio. Nam quæ deinceps ad finem usque scribit, ea jam alíus sunt generis, nempe inconcinna, horrida eaque omnibus destituta argumentis, errorum autem plena explicatio partis 7. cap: ad Rom: Tu eam ex his quasi flosculis agnosce, lector. *Lex spiritualis est*, hoc est, aliter me docet, quàm Pharisæi Paulum docuerunt, sed requirens etiam internos incontaminatos motus, juxta interpretationem Christi Matth: 5. *Venditus sum sub peccato*, est, peccato non liberabor, nisi in morte mea. Iam illud, quid est, *Non renati non possunt vel non volunt odiße, quod malum est?* & tamen impudica mulier dixit: video meliora proboque, deteriora sequor. *Peccatum est nativæ corruptionis labes*, cùm scriptura id tantùm hoc nomine appellet, quod est legis divinæ voluntaria transgressio. *Caro in hac vita nunquam planè reformabitur & regenerabitur*: Quasi opus sit carnem regenerari, & non potiùs hominem, carnem

verò

verò supprimi vel perimi. *Velle adjacet renato, sed perficere bonum non,* cùm non approbatores legis divinæ aut volentes ei obedire, sed factores tantùm servandi sint. *Membra non sunt integrè & perfectè renata,* quod idem est cum eo, quod de carne regeneranda dixerat. *Captivare in lege peccati, est, inclinare in lege peccati.* Quasi omnis, qui inclinatur, captivetur. *Mors à qua se liberari vult homo infelix, est plaga doloris, quam capit ex certamine spiritus & carnis.* Quasi ista sit miseria extrema & quæ damnationem afferat, si spiritus & caro certent, & non potiùs ea, quâ perpetuò, aut ut plurimum, spiritus a carne vincitur. Et hæc sunt quædam, quæ attigisse satis est.

Reliqua verò paulò accuratiùs expendenda sunt, quæ inter hæc inserta sunt, quamvis suprà etiam de iis dicta sint non pauca: *Hominem renatum captivatum esse legi peccati, & non posse perfectè Deo obedire, rationibus & locis sacrarum literarum quibusdam asserere conatur* thes: 104. Sed quàm firmiter, videant, qui hæc lecturi sunt. Nec enim ex eo (& hic 1. est scripturæ locus) *quòd non sit homo qui non peccet,* ista tam perniciosa sententia defendi potest. Cùm peccare is etiam dici possit, qui interdum per imbecillitatem aut ignorantiam impingit, licet peccati lege non sit captivatus; & is, qui antea peccavit, possit a peccando cessare & deinceps perfectè Deo servire. Non enim nunc in quæstione est, an homo quatenus homo, sed an homo renatus possit Deo perfectè obedire. Renatus autem non is est, qui nunquam peccavit, sed is, qui a peccando destitit, & ampliùs non peccat, hoc est, in peccato non hæret.

Sacrificia deinde legalia, quæ Deus pro expiandis peccatis ordinavit, non docent, hominem perfectè Deo obedire non posse. Nam tantùm pro ignorantiis & infirmitatibus sacrificia ista omnia ordinata fuerunt, ut suprà docuimus: pro enormibus autem facinoribus, nullum erat sacrificium, sed sine misericordia, ut autor Epistolæ ad Hebr: ait, in duobus aut tribus testibus is, qui legem Mosis violabat, moriebatur. Vnde sequeretur aliud longè diversum, nempe potuisse homines ab istis peccatis, pro quibus nullum erat sacrificium, liberos esse, ab aliis verò nempe infirmitatibus non vel vix liberos esse potuisse. Quod etiam nos hodie in renatis locum habere non diffitemur.

Locus porrò Ezechielis 18. primùm conditionalis est: itaque ex eo necessitas, quam vult Frantzius, peccandi, concludi nequit. Deinde non est universalis. Nam tantùm de impio ibi sermo est, cui, si ad Deum sese convertat, promittitur remissio peccatorum: At non omnes homines sunt impii sunt enim quidam justi, qui pænitentiâ opus non habent.

Luc. 15.7. habent, teste ipso Christo. Licet enim ii etiam, qui justi esse dicuntur, interdum errare & peccare possint; imò errent & peccent interdum: ideo tamen nec impii dici possunt, nec pænitentiâ opus habent. Pænitentia enim (ut etiam vox græca μετάνοια indicat) est integra hominis reformatio, quâ eos, qui animum semper retinent integrum, non egere, ipsa res loquitur. Illud præterea nimis futile est: *Ideo nos orare jussos esse quotidie remissionem peccatorum, quia non possimus perfectè Deo obedire.* Quasi verò homo non teneatur Deum quotidie orare, ut peccatorum etiam præteritorum oblivisci velit, etiamsi nunquam, postquam ad Deum conversus est, ne semel quidem peccet. Ad hæc *præceptum Christi de remittendo septuagies septies offensas*, non quid omnes, sed quid aliqui facere soleant, comprobat. Quemadmodum enim fieri potest, ut aliqui sint, qui crebrò alios offendant: sic vicissim tales esse posse, qui alios nō ita vel etiam nunquā offendant, statuendum est, si vera ea sunt, quæ de Christi populo passim prædicantur, quòd scilicet nec peccet nec peccare possit.

Omnes denique *in multis labi*, vel hyperbolicè a Iacobo dictum est, quomodo etiam alibi dicitur, ne unum quidem esse qui a Deo non declinaverit. cùm tamen in eodem psalmo, unde ista decerpta sunt, dicatur, quòd populum Dei comedant alii, nempe impii; vel de lapsibus & ignorantiis veris, quæ Deus pro peccatis non imputat, accipiendum est, quod etiam ipsa vox *labendi* & materia, de qua ibi agitur, nempe lapsus linguæ, satis apertè demonstrat.

Iterum th: 106. locos istos duos, quibus Paulus gratias agit Deo per Dominum nostrum Iesum Christum, alterum ex hoc cap: 7. ad Rom: alterum ex 1. Cor: 15. conjungit, & quemadmodum victoria, de qua 1. Cor: 15. agitur, plenè in hoc seculo non datur, sic etiam victoriam, pro qua Paulus Rom: 7. gratias agit, in hoc seculo non dari, concludit. Sed quis non videt, diversitatem materiæ, diversitatem etiam victoriæ constituere? victoria enim mortis & inferni, quomodo potest cadere in hoc seculum, in quo nullus est locus immortalitati, quâ sola mors vincitur & infernus? victoriam autem carnis & peccati in
Rom. 3.12. hoc seculo nō tantùm dari Tit. 2.12, sed neminē sine illa servari ulla ratione posse, qui ignorat, aut dubitat, quomodo is de salute sua bene unquam sperare potest? Non enim liturâ induci possunt ea Christi verba, quæ septies in 7. Epistolis ad ecclesias Asiaticas repetuntur, *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in medio paradisi Dei mei: Vincens non lædetur a morte secunda. Vincenti dabo ei edere de manna abscondita & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit. Qui vicerit, & custodierit usque in finem*

opera

opera mea, dabo illi potestatem super gentes &c. Qui vicerit hic vestietur in vestimentis albis &c. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei &c. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum patre meo in throno ejus. Qui habet aurem audiat, quid spiritus dicat Ecclesiis. Quæ verba ultima omnem præterea tergiversandi occasionem præcîdunt, quâ quis in voce vincendi uti velit, dum ita vincere jubemur, sicut ipse Christus vicit. Christus enim alio modo non vicit, quàm reipsa faciendo Dei voluntatem, usque ad finem vitæ suæ, unde apparet, sic etiam nobis vincendum esse, licet in quantitate semper sit futura magna inæqualitas.

Deploranda est autem denuo inconstantia Frantzii, vel potiùs inveterata in ipso opinio (nam quantumvis eam tegat, semper tamen recurrit), quòd modum justificationis describens thes: 109. *in Christo Iesu* (Frantzius habet sub Christo Iesu) *esse, & non secundùm carnem ambulare sed secundùm Spiritũ*, vel potiùs in Christo Iesu non secũdùm carnẽ sed secundùm spiritũ ambulare, ut Apostol⁹ ait, ita explicat, *quòd nemo unquam liber erit penitus ab omni peccato in hac vita: satis autem esse, si opera detur, ne datâ operâ contra conscientiam promtè, studiosè cum habitu, semper, sæpè in nobis grandia scelera dominentur.* Primùm enim ista omnia nulla ratione probantur, sed nuda sunt assertio Frantzii. Deinde sacris literis, quæ nos perfectos & sanctos esse jubent, & ita ambulare volunt, ut Deus ipse perfectus & sanctus est, & ut Christus ambulavit, ex diametro repugnant. Hac denique glossa admissa, pessimi tantùm homines, & qui homines esse quodammodo desierunt, & beluinam naturam induerunt, vitâ æternâ privarentur: Et via salutis esset longè latissima & facillima, quam tamen & arctam esse & arduam testatur ipse Christus, imò homines non regenerati in regnum Dei intrarent, contra Christi sententiam manifestam. Nam quicunque in aliquo peccato, licet non grandi, modò inter opera carnis numeretur, ut, exempli causa sunt, ira, rixæ, invidia, comessationes, ebrietates, maledicentia, hæret; & licet non datâ operâ contra conscientiam, nec promtè aut studiosè, nec semper, sed vel per negligentiam aut incogitantiã, crebrò tamen in illud vel plærumque, data ad id occasione, incidit, & in eo perseverat, is regeneratus dici nullo modo potest. Vox *sæpe* hîc a Frantzio contra mentem illius inserta est. Nam statim infra th: 112. ait, in piis sæpenumero carnem vincere. Qui verò a carne sæpe vincitur, carnalis homo est, & secundùm carnem ambulat. Quomodo igitur regeneratus esse potest?

Matth: 5. 48. 1 Petr. 1. 15. 16. 1. Ioh: 2. 6.

Matth: 7. 14. Regenerationis natura

Exempla denique, quæ affert, rem hanc non probant. David enim, ut nunc, an regeneratus fuerit, taceam, non sæpe numero a car-

ne victus fuisse legitur, etiamsi semel atque iterum (ut vult Frantzius) a voluntatis divinæ tramite deflexerit: ex mente verò sacrarum literarum tantùm semel. Nam in omnibus eum secundùm præcepta Domini incessisse testantur sacræ literæ, excepto uno negotio Vriæ, ut suprà docuimus. Nec etiam Petrus sæpenumero a carne victus fuit. Nam (ex mente ipsius Frantzii) tantùm bis peccasse legitur: secundùm autem ipsam veritatē semel. Et abnegatio quidē ipsius in id tempus incidit, quo nulla adhuc regeneratio revera dabatur. Regeneratio enim fide in Iesum Christum nititur, imò ipsa est fides in Iesum Christum. At huic locum non fuisse reipsa, inde patet, quòd Deus Christum ex mortuis resuscitavit & gloriam ei dederit, ut nostra fides & spes in ipso esset: Nos verò nunc de regeneratione vel de regeneratis loquimur. Alterum verò, cujus causâ eum Paulus reprehendit, lapsus quidam potiùs censendus est, quàm peccatum aliquod grande, in quę Frantzius ait relabi subinde renatos. Quæ verò verba Frantzius ita allegat de Petro, *ut eßet damnandus*, ea converti possunt & debent, quòd fuerit culpatus vel reprehensus. est enim in Græco, κατεγνωσμένος, cujus vocis eam esse significationem, quam diximus, ii nôrunt, qui linguæ Græcæ non sunt planè imperiti. Quomodo denique huc faciat locus Gal. 5. 16. *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis*, &c. suprà demonstratum fuit, nempe contrarium hujus, quod affirmat Frantzius, ex eo colligi posse, & disertè in eo dici, adeo ut mira sit audacia Frantzii, qui ea illustrissimam declarationem & συμφωνίαν esse cum loco Pauli ad Rom: 7., dicere non vereatur.

David lapsus unus tantùm.

Petri peccatum unum.

[illegible] 149.

1. Pet. 1, 21.

SECTIONE 7. prolixiorem phraseos *non esse sub lege* declarationem instituit Frantzius, magno quidem conatu, sed planè irrito. Nam ut plurimùm secum ipse & cum umbra sua pugnat. Quod antequam breviter ostendam, digito monstrandum est, quàm graviter in argumento Epistolæ Paulinæ ad Rom: explicando erret Frantzius. Verum igitur quidem est, Paulum docere in ea, justificationem nemini ex lege unquam contigisse: sed falsissimum est, eum docere, justificationem acceptam fuisse ferendam, nempe ante Christum vel sub lege, gratiæ Dei in Iesu Christo. Hoc enim, nempe gratiæ Dei in Iesu Christo, seu fidei in Iesum Christum, justificationem tribuendam esse, sub Evangelio demum revelatum fuisse apertissimè testatur ut alibi, sic præcipuè cap: 3. 20., ubi sic dicit: *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo. per legem enim cognitio peccati. Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est, testimonio comprobata à lege & prophetis, justitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes credentes*, &c. Verum quidem est, sub lege etiam justificatos

Ante Novū F. non fuit justificatio in Christo.

ficatos fuisse, qui justificati fuerunt, ex fide: sed nec iste modus justificationis per fidem propositus fuit a Deo in fœdere, sed ex libera Dei benignitate, quam extra fœdus, cui vult, exhibere potest Deus, pependit; nec fides illa fuit fides Iesu Christi, sed fides Deo & promissis illius adhibita, ut exemplum Abrahami, quem tanquam parentem fidelium proponit, expresse docet. Iam hoc omisso, quid est, quod tantopere tumultuatur Frantzius, dum docet, *sub lege esse, non significare Paulo, obligatum non esse ad præstandam obedientiam legi, vel non vivere amplius sub Ecclesia, quæ antegressa fuit nativitatem vel reformationem & passionem Iesu Christi, vel non habere notitiam legis Dei scriptæ, vel non habere sub V. F. reconciliationem cum Deo propter mediatorem, sed nō sub lege esse, significare liberatum esse à maledictione legis.* Nam ut hoc totum concedatur, quid evincet Frantzius? Nihil. Inquirendum enim relinquitur, quare ii, qui sub lege esse dicuntur, sint sub maledictione legis, quæ est æterna damnatio? Causa autem nulla est alia, præter hanc, quòd lex multa quidem præcipiat, interim infirma sit propter carnem, ad efficiendum, ut homo iis obtemperet. Hoc verò iterum qua de causa? quia scilicet potissimùm continet minas, promissiones autem valdè exiles. & ita tandem per ambages eò deveniendum est, quò rectâ noluit devenire Frantzius, nempe sub lege esse, significare in eo statu esse, qui est valdè miserabilis, & qui hominem a peccati & mortis jugo liberare non potest.

Quatenus sub V. F. per fidē justificatio contigerit.

Quid sit sub lege esse.

Sed & aliud Frantzius thes. 127. in ista sua solida phraseos *non esse sub lege* declaratione opportunè docet. Nempe Spiritum sanctū communicatum fuisse etiam veteribus. At extra oleas suo more vagatur. Non enim datum olim, & datum quibusdam paucis, sed promissum, & promissum fuisse omnibus, qui legi essent obedientes, Spiritum sanctum in V. F., negatur. Posse autem dari, præsertim quibusdam, qualis erant prophetæ & inter eos David, id quod eis promissum non erat, nemo dubitat. Insulsum autem illud est, quòd ex eo, quia antediluviani Spiritui Dei sese opponerent, Spiritum sanctum cum eis communicatum fuisse, colligit Frantzius. Nam præter id, quod antea dictum fuit, nullo prorsus modo necesse est, datum fuisse alicui Spiritum sanctum, quia se ei aliqui opposuerint. Possent enim dici Spiritui Dei sese opponere homines, quatenus verbo Dei, quod spiritu divino autore traditum est, resistunt. Sed præterea falsum est, quod ait Frantzi⁹. Nam Gen. 6.3. tantùm habetur. *Non manebit spiritus meus in homine perpetuò*, vel ut alii ex Hebraico textu convertunt: *Non contendet spiritus meus cum homine in perpetuum*, quorum verborum, quinám sensus sit, nō opus est nunc

Quid de Spiritu S. sub V. F. sentiendum.

inquirere. Hoc satis est, quòd omnes, ut puto, interpretes verba ista ita explicent, ut per spiritum Dei, vel ipse Deus & ejus potentia intelligatur, vel is quem in creatione Deus hominibus spiritum indidit. De spiritu verò Dei sancto, qui sub N.F. credentibus solis datur, sermonem ibi esse, neminem vel cogitasse quidem credo. Itaq; tantò major etiam est audacia Frantzii dicentis, quòd idem pænè, quoad verba, cum illis affirmatum esse ait in N. T. Gal. 5., concupiscere adversus spiritum, vel spiritu opera carnis mortificare, vel non ambulare secundùm spiritum, vel membra nostra esse templa Spiritus S. Nam si verba Gen: de spiritu, qui in Deo, & potentia Dei est, accipiuntur, quam explicationem doctioribus magis placere ait Vatablus, quid quæso hæc omnia, quæ ex N. T. affert loca, ad illum pertinebunt? nisi fortassis concordantias vocum concordantiam locorum censere velimus: Si verò de spiritu, quem Deus hominibus dedit, verba ista accipias, quid similiter hoc ad rem faciet? cùm in Genesi de eo Spiritu sermo sit, qui tam piis quàm impiis datus est, & vis illa intelligatur, quâ vivimus non quâ intelligimus: verba verò, quæ Frantzius affert, vel de Spiritu, qui est loco mentis nostræ, quo scilicet intelligimus, ut Gal: 5.; vel de promissis æternæ vitæ, quæ ob præstantiam suam & modum, quo nobis innotuerunt, nempe revelationem, Spiritus, ut & ipsum totum Evangelium appellantur, ut Rom: 8. 13.; vel pro mente illustrata Dei cognitione, ut in illis verbis, ambulare secundùm spiritum; vel denique de dono illo singulari, quod solis credentibus in novo fædere promissum est & dari solet, accipienda sint. Sed jam laus sit Deo, quòd ad finem tandem hunc nostrum verè laborem perduxerimus.

In Octava sectione, quæ conclusio est hujus disputationis, alloquitur Ostorodum & me & alios nostros Frantzius, *quòd locum Rom: 7. a contaminationibus Socini satis repurgatum esse ipsimet judicaturi simus, si conscientiam tantùm unicam* (verba sunt Frantzii) *adhibuerimus in judicium: jubet deinde nos, desinere adversus Ecclesias suas ante victoriam triumphum canere, quòd scilicet hunc locum contra veritatem detorqueant, & sua explicatione totum orbem in in nassam peccatorum seducant, cùm ipse Socinus fateatur, in homine renato manere reliquias veteris carnis aliquas.* Negat porrò *locum hunc Pauli esse unum ex illis difficilibus, quæ in ejus scriptis habentur.* Tandem nos jubet refutare ea, quæ nobis de vitæ æternæ tantùm in N.T. *facta promissione disp: 7. opposuit, & tunc lectori cuivis etiam inter nos committendum judicium, ab utra parte in hoc cap: solida stet veritas.* Ad quam breviter hæc habeat Frantzius. Si ea, quæ Frantzius attulit,

repurgatio

repurgatio sunt contaminationum, quid apud eum erit contaminatio? Mentem Socini vel non assecutus interdum esse videtur, vel saltem parum sincerè exposuit; ad ea verò, quæ objecta fuere, ita obscurè, indirectè, ridiculè, pueriliter & extra oleas vagans respondit, ut magnâ lectori opus fuerit patientiâ ad illa nedum refutanda, sed tantùm legenda.

Conscientiam, an in judicium adhibeamus, Deo cognitum est: An verò aliquid aliud, præter solam conscientiam, in religionis negotio nos agat, ipse Frantzius agnosceret, si, quo in loco versemur, & qualia cervicibus nostris quotidie pericula, ob hanc nostram sanctissimam confessionem immineant, vel saltem, quomodo omnibus ob hujus veritatis professionem exosi simus, perspectum haberet. Quanquam ad veritatem defendendam satis est argumenta ex sacris literis afferri. His enim semper conscientia cedere debet. Triumphum ante victoriam non canimus adversus quenquam. Nec enim victoriam quærimus, sed veritatem & salutem proximorum nostrorum, & ipsius Frantzii & Ecclesiarum illius, prout fert Christiana charitas, promotam quàm maximè volumus: Sed quia credimus, hac sententia de renatis, quam Frantzius sectatur, maximè salutem in discrimen adduci, nihil non facimus, ut agnoscant omnes, eam esse non tantùm falsam, sed etiam perniciosam. Cujus rei causâ, etiamsi tandem erraremus, multùm nobis deberi, nemo pius non videt. Nassam autem perditionis esse istud dogma, ah quàm nimis est verum! Remanere in renato aliquas carnis reliquias, facilè conceditur: sed hoc ad istam irreligiosam regenerationem defendendam nihil juvat, quæ grandia sæpenumero peccata a renatis admitti posse statuit.

Locum hunc Pauli unum esse ex difficilibus scriptorum ejus locis, quis unquam inficias ibit? Vnde enim tot hactenus de eo contentiones, si ejus scopus ex antecedentibus & consequentibus tam facilè deprehendi potest? Itaque, jure huc Petri verba Socinum accommodasse, statuendum est. Quanquam non diffiteor, alium istorum D. Petri verborum sensum esse posse, quem etiam Witakerus observavit, nempe in iis rebus, de quibus Petrus ibi scribit, esse quædam difficilia intellectu. Est enim in græco, ἐν οἷς, non ἐν αἷς, ut scribendum fuisset, si ad remotius antecedens, Epistolas scilicet Pauli, Petrus respexisset: non verò οἷς, quæ vox ad proximum περὶ τούτων referenda videtur.

Refutavimus denique, ut jubet Frantzius, quæ in 7. disputatione priori nobis opposuit. Committimus igitur ea, unâ cum Frantzio le-

ctorum omnium judicio. Quos hortamur, ut intelligant, quod legunt: Deum autem rogamus, ut det illis intellectum in omnibus, & nostram sanctissimam confessionem, cujus in hoc libro brevem habes defensionem & explicationem, omnibus piis & cordatis quàm commendatissimam reddere: nos verò & omnes suos fideles ab omni malo tueri, & ad regnum suum æternum conservare dignetur. Amen.

Laus Iesu Christo.



Index rerum, quæ in hoc libro continentur.

A

B

Baptizari-

C

Conatus

D

E

F

G

H

Habitus

I.

L.

M.

pen

N.

O.

P.

Q.

Qui sub

R.

S.

Spiritus

T.

V.

INDEX LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ, qui in hoc libro vel toti explicantur, vel aliqua in parte illustrantur.



Graviora quædam errata sic corrigantur:

pag:	*lin:*			
7	8, 9.	etiam	*lege*	&
8.	*ad marg.*	Gal: 4. 4.		Gal: 4. 6.
35.	35.	sancti		sanctus
15.	*ult:*	majori		minori
17.	14.	sucipere		suscipere
23.	11.	præmonuimus		permaneamus
27.	2, 3.	Iudæos		Iudæis
ib:	*ult:*	exempla		exemplum
29.	12.	*post* sinum	*deest*	sese
34.	*ad marg:*	minimè		maximè
36.	*penult:*	& hoc		ex hoc
40.	13.	voce		vice
ib:	22.	accutiùs		accuratiùs
42.	21.	Rom: 3. 13.		Rom: 3. 23.
50.	3.	ex ea		ex iis
51.	36.	Epistolam		Epistola
54.	9.	1. Cor: 15. 18.		1. Cor: 15. 48.
57.	27.	dicit		dicat
58.	30.	de		ex
61.	10.	Gen: 6. 9.		Gen: 9. 6.
64.	29.	Ioannis		Ioannes
65.	27.	Dominum		Dominam
67.	23.	ex spiritu suo concepit,		spiritu suo genuit,
74.	*penult:*	potui ?		potuit ?
92.	17, 18.	eorum		ejus
222.	28.	scripturam		scripturas
270.	2.	*dele* non		
300.	13.	doceant		docent
310.	8.	Christiana		Christianæ
314.	9.	SECTIONE		SECTIO
ib:	*penult:*	illa		illud
325.	23.	nullum		nullam
362.	5.	Frantzium		Frantzius
363.	13.	lapum		lapsum
373.	26.	remotetur		remuneretur
388.	13.	illa		illo
391.	7.	excæatus		excæcatus
424.	9.	assimulari		assimilari
429.	16.	responsionis		responsiones
431.	19.	*post* se mine	*deest*	Messias
442.	28.	egis		legis
447.	10.	in victoria		in victoriam
453.	1.	sustilisse		sustulisse
454.	16.	ab illo		ab illis

Cætera lector benevolus ipse observabit & corriget.


INSTYTUT
OSSOLINSKIEGO.

